QK1
.N627
1861
v.5-7

Societas pro fauna et flora fennica.

NOTISER

UR

SÄLLSKAPETS

PRO FAUNA ET FLORA FENNICA

FÖRHANDLINGAR.

FEMTE HÄFTET.

NY SERIE. ANDRA HÄFTET.

Mo. Bot. Garden.

HELSINGFORS,

J. Simelii arfvingars boktryckeri,

1861.

MISSOURI BOTANICAL
GARDEN LIBRARY

Imprimatur: *C. A. Sanmark.*

LICHENES SCANDINAVIÆ.

EXPONIT

William Nylander.

Jam antea, et præsertim in *Prodromo Lichenographiæ Galliæ et Algeriæ,* monui studium Lichenum his temporibus attentius auxilioque microscopii institutum, sententias auctorum ante admissas revisioni subjiciens, recensiones florarum omnium, quoad ea vegetabilia, novas postulare. Facile enim jam diu patuit, determinationes anteriores (epochæ quam incipit Acharius terminantque Schærer et Fries) sæpe nec species veras, nec formas rite definitas respicere, sed notiones solum vagas indicare et incertas. Reformatio disciplinæ hujus modo speranda fuit, quando cognitiones anatomicæ pleniores analysisque acuta observationi adjungerentur sagaci et sollerti naturæ.

Apud Acharium in *Lichenographia Universali* de anatome Lichenum expositionem satis veram invenimus, etiam quod adtinet ad structuram fructus, cujus varias figuras dedit ostendentes eum analysin haud neglexisse et quidem microscopium adhibuisse; thecas (Hedwigii) et sporas ("vesiculas", ut dicit Acharius) recte vidit (ex. gr. in t. VII, f. 2 *c* [*Pertusaria leioplaca*]), licet earum naturam et constantiam haud perspexerit. Eschweiler deinde atque alii analysibus variis hanc scientiæ partem ditarunt. Postea autem sane singulare est, auctores, ducibus Schærer et Fries *), omnino analysin attentiorem oblivisci vel repudiare. Jam vero cel. Fée (1837) sporarum dis-

*) Beatus Schærer sincere ait: "Humeri quid valeant, quisque sciat. Optimum quidem præsto mihi est microscopium —; sed lichenum contextus tam densus est ac spissus ut — non contigerit — organa simplicissima explicare." Pejus accidit celeberrimo Fries, qui de

quisitionem diligentem et meritissimam edidit. Cel. Montagne analyses varias addidit. Cel. Tulasne autem (1852) fundamenta elaboravit studii solidioris anatomes Lichenum, analysibus acutioribus quam ante factis et præcipue *spermogoniorum* multarum specierum, quæ organa ab auctoribus ceteris prætervisa fuerant; figuris simul elegantissimis has analyses illustravit auctor. Eodem tempore exstitit schola peculiaris (sporologica), quæ characteres primarios generum specierumque sporis exprimi credit (ducibus Dominis Norman, Massalongo, Kœrber, &c.), negligit vero analysin histologicam vel elementorum anatomico-

---

structura sæpe loquitur, solam ad externam faciem attentionem fatalem esse in Lichenologia (Fr. *Lichenogr. Eur. reform.* p. 146) recte statuens, at notiones in hoc capite interno parum claras, immo satis fatales ipse ostendit. Talia saltem indicare videntur ex. gr. verba: "asci connati" — "asci in sporidia reducti" — "formationes metamorphosi incompleta, v. c. *Coniocarpon*, quibus *cellulæ* rotundæ vegetæ medium tenent locum inter gonidia et sporidia" (Fr. *S. V. Sc.* p. 403, *L. E.* p. LXVI, etc.). Innumera exempla ejusdem indolis e scriptis Friesianis afferre possemus (varia occurrunt in *S. V. Sc.* pp. 262, 263). De apotheciorum anatome dicit (Fr. *L. E.* p. LXIV): "Plurimæ in his partibus observantur modificationes —; practicæ Lichenologiæ minus inserviunt." Sic auxilium solum, cujus ope Lichenographiam reformatam scribere licuerit, rejicit auctor hicce, omnipotentiæ imaginationis nimis, ut videtur, fidens. Hæc jam historica. Ipse dicit, "multiplici experientia, nec e vaga vel levi hypothesi, plene mihi persuasum est, fidem in harmoniam naturæ et sensum nativum in Systemate magis fideles esse duces, quam subtiles, varia interpretatione facile collabentes, characteres" (Fr. *S. V. Sc.* p. 431). Superfluum est observare, auctorem *characteribus subtilibus* intelligere microscopicos. Quomodo autem separetur dignatio differentiarum, quæ oculis nudis, aut lente, aut microscopio concipiuntur?! Multos afferre audimus tamquam excusationem quandam, microscopia antea non satis bona fuisse; ad quod est notandum, observationes male factas sæpius pendere a persona observante quam ab instrumento, atque in memoriam revocare liceat, illustrissimum Léon Dufour anatomiam Insectorum (etiam minutissimorum) fundavisse instrumento vetusto sæculi præcedentis. Micrographi hodierni optimi minime vitra microscopica maxime augentia (raro ultra 200 vices) adhibent. Solum fere in Diatomaceis examinandis vitris magis augentibus egere possumus.

rum ceterorum; ita methodus superficialis vel unius partis studiosa et manca orta est, in distinctiones aberrans leves et in nomenclaturam dissolutam, prolixam fastidiosamque.

Inter Lichenologos epochæ Acharianæ nominibus illustrissimis enitent in Gallia Ramond, Léon Dufour, De Candolle et Le Prévost et in Germania Humboldt, Flœrke. His temporibus collectores plurimi Lichenibus sunt occupati, præsertim in Anglia (in primis Leighton, Carroll, Jones, Mudd), in Gallia (Mougeot, Durieu, Roussel, Pelvet, de Brébisson, Lenormand, Bornet, Le Jolis), in Helvetia (Hepp), in Italia (Garovaglio, Massalongo), in Germania (v. Zwackh, v. Krempelhuber, Kœrber, Arnold). In Scandinavia ea vegetabilia nunc magis neglecta fuerunt *), nec nisi pauci hic iis attenderunt; solum in Finlandia botanistæ nonnulli eadem plenius exploraverunt.

Plurima fecerunt indagandis Lichenibus Scandinavicis Acharius, Wahlenberg et Sommerfelt. Collectio Achariana, quam examinare mihi licuit, maxime in hoc opusculo scribendo utilis fuit. Doleo autem specimina archetypa specierum novarum Sommerfeltii modo paucarum mihi conspicere datum fuisse. Lichenes deinde Sueciæ, quos ediderunt celeberrimi Fries et Stenhammar, examinavi æque ac nonnullas alias collectiones e Suecia et Norvegia. Ipse quoque in Suecia et Finlandia, annis quibusdam, hæc vegetabilia scrutatus sum, adjutusque hic fui a botanistis junioribus, inter quos frater Edwin Nylander et J. A. Malmgren symbolas Lichenographiæ Fennicæ maximi momenti obtulerunt.

---

*) Quum Lichenes explorare incepi, opinio in Svecia valuisse videtur, parum in hoc capite effici restare. Atque ut exemplo ostendam, quousque tamen tunc adhuc neglecta fuerint hæc vegetabilia, afferre liceat, anno 1852 vulgatissimam *Lecanoram cervinam* in Flora Upsaliensi nondum adnotatam fuisse. Neque mirum igitur, si scribit cel. Fries in fine suæ *Summæ Vegetabilium Scandinaviæ* (p. 563): "Ad Lichenum familiam pro more vix ullæ accesserunt Novitiæ."

Quod ad hanc naturæ partem in Scandinavia, facile patet, solum prodromum nunc dari posse, donec denuo studioque novo regiones boreales exploratæ fuerint. Quoniam nullus exstat liber de his vegetabilibus, modo statui scientiæ hodiernæ conveniente tractans, utile credidi si talem conscribere tentarem. Non tamen prætervideatur, ita etiam aliam ob caussam prodire nonnisi prodromum posse, quoad partes scilicet Lichenographiæ nondum opere ullo universali expositas; nam ægre rite concipiuntur species, nisi nexu cum aliis et formis diversis comparatis etiam terrarum aliarum. Quod si non respiciatur, facile in notiones systematicas erroneas cadimus. Hæc offensio est florarum specialium ditionis minoris, præsertim in capite quovis adhuc parum cognito. Basin enim, quæ satisfaciat, nonnisi in expositione vegetationis universæ totius telluris habere possumus; neque igitur florulæ tales speciales per se nisi pericula intuta, in partibus ante nondum in opera vastiora receptis, præstare valeant. Brevius quoque in opusculo hoc exponere licuit partes a me antea monographice vel plenius expositas, ut in *Synopsi Lichenum, Expositione Pyrenocarpeorum*, &c.

Differentiam præcipuam a vegetatione lichenosa Europæ temperatæ vel mitioris sistit hic copia *Cladoniarum* et contra pauperies vel penuria *Graphideorum*, qui jam in Europa media in quavis fere arbore vigentes inveniuntur, et simul ibi speciebus insignioribus occurrunt (præsertim generis *Graphidis*). Hæc differentia pro parte originem ducere videtur ab arboribus diversis, quæ in terris his obveniunt. Simul *Pyrenocarpei* et *Collemacei* in Europa media speciebus et frequentia earum præpollent, contra in summo septentrione sensim diminuuntur.

In nullis vegetabilibus, ut constat, species latiore gaudent distributione geographica. Versus septentrionem autem in genere numerus earum decrescit, æque ac diminuitur in terris mere tropicis siccis, unde ob naturæ indolem contrariam plu-

rimæ excluduntur. Tabula sequens optime ostendat rationes statisticas distributionis Lichenum et quomodo species in Scandinavia, Gallia et Guyana Gallica (ut exemplum planitiei tropicæ) distribuantur, comparatis numeris specierum cujusvis tribus.

TRIBUS.	NUMERI SPECIERUM.			
	Scandin.	Gallia.	Guyana.	Totius terræ.
I. LICHINEI	7	6	—	13
II. COLLEMEI	36	50	5	113
III. MYRIANGIEI . . .	—	1	—	2
IV. CALICIEI	24	28	—	41
V. SPHÆROPHOREI . .	2	3	—	5
VI. BÆOMYCEI	4	5	—	19
VII. CLADONIEI	30	22	2	56
VIII. STEREOCAULEI . .	6	5	1	28
IX. ROCCELLEI	—	3	—	7
X. SIPHULEI	2	1	—	9
XI. USNEEI	3	4	—	15
XII. RAMALINEI	11	11	2	27
XIII. CETRARIEI	12	10	—	28
XIV. PELTIGEREI . . .	13	11	—	24
XV. PARMELIEI	30	36	8	146
XVI. GYROPHOREI . . .	13	12	—	24
XVII. PYXINEI	—	—	1	3
XVIII. LECANOREI	75	95	27	275
XIX. LECIDEEI	122	123	24	252
XX. XYLOGRAPHIDEI . .	2	4	—	6
XXI. GRAHPIDEI	17	54	60	235
XXII. PYRENOCARPEI . .	37	57	59	171
Summa	446	541	189	1499

De distributione specierum in Scandinavia idem valet ac de his vegetabilibus in Europa cetera, hoc est certas esse alpinas, alias regionum pineto-montanarum apud nos vastissimarum et graniticarum, alias calcarearum, alias (paucas) in quercetis (et

fagetis) solum occurrere, alias (etiam pauciores) peculiares esse mere maritimis (*Lichinas, Physciam aquilam, Ramalinam scopulorum, &c.*), e. s. p., quod in sequentibus speciatim exponetur. Plurimæ vero species latissime hic obveniunt. Ante quoque jam dixi (in *Prodr.* p. 8), allicere studium Lichenum in primis copia, qua eos fere ubique vigentes et quidem perennes conspicimus, supra terram, ad cortices, ad saxa, ad muros, ad ligna, ubi loca evolutioni suæ reperiunt convenientia, atque ob momentum jam vastissimum, quod ii in serie vegetabilium sic occupant, parum decet ut a Botanicis negligantur. Stationes desertas sterilesve, sylvas vetustissimas, montes denudatos præsertimque editiores vel alpinos amantes Lichenes scrutatori proles suas maxime insignes offerunt locis, ubi stirpes ceteræ rarescentes animum ejus minus attentum tenent. Sed alio etiam respectu ad harmoniam naturæ complementum afferentia egregium, vita sua lenta intermittente et formis rigentibus singularibus, coloribus sæpe lætis vel pallidis, quibus loca nuda et tristia ornant, sese hæc vegetabilia commendant. Non igitur studium eorum unquam peribit, sed semper multos jucunde detinebit.

Quoad stationes eorum observetur, situm proprium vulgo a speciebus singulis seligi, ut plerumque latus septentrionale rupium, truncorum, horreorum vetustorum, etc.; at aliæ ex. gr. latus australe saxorum præferunt.

In Lichenibus exponendis nomina permulta data fuerunt formis specierum vulgarium accidentalibus, e stationibus variis vel casu quodam vel læsione ortis, vel e mutationibus colorum in herbariis factis, aut sæpe adhuc substratum Lichenum cum thallo eorum confusum fuit. Ita caussæ reperiuntur plurimæ nominum inutilium, qualibus obruta est synonymia lichenographica, atque in Lichenes inferiores præsertim cadit hæc confusio sæpe occurrens.

Synonymia modo allata fuit parca in hoc opusculo, jam eam ob causam quod in tractatione hujusmodi locali minus visa est necessaria, quum libros speciales huc spectantes adeundi copia vix in terris nostris offeratur; satis igitur fuit, ut præcipue classici magisque usitati citarentur. Ob eandem caussam collectiones Lichenum editas (a Sommerfelt, Fries, Stenhammar pro Scandinavia, et a Schærer, Hepp, Leighton et aliis pro variis terris) hic citare superfluum duxi, quia a nemine fere (saltem in Fennia) consuli possint, nam a nemine possidentur; raræ earum sunt aliæ ob pretium venale magnum, aliæ propter numerum exemplarium editorum valde exiguum (sic vix ullibi adsunt Lichenes suecici exsiccati, quos ediderunt Fries et Stenhammar, sed modo fasciculi quidam sparsi vel membra eorum disjecta). Tamen libros et collectiones etiam rariores vel lectori cuique non patentes citare debui, ubi origini nominis vel ubi sensui speciei cujusdam determinando inserviret.

Similiter fere prorsus omittendam hic habui, in synonymia allata, nomenclaturam Massalongo-Kœrberianam, utpote studiis parum probandis modo suffultam atque facile in errores summos et chaos systematicum informe trahentem, tamquam in scriptis meis sæpe ostendi. Schola hæcce sporologica peccat non solum opinione sporas basin sistere systematis, sed adhuc vel gravissime analysi microscopica omnino manca, sine qua tamen nihil certi scimus de textura organorum. Spermogonia deinde in schola eadem negliguntur, vel perperam sæpe (a Massalongo et Kœrber) indicantur.

At in primis nomina Acharii religiose citare studui, præsertim in partibus ubi hucusque minus bene cognita fuerint vel ubi in monographiis meis haud satis exponuntur. Herbarium Acharianum, semper interpretationi nominum patris Lichenographiæ regulam mihi dedit; tamen observandum, hoc herbarium nonnisi caute adhibendum fuisse, ob res diversas ibi

postea additas sæpe sub uno eodemque nomine occurrentes, quod ubicunque fit, nomen auctoris solum specimini archetypo (vel speciminibus in libris ejus expresse citatis) adtribuere necesse est, ita ut hoc nomen rei primitus ab auctore respectæ conservetur. Ante usum microscopii in Lichenibus determinandis nomina necessario, præcipue in speciebus ordinis inferioris, vaga observantur, nec igitur attendendum in herbario Achariano, ubi varia sub eodem titulo adsunt, nisi speciminibus primariis vel ab ipso citatis, quibus solis nomina ab auctore data adsignanda sunt. Exempli gratia nomen *Lecidea premnea* Ach. in *Lichenographia universali* specimine Anglico ab Afzelio misso nititur; hæc igitur Lecidea tantum vera esse potest *premnea,* nec nomen idem *Lecideæ grossæ* Pers. transferre (cum auctoribus plurimis posterioribus) licet, etiamsi Acharius ipse posterius eas ambas commiscuerit, æque ac Fries et alii. Si quidem auctor post edita scripta sua sensum nominis mutaverit, hoc distinguendum, neque confundendum cum re prima per se concipienda; scripta enim manent, sed mutationes opinionum aut herbariorum varios casus subire possunt, ideo autem nomenclatura scientiæ non est perturbanda.

In partibus, quæ in monographiis meis tractatæ exstant, synonymiam vix ullam afferendam habui, nisi auctorem primum citare nominis cujusvis et simul monographiam meam singulam (vel in *Synopsi* vel seorsim datam), ubi synonymiam ampliorem videre licet.

Quod ad terminologiam adtinet, sensus vocabulorum quorumdam hic adhibitorum breviter explicetur.

In anatome thalli systema gonidiale tres formas elementorum offert, scilicet 1:o *gonidia* (proprie sic dicta), membrana cellulari distincta involuta et vulgo contentum offerentia læte viride; 2:o *granula gonima* (vel *granula gonidialia*), nuda, viridi-pallescentia vel viridi-glaucescentia vel cœrulea (exempla: *Collemacei, Peltigera, Solorina, Nephromium, Stictina)*; 3:o

gonidia hymenea, gonidia peculiaria minora vel minutissima in thalamio (paraphysibus destituto) obvenientia *Pyrenocarpeorum* quorumdam (exempla: *Verrucaria pallida, umbrina*). *Chrysogonidia* dicuntur gonidia chlorophyllo vel endochromio aurantiacorubente (ex. gr. in *Platygrapha periclea* et *Arthonia pruinosa*).

Epithallus superficiem externam summam tenuissimam designat strati corticalis integri coloratam magisque sæpe induratam. Descriptiones nostræ, hic id observare liceat, semper ad statum Lichenum siccum factæ sunt, quo colores magis prodeunt privi manifestioresque cujusvis formæ.

Epithecium similiter superficiem superam exprimit *hymenii.*

Conceptaculum, hypothecium et *perithecium* termini sunt synonymi, at *hypothecium* vulgo accommodatur ad apothecia discoidea, *perithecium* ad apothecia pyrenodea (clausa); sistunt excipulum apotheciorum ("proprium", ut dicunt) vel stratum excipulare. *Hypothecium* vel *perithecium* albidum dicitur *incolor,* licet illud lateribus (h. e. parte externa laterali) coloratum sit *). *Receptaculum* nuncupatur portio thallina apothecia cingens (vel marginans) et excipiens; ab auctoribus sæpe confusum fuit cum ipsis apotheciis.

Hymenium (seu *thecium*) contentum conceptaculi indicat; *thalamium thecas*que complectitur et materia gummoso-amyloidea, *lichenina,* perfunditur (s. d. *gelatina hymenea*). Thalamium e *paraphysibus* vulgo consistit, aut in Lichenibus multis textura confuse vel minute cellulosa componitur; raro, ut in *Pyrenocarpeis* quibusdam, nullæ inveniuntur paraphyses.

Sporæ Lichenum aut sunt 1:o *incolores* (albæ, fere hyalinæ vel dilute flavæ sub microscopio), aut 2:o fuscescentes vel *fuscæ* vel nigricantes. Paries earum episporio et endosporio

---

*) Quum infra de hypothecio loquimur, de eo agitur, quale in lamina tenui apothecii secti conspicitur.

constituitur, quæ rarius distingui possunt; in *Sphærophoris* accedit episporio stratum tenue pigmenti nigri. Sunt sporæ dein aut uni-cellulares *(simplices* *)*)* aut varie divisæ vel septatæ.

Spermogonia, quæ semper formæ sunt pyrenodeæ, quoque conceptaculo gaudent (aut incolore aut colorato). *Sterigmata* aut sunt simplicia (h. e. non ramosa, nec articulata), aut ramosa, aut articulata. *Arthrosterigmata* dicuntur ea sterigmata, quæ sunt elongata et articulis pluribus brevibus composita, singulo plerumque articulo spermatium protrudente **).

Pycnides similiter conceptacula pyrenodea sistunt. *Basidia* appellantur cellulæ angustæ (sæpe breves) sporas earum *(stylosporas)* ferentes, singulum basidium unicam talem sporam gignens. At raro pycnides apud Lichenes observantur.

Apothecia *lecanorina* dicuntur ea discoidea, quæ margine receptaculari i. e. vere thallino (gonidia includente) cinguntur. *Lecideina* (patellaria) sunt similia, sed nullum marginem exci-

---

*) Terminus *simplex* tamen non omnino bonus, nam alio sensu datur sæpe elementis filamentosis non-ramosis aut non-articulatis.

**) In enchiridiis physiologicis solum duos videmus allatos modos, quibus cellulæ augentur, scilicet: 1:o *divisione cellulari* simplici (qui modus est longe frequentissimus), cellula singula se septo in binas et dein plures dividente, et 2:o *formatione cellularum intra cellulam matricalem* (quod observatur ex. gr. in ortu pollinis, atque sporarum intra thecas apud Cryptogamas). Huic modo jungi possit ex. gr. formatio initii tubi pollinici apud Coniferas intra pollen atque sporarum non-simplicium (quales sunt sporæ septatæ, murali-divisæ) in thecis. Accedit autem 3:o *progemmatio* ut modus, quo cellulæ novæ ex alia progerminant; in stylosporis observatur et in omnibus aerosporis Fungorum (ex. gr. in formandis sporis Hymenomycetum, in multiplicanda "Torula cerevisiæ", etc.). Distinguenda denique sit 4:o *spiculatio*, qua paries ipse cellularis in corpusculum prominens vel sæpe in spiculum protruditur et quod demum sejungitur tamquam elementum anatomicum peculiare; hoc in origine spermatiorum occurrit. Addenda autem est adhuc 5:o origo apud *Desmidiaceas* sporangiorum, quæ conjugatione individuorum duorum nascuntur, ita ut contentum utriusque extra cellulas parentales se miscens concrescat cellulamque discretam filiam formet.

pularem (sæpius autem proprium) præbentia; *biatorina* speciatim dicuntur quæ non sunt nigra, sed coloris varii alius. In *Umbilicariis* apothecia plerumque conspiciuntur lecideina et gyrosa; in *Graphideis* angustata et formarum diversarum *(lirellæ)*. Denique apothecia hic memorentur *pyrenocarpea* vel clausa, epithecio non expanso, sed semper contracto punctiformi *).

Lichenes quidam infimi ad fungos accedunt vel ambigui sunt **); in formis dubiis consulantur characteres microscopici

---

*) In *Synopsi* mea primo prodiisse crederem conclusionibus et definitionibus suis Organographiam et Anatomiam Lichenum scientiæ hodiernæ accommodatas et tamquam doctrinam (simul cum elementis ceteris ad studium horum vegetabilium) methodice expositas. Transcribere comparationis caussa liceat specimen breve ostendens quomodo hæ rationes in schola sporologica pura docentur, ex. gr. "L'*Apotecio* è un organo della massima importanza, ma per valutarlo debitamente ne esamineremo separatamente le varie parti di cui è composto, è sue attinenze: *a*) il luogo ove nasce, *b*) il podicello o fulcro, *c*) l'escipulo, *d*) il margine, *e*) il disco e il nucleo, *f*) l'ipotecio, *g*) gli aschi, *h*) le parafisi, *i*) gli sporidii, *l*) gli embrioni o nuclei, *m*) i gonidii" (Mass. *Monogr. dei Lich. Blasteniosp.* p. 7). Etiam gonidia sic in capite fructus intruduntur, e. s. p.

**) Cel. Fries (in *Bot. Notis.* 1857, p. 76 et in *Öfvers. Vet.Ak. Förh.* 1857, p. 155) contendit me (in *Öfvers. Vet.Ak. Förh.* 1855, p. 7—11) demonstrare voluisse, nullos limites inveniri inter divisiones, majores "Homonemearum", rem dicit omnino cognitam et igitur inutilem. In notula vero l. c. nihil tale demonstravi, contra animadverti, Algas (quibus in scriptis suis subjungit adhuc D. Fries Lichenes!) ægre affinitatem ullam offerre cum Lichenibus, his autem aliquando vel certis formis infimis confluere cum Fungis. Injuriæ impotentiæ signum sunt neque me tangunt. — Addere hoc loco liceat, me jam 1858 (in publicis lectionibus) proposuisse pro termino "Cryptogamæ" nomen *Sporophytæ*, nam illud jam minus aptum, quum scimus sexualitatem in iis magis quidem conspicuam esse vel magis animali similem quam in "Phanerogamis", quas simul *Embryophytas* nominavi. Nomen *Sporophytæ* deinde ab auctore germanico nuper adhibitum vidi; si hoc accipitur, etiam nomen *Embryophytæ*, eadem ratione, accipiendum erit. *Sporophytæ* ex mea dispositione systematica in 6 dividuntur classes; sunt scilicet *class.* I Filices, *class.* II Musci, *class.* III Charæ, *class.* IV Algæ, *class.* V Lichenes et *class.* VI Fungi.

sequentes: 1:o thallus gonidia continens vel adhuc crystallos octoëdricos oxalatis calcici, et 2:o apothecia gelatinam hymeneam offerentia iodo cœrulescentem vel vinose rubentem (tamen adsunt quædam *Pezizæ* et *Sphæriæ*, quibus saltem thecæ iodo apice cœrulescunt), qui characteres apud Lichenaceos (solos aliquando ambiguos) naturam lichenosam indicant thallo evanescente vel quando thallus extus non manifestus sit, sed obsoletus in substrato (lapide, ligno, cortice) innascitur.

Ordinem systematicum adhibeo quem semper eundem in scriptis meis secutus sum post 1854, quo anno lineamenta prima systematis mei edidi. Mox infra conspectus ejus dabitur. *Parmeliacei* (Lichenes evidenter maxime evoluti et *Stictis* fastigium adtingentes) in centro positi sunt et altera parte series observatur adscendens, altera contra series descendens; manifeste autem non de lineis vel figuris mathematicis hic agitur. Genera et species caute et sensu classico concipere studui. Nomina auctorum optimorum, quantum potui, conservavi, ita ex. gr. genera *Placodium* et *Squamariam* sensu Candolleano, primum scilicet definitum aliquid exprimente. Apud recentiores in hoc capite maxima confusio, maximum arbitrium. Quousque errat schola, quæ genera levissimis sporarum notis distinguit et ea sic sine modo ullo multiplicat, indicatum jam videtur a re cognita, Lichenes ita typis suis variis a plurimis partibus confluere et analogias intimas offerre, ut qui nonnisi genus unicum in quavis eorum divisione majore adspicere vellet haud in gravissimo versaretur errore. Immo in Fr. *L. E.* p. 248 legitur: "tam diu et a tot diversæ rationis observatoribus limites stricti inter Lichenum genera frustra quæsiti, ut eas inter omnia fere deficere tandem ingenue agnoscamus." Medium igitur tenere prudentissimum sit et scientiæ veræ maxime consentaneum.

Helsingforsiæ, d. 27 octobris, 1860.

AUCTORES LICHENOGRAPHICI.

Ach. *L. U.* — Acharius, *Lichenographia universalis*, Gotting., 1810.

Ach. *Meth.* — Acharius, *Methodus Lichenum*, Holm., 1803.

Ach. *Syn.* — Acharius, *Synopsis methodica Lichenum*, Lundæ, 1814. — Dein commentaria in Actis Academiæ Holmiensis (*V. Ac. H.*).

Babington, Lichenes Novæ Zelandiæ (1855).

Born. — Bornet, *Recherches sur la structure de l'Ephebe pubescens*, Paris, 1853. — *Trois Lichens nouveaux*, Cherb., 1857.

Borr. — Borrer et Turner, *Specimen of a Lichenographia britannica*, Yarmouth, 1839.

Carroll, *Contributions to irish Lichenology*, Dubl., 1859.

Coemans, *Notice sur quelques Cryptogames critiques de la Flore belge*, Bruxell., 1858.

Cornaz, *Enumération des Lichens jurassiques*, Neuchatel, 1852.

DC. *Fl. Fr.* — De Candolle, *Flore Française*, 3:me édit., Paris, 1805 (vol. VI, 1815).

Del. — Delise, *Histoire des Lichens, Genre Sticta*, Caen, 1825, et in Dub. *Bot. Gall.*

De Not. (l. DN.). — De Notaris, *Frammenti lichenographici*, 1844. — *Osservazioni*, 1851.

Dub. *B. G.* — Duby, *Botanicon gallicum*, Paris., 1830.

Dufour, *Révision des genres Cladonia* &c., Bruxell., — *Révision du genre Opégraphe* &c., Paris, 1818.

Dur. — Durieu de Maisonneuve in *Exploration Scientifique de l'Algérie*, Paris, 1846.

Eschw. — Eschweiler, Lichenes in Martius, *Flora Brasiliensi*, I, Stuttg. et Tub., 1829, et in *Icon. plant. cryptog.* (1828).

Fée, *Essai sur les Cryptogames des écorces exotiques officinales*, I, Paris, 1824; II, Supplém., 1837.

Flk. — Flœrke, *De Cladoniis commentatio*, Rostoch., 1828.

Flot. — Flotow, *Lichenes Floræ Silesiacæ*, 1850, et varia in *Linnæa* et alibi.

Fr. *L. E.* — Fries, *Lichenologia europæa reformata*, Lundæ, 1831.

Hag. — Hagen, *Tentamen historiæ Lichenum*, Regiom., 1782.

Hoffm. *Pl. Lich.* etc. — Hoffman, *Enumeratio Lichenum*, Erlangæ, 1784—1786. — *Plantæ lichenosæ*, Lipsiæ 1790—1801. — *Deutschlands Flora*, Erlang., 1791.

Hooker (J. D.), *The Cryptogamic Botany of the antarctic Voyage*, Lond., 1845.

Lightfoot, *Flora scotica*, Lond., 1777.

Humboldt, *Flora Fribergensis*, Berol., 1793.

Krb. *S. L. G.* — Kœrber, *Systema Lichenum Germaniæ*, Bresl., 1855—1858. — *Parerga lichenologica*, ibid., 1859, 1860.

Leight. — Leighton, *The British species of Angiocarpous Lichens*, Lond., 1851. — *A monograph of British Graphideæ*, 1854. — *A monograph of British Umbilicariæ*, 1856. — *New British Lichens*, 1857.

Le Jolis, *Lichens des environs de Cherbourg*, Cherb., 1859.

Lindsay, *Memoir on the Spermogones and Pycnides*, Edinb., 1859.

Lönnroth, *Till Gottlands Laf-flora* in *Öfvers. af Vetensk.Akad. Förhandl.* 1857.

Mass. *Ric.* etc. — Massalongo, *Ricerche* etc., Veronæ, 1852. — *Memorie lichenografiche*, ibid., 1853.

Meyer, *Nebenstunden* etc., Gœtt., 1825.

Montagne, *Sylloge* etc., Paris., 1856.

Norman, *Conatus præmissus redactionis novæ generum nonnullorum lichenum*, Christianiæ, 1852.

Nyl. *Syn.* etc. — W. Nylander, *Essai d'une nouvelle Classification des Lichens*, Cherb., 1854, 1855. — *Etudes sur les Lichens de l'Algérie*, ibid., 1854. — *Synopsis du genre Arthonia*, ibid., 1856. — *Prodromus Lichenographiæ Galliæ et Algeriæ*, Burdig., 1857. — *Monographia Calicieorum*, Helsingfors, 1857. — *Enumération générale des Lichens*, Cherb., 1858. — *Expositio synoptica Pyrenocarpeorum*, Andeg., 1858. — *Synopsis methodica Lichenum omnium*, Tom. I, Paris, 1858—1860. — *Herbarium Musei Fennici*, Helsingfors, 1859. — Etiam de Lichenibus Holmiæ etc. in *Botaniska Notiser*, 1852—1854, et Finlandiæ in *Notiser ur Sällskapets pro Fauna et Flora Förhandlingar*, II, IV *).

---

*) Præterea: *Additamentum in Floram Cryptogamicam Chilensem* (in *Ann. Scienc. natur.* 4, III, 1853), — *Lichenes in regionibus exoticis quibusdam*

Edwin Nylander ibidem, in vol. III, Lichenes Savolaxiæ et Alandiæ enumeravit (1857).

Persoon, in Usteri Annalibus et in Actis Societatis Wetteraviæ.

Rabenhorst, *Die Lichenen Deutschlands*, Lipsiæ, 1845.

Schær. *Enum.* — Schærer, *Enumeratio critica Lichenum europæorum*, Bern., 1850. — *Lichenum Helveticorum Spicilegium*, ibid., 1823—1846.

Sm. *E. Bot.* — Smith (et postremo Borrer), in *English Botany*, Lond., 1790—1842.

Smmrf. *Lapp.* — Sommerfelt, *Supplementum Floræ Lapponicæ*, Christianiæ, 1826.

Stenhammar, *Gottlands Laf-flora* (in *Vet. Ak. H.* 1845) et *Bidrag* &c. (in *Öfvers.* 1857).

Swartz, *Lichenes americani*, Norinb., 1811. — *Flora Indiæ occidentalis*, III, Erlang., 1806. — In *Nov. Act. Upsal.* &c. commentaria.

Tayl. *Hib.* — Taylor, in Mackay, *Flora Hibernica*, Dublin, 1836.

Torsell, *Enumeratio Lichenum et Byssacearum Scandinaviæ*, Upsaliæ, 1843.

Tuckerman, *An enumeration of North American Lichenes*, Cambr., 1845. — Supplem. I (1858). — Supplem. II (1859). — *Observations on North American and some other Lichenes* (1860)

Tul. *Mém. Lich.* — Tulasne, *Mémoire pour servir à l'histoire des Lichens* (in *Ann. Sc. nat.*, 3, XVII, 1852).

Whlnb. *Lapp.* — Wahlenberg, *Flora Lapponica*, Berolini, 1812. — *Flora Suecica*, II, Upsaliæ, 1826 (ed. altera, 1833).

Wallroth, *Compendium Floræ Germanicæ*, Norimb., 1831.

Weber, *Spicilegium Floræ Gottingensis*, Gothæ, 1778.

Westr. *Färgh.* — Westring, *Svenska Lafvarnes färghistoria*, Stockh., 1805.

---

vigentes (ibid., 4, XI, 1859), — *Prodromus expositionis Lichenum Novæ Caledoniæ* (ibid., 4, XII, 1860), etc. — Dein varia in *Flora*, in *Bulletin de la Société botanique de France*, etc.

Varii auctores addi possent, ut Villars, Lamarck, Ramond (illustris Pyrenæorum descriptor et Lichenum montis Pic du Midi), Des Moulins (enumerans Lichenes ejusdem montis), Aug. Le Prévost, Léveillé, Hampe, Trevisan, Deakin, v. Krempelhuber, Arnold, van den Bosch, Th. Fries (Stereocaula describens), Schwendener (analyses thallinas, non tamen omnino accuratas edens), præter plures præsertim veteriores.

COLLECTIONES LICHENUM PRÆCIPUÆ EDITÆ.

Arnold, Lichenes Exsiccati.

Desmazières, Cryptogames de France, 1824—1860.

Flörke, Deutsche Lichenen, 200 n:is, 1815—1821.

Fries et Stenhammar, Lichenes exsiccati Sueciæ, 350 n:is, 1824—1852 (alteram collectionem jam edere incepit rev. Stenhammar et aliam Th. Fries).

Funk, Kryptogamische Gewächse, Lips., 1806—1838.

Hampe, Lichenes exsiccati, 80 n:is.

Hepp, Die Flechten Europas, fasc. I—XII, 1853—1860.

Kœrber, Lichenes selecti, 1857 seq.

Leighton, Lichenes Britannici exsiccati, 1851 seq.

Massalongo, Lichenes exsiccati Italiæ. (Alios edidit cl. De Notaris.)

Mougeot, Stirpes cryptogamæ Vogeso-Rhenanæ, Bruyer., I—XV, 1810—1860.

Nylander, Herbarium Lichenum Parisiensium, Paris., 150 n:is, 1854, 1855.

Reichenbach et Schubert, Lichenes exsiccati, 150 n:is, 1823—1826.

Schærer, Lichenes Helvetici exsiccati, 600 n:is, 1823—1849.

Sommerfelt, Plantarum cryptogamicarum Norvegicarum centuriæ II, 1826—1830.

Zwackh, *Lichenes exsiccati.*

DISPOSITIO SYSTEMATICA.

Classis LICHENUM.

Fam. I. COLLEMACEI.

		Genera.
	Trib. I. LICHINEI . . .	1. Gonionema *Nyl.* 2. Spilonema *Born.* 3. Ephebe *Fr.* 4. Lichina *Ag.* 5. Pterygium *Nyl.*
	Trib. II. COLLEMEI . . .	6. Synalissa *DR.* 7. Pyrenopsis *Nyl.* Paulia *Fée.* Omphalaria *DR.* 8. Collema *Ach.* 9. Leptogium *Fr.* Hydrothyria *Russ.* Obryzum *Wallr.* 10. Phylliscum *Nyl.* Heterina *Nyl.*

Fam. MYRIANGIACEI.

(Trib. I. MYRIANGIEI . . Myriangium *Mnt.* et *Berk.*)

Fam. II. LICHENACEI.

Series I. EPICONIODEI.	Trib. I. CALICIEI . . .	11. Sphinctrina *Fr.* 12. Calicium *Ach.* 13. Coniocybe *Ach.* 14. Trachylia *Fr.* Pyrgillus *Nyl.*
	Trib. II. SPHÆROPHOREI	15. Sphærophoron *Pers.* Acroscyphus *Lév.* Gomphillus *Nyl.*
Series II. CLADONIODEI.	Trib. III. BÆOMYCEI . .	16. Bæomyces *Pers.* Glossodium *Nyl.* Thysanothecium *Berk.*
	Trib. IV. CLADONIEI . .	17. Cladonia *Hffm.* 18. Pilophoron *Tuck.*
	Trib. V. STEREOCAULEI	19. Stereocaulon *Schreb.* Argopsis *Th. Fr.*
Series III. RAMALODEI.	Trib. VI. ROCCELLEI . .	Roccella *Bauh.*
	Trib. VII. SIPHULEI . . .	20. Siphula *Fr.* Thamnolia *Ach.*
	Tr. VIII. USNEEI	21. Usnea *Hffm.* Neuropogon *N.* et *Flot.* 22. Chlorea *Nyl.*

			Genera.
Series III. RAMALODEI.	Trib.	IX. RAMALINEI . . .	23. Alectoria *Ach.* 24. Evernia *Ach.* Dufourea *Ach.* Dactylina *Nyl.* 25. Ramalina *Ach.*
	Trib.	X. CETRARIEI . . .	26. Cetraria *Ach.* 27. Platysma *Hffm.*
Series IV. PHYLLODEI.	Trib.	XI. PELTIGEREI . .	28. Nephroma *Ach.* 29. Nephromium *Nyl.* 30. Peltigera *Hffm.*
	Trib.	XII. PARMELIEI . . .	31. Solorina *Ach.* 32. Stictina *Nyl.* 33. Sticta *Ach., Nyl.* 34. Ricasolia *DN.* Everniopsis *Nyl.* 35. Parmelia *Ach.* 36. Physcia *Fr.*
	Trib.	XIII. GYROPHOREI . .	37. Umbilicaria *Hffm.*
	Trib.	XIV. PYXINEI	Pyxine *Fr.*
Series V. PLACODEI.	Trib.	XV. LECANOREI . .	38. Psoroma *Fr.* Gymnoderma *Nyl.* 39. Pannaria *Del.* Coccocarpia *Pers.* Erioderma *Fée.* Heppia *Næg.* Cora *Fr.* Dichonema *N. ab Es.* 40. Amphiloma *Fr.* 41. Squamaria *DC.* 42. Placodium *DC.* 43. Lecanora *Ach.* Glypholecia *Nyl.* Peltula *Nyl.* Dermatiscum *Nyl.* 44. Urceolaria *Ach.* Dirina *Fr.* 45. Pertusaria *DC.* 46. Varicellaria *Nyl.* 47. Phlyctis *Wallr.* 48. Thelotrema *Ach.* Ascidium *Fée.* Gymnotrema *Nyl.* Belonia *Krb.* Cœnogonium *Ehrnb.* Byssocaulon *Mnt.*
	Trib.	XVI. LECIDEEI . . .	49. Lecidea *Ach.* Gyrothecium *Nyl.* 50. Odontotrema *Nyl.*
	Trib.	XVII. XYLOGRAPHIDEI	Lithographa *Nyl.* Xylographa *Fr.* 51. Agyrium *Fr.*
	Trib.	XVIII. GRAPHIDEI . .	52. Graphis *Ach.* Thelographis *Nyl.* Helminthocarpon *Fée.*

		Genera.
Series V. PLACODEI.	Trib. XVIII. GRAPHIDEI	Leucographa *Nyl.* 53. Opegrapha *Ach.* 54. Platygrapha *Nyl.* Stigmatidium *Mey.* 55. Arthonia *Ach.* 56. Melaspilea *Nyl.* Lecanactis *Eschw.* Schizographa *Nyl.* Glyphis *Ach.* Chiodecton *Ach.* Mycoporum *Flot.*
Series VI. PYRENODEI.	Trib. XIX. PYRENOCARPEI.	Thelocarpon *Nyl.* 57. Normandina *Nyl.* 58. Endocarpon *Hedw.* 59. Verrucaria *Pers.* 60. Limboria *Fr.* Thelenella *Nyl.* Endococcus *Nyl.* Thelopsis *Nyl.* Strigula *Fr.* Sarcopyrenia *Nyl.* Melanotheca *Fée.* Trypethelium *Ach.* Astrothelium *Eschw.*

Numeris in hac dispositione genera sola designavimus, quæ in Scandinavia occurrunt; cetera in terris aliis telluris vigent.

Definitiones in sequentibus datæ generum species respiciunt præsertim Scandinavicas.

Observetur adhuc, in Lichenibus inferioribus diversitates sporarum frequentiores esse et majores; inde hic campum vastissimum et maxime commodum invenerunt sporologi. In solo ita genere *Thelotremate* (sensu Achariano et meo), in quo cognitæ sunt jam 45 species, 20 et ultra genera sporologica facili negotio conficerentur. Cui autem bono? Quantum quidem video, nonnisi ad confusiones informes neologiis itur talibus dissolutis, quæ affinia sæpe divellunt et nomenclaturam nominibus inutilibus obruunt. Quomodo fundamentum sporologicum generum perdite amantes, vanum et fragile colunt idolum, ostendi etiam videtur ab ea re, ut sporæ quævis magis evolutæ statu juniore sint simpliciores vel quidem primo omnino simplices.

CLASSIS LICHENUM.

Thallus strato gonidiorum aut granulis gonimis varie dispositis præditus, sæpissime (in crustaceis saltem) crystallos oxalatis calcici continens. Fructus thecasporeus, gelatina hymenea iodo speciebus plurimis cœrulescens vel aliis rubens. Spermogonia conceptaculis pyrenodeis discreta ab apotheciis, et aut in eodem thallo ac apothecia obvenientia, aut seorsim, in thallis diversis, ut adsint et Lichenes monoici et dioici; vulgo autem sunt monoici, sat pauci constanter dioici.

Sicut thalli typo peculiari, forma et structura, dignoscuntur Lichenes a Fungis, ita *familiæ* et earumdem subdivisiones præcipuæ diversitatibus thalli potissime superstruuntur. Interdum tamen differentiæ apotheciorum vel spermogoniorum distinctiones has determinant. Regulæ hic non mathematicæ esse possunt.

Seriem tribuum generumque ordine, quem natura ipsa jubere videtur, in sequentibus exponere tentatum fuit. *Collemacei* primi locum habent, utpote quodammodo versus Algas vergentes; *Myriangium*, loci ambigui, intercedentis, eos sequitur. *Lichenacei* deinde serie adscendente typos erectos sistunt (incipientes simplicissimis *Calicieis*), fastigium formis amplis frondosis adtingunt et in seriem descendentem typis depressis (sensim crustaceis) abeunt tandemque thallo evanescente cum Fungis analogis fere confluunt.

Familia I. — COLLEMACEI.

Thallus coloris nigri, fusci, obscure olivacei, raro cinerascentis (glaucescentis), forma varius, sectione nitida obscura; granula gonima aut moniliformi-disposita aut variis modis sparsa in substantia thalli gelatinosa. Apothecia sæpissime lecanorina, rarius biatorina, raro endocarpea (sæpius pseudo-endocarpea); vulgo ea sunt rufescentia (raro nigra), intus albida vel pallida.

Trib. I. — LICHINEI.

Thallus parvus vel minutus filiformis cæspitose fruticulosus aut depresso-implexus; granulæ gonima moniliformi-connata vel varie concreta. Apothecia lecanorina, biatorina vel lecideina, aut endocarpea; sporæ 8^{næ} incolores. — Saxicolæ.

I. — **GONIONEMA** Nyl.

Thallus filiformis granulis gonimis in axem unicum centralem concatenatis. Apothecia concolora biatorina vel gyalectoidea.

1. **G. velutinum** Nyl. *Syn.* p. 88, t. 1, f. 11; *Collema velutinum* Ach. *Syn.* p. 329, Smmrf. *Cr. Norv.* 71.

Thallus fuscus valde tenuis (crassit. 0,02 millim.), dense pannoso-contextus (pannum nigricantem formans crassitiei circa 1 millim. vel parum ultra); apothecia concaviuscula (latit. 0,5—0,8 millim.; sporæ ellipsoideæ simplices.

Ad saxa in alpibus Sueciæ et Norvegiæ (ad rupes in Nordlandia).

II. — **SPILONEMA** Born.

Thallus cylindricus tenellus fruticulosus ramosus, intus granulis gonimis magnis transversim stratosus. Apothecia lecideina lenticularia.

1. **Sp. paradoxum** Born., Nyl. *Syn.* p. 89, t. 2, f. 4.

Thallus fusco-niger pannoso-intricatus (altit. 2—3 millim.); apothecia nigra (latit. 0,4—0,5 millim.) convexiuscula immarginata; sporæ oblongæ simplices.

In Finlandia occidentali, Siikais, id legit cl. A. J. Malmgren, ad saxa granitica. — Forsan *Bangia mammillosa* Lyngb. *Hydrophyt. Dan.* p. 85, t. 25, e Norvegia, sit status *Spilonematis*.

III. — EPHEBE Fr., Born.

Thallus cylindricus fruticulosus ramosus (habitu *Spilonematis*), intus granulis gonimis magnis transversim stratosus, parte centrali distincte elongato-cellulosa. Apothecia in incrassationibus thalli inclusa endocarpoidea.

1. **E. pubescens** Fr., Born., Nyl. *Syn.* p. 89, t. 2, f. 1 et 17—20.

Thallus fusco-niger filiformis ramosissimus, tenuiter rugulosus, pannum sæpius decumbentem (crassitiei 3—5 millim.) formans.

Supra saxa granitica humida in Scandinavia satis frequens.

IV. — LICHINA Ag.

Thallus fusco-ater fruticulosus firmulus, intus granulis gonimis cœrulescentibus sub strato corticali dispositis. Apothecia terminalia in receptaculis thallinis globosis recepta, lecanorina (licet faciei pyrenodeæ); sporæ ellipsoideæ simplices.

1. **L. pygmæa** Ag., Nyl. *Syn.* p. 91, t. 2, f. 16.

Thallus cæspitose ramosus, fere semi-pollicaris altitudinis, superne compressus.

Ad saxa littoralia Sueciæ meridionalis.

2. **L. confinis** Ag., Nyl. *Syn.* p. 92.

Similis præcedenti, modo minor, thallo teretiusculo (non compresso), cæspitulo densiore.

Ad aquam in scopulis Finlandiæ australis et oræ occidentalis peninsulæ scandinavicæ.

V. — **PTERYGIUM** Nyl.

Thallus adpressus tenuiter divisus, ambitu radians, intus sectione polita, granulis gonimis (sæpe moniliformi-concretis) sub strato corticali præcipue dispositis; lamina tenuis thalli latere infero cœrulescens. Apothecia lecideina.

1. **Pt. pannariellum** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 236.

Thallus obscure olivaceus vel olivacee fusco-nigricans opacus intricatus, ambitu radiatus, medio subcoralloideo-multifidus vel microphyllinus, laciniis ambitus tenuibus (passim planis) densis vel imbricato-confertis multifidis obsolete rugulosis, mediocris (latit. circa pollicaris, altit. 0,5—1 millim.), medio sæpius diffracto-glebulosus; apothecia non visa.

Supra rupes graniticas Savolaxiæ, ad ripas lacuum (Edwin Nylander); in Satakunta (A. J. Malmgren). Etiam in Suecia (ex hb. Ach.).

2. **Pt. asperellum** (Ach.). — *Collema asperellum* Ach. *L. U.* p. 629, *Syn.* p. 308.

Sat simile *Pterygio pannariello*, thallo teneriore, ambitu fibrillose radiante, radiis fibrilliformibus subcylindricis rugulosis, centro minute granuloso (diametro granulorum et radiorum subæqualibus); apothecia non vidi.

Supra calcem (transitionis) ad Mare Glaciale (Wahlenberg).

Trib. II. — COLLEMEI.

Thallus maxime varius, crustaceus, granulosus, vel lobatus, laciniatus, vel microphyllinus; granula gonima glauco-virentia, aut moniliformi-disposita aut varie dispersa. Apothecia lecanorina, aut paucis biatorina, adhuc paucioribus endocarpea.

I. — **PYRENOPSIS** Nyl.

Thallus crustaceus tenuis granulato-areolatus, laxe cellulosus (granulis gonimis in his cellulis receptis). Apothecia urceolato-

innata in receptaculo prominulo marginante (margine sæpius tumidulo connivente), thallo concolora, minuta.

1. **P. fuliginea** (Whlnb.) Nyl. *Syn.* p. 97.

Thallus ater, areolis minutis opacis fere scabriusculis prominulis et laxe substrato adfixis; apothecia margine thallino elevato et connivente cincta (ostiolum formante poriforme); sporæ 8nae ellipsoideæ, longit. 0,011—16, crassit. 0,008—9 millim., paraphyses haud bene discretæ. Gelatina hymenea iodo non tincta (lutescens).

In Finmarkia ad rupes calcareas aqua nivali suffusas.

2. **P. iocarpa** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus nigricans vel fusco-ater tenuis areolatus rugulosus opacus, areolis minutis contiguis planiusculis vel verruculosis, effusus, intus nigricans; apothecia pyrenocarpoidea pallida immersa (vel epithecio vel ostiolo nonnihil prominulo), parva (latit. circa 0,2 millim.), perithecio (lamina tenui viso) violacee colorato; sporæ oblongæ vel oblongo-ovoideæ simplices (solum septo medio obsoleto quasi tenuissime sæpius 1-septatæ ibique obsolete sæpius constrictæ), longit. 0,018—22, crassit. 0,009 millim., paraphyses graciles haud bene discretæ. Gelatina hymenea iodo non tincta (lutescens), protoplasma solum thecarum iodo vinose rubens.

Supra scopulos graniticos ad Christinestad juxta ipsam aquam maris (A. J. Malmgren, 1859).

Thallus textura sat laxa, e glomerulis vel nodulis gelatinoso-cellulosis formatus granula gonima continentibus. Apothecia forte haud semper pyrenocarpea.

3. **P. grumulifera** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus fusco-niger tenuis effusus inæqualis subareolatus; apothecia concolora lecanoroidea minuta (latit. 1–1,5 millim.) prominula, epithecio angusto, margine tumido fere connivente cincta; thecæ polysporæ, sporæ minutissimæ in iis massam granulosam referentes (crederem veras sporas sistere), paraphyses non discretæ, hymenium et hypothecium incolora. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens, dein vinose rubens.

Supra saxa granitica in Ostrobottnia australi, Jurva, eam legit cl. A. J. Malmgren (crescentem cum *Sirosiphone saxicola*).

4. **P. rufescens** Nyl. in *Hb. Mus. Fenn.* p. 109.

Thallus obscure rufus effusus, e granulis constans planiusculis rugoso-nodulosis opacis, sæpe contiguis, rotundato-difformibus (latit. circa 0,5 millim., vel paullo ultra); apothecia plerumque plura in quovis granulo thallino, intus albida (non rite evoluta visa).

Supra saxa micaceo-schistosa in Lapponia Kemensi (Edwin Nylander).

Lamina tenui visus thallus extus et pro magna parte e cellulis conspicitur formatus rubricosis (sicut plerumque in hoc genere). Paraphyses distinctæ. — Adhuc aliam speciem male solum evolutam e Lapponia habet Museum Fennicum. Pyrenopses Europææ binæ novæ sunt *P. subareolata* Nyl. (e Gallia occidentali, ubi lecta a cl. Pelvet) et *P. riparia* (Psorotichia riparia Arn. in *Flora* 1859, p. 145).

II. — SYNALISSA DR., Nyl.

Thallus nigricans minutus variæ formæ, tenuiter crustaceus aut grosse fruticuloso-divisus; granula gonima in globulis gelatinoso-cellulosis contenta. Apothecia innata concolora.

1. **S. meladermia** Nyl. *Syn.* p. 96.

Thallus fusco-niger membranaceo-incrustans rigens tenuis (crass. circa 0,2, in statu humido 0,4 millim., et lamina tenui visus rubidus); apothecia non visa.

Supra lapides in Enari (Edwin Nylander).

2. **S. symphorea** (DC.) Nyl. *Syn.* p. 94; *Collema synalissum* Ach.

Thallus ater fastigiato-divisus, ramulis confertis teretibus obtusis (interdum modo noduliformibus); apothecia terminalia, epithecio impresso punctiformi, demum dilatato, margine tumido thallino cincta; sporæ 8—24^{næ} ellipsoideæ vel sphæricæ.

Inter squamas *Lecideæ luridæ* adhuc in Dovre Norvegiæ (W. P. Schimper). — Forte *S. sphærospora* Nyl. l. c. non differt.

III. — **COLLEMA** Ach., Nyl.

Thallus varius, sæpissime granulis gonimis moniliformi-cohærentibus; stratum corticale discretum nullum. Apothecia rufescentia lecanorina; sporæ 8næ simplices aut sæpius varie divisæ.

1. **C. furfurellum** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 229.

Thallus niger vel fusco-ater totus tenuissime furfuraceo-granulosus effusus aut in verrucis furfuraceis parvis (latit. circa 1 millim.) dispersus, admixtis granulis paullo majoribus convexis fertilibus; apothecia synalissina (subpyrenodeo-lecanorina) in granulis his impressa; sporæ breviter ellipsoideæ, longit. 0,011—17, crassit. 0,008—0,011 millim., paraphyses discretæ. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Supra saxa granitica, interdum aqua suffusa, prope Helsingfors, sæpe late expansum. Quoque ad Salam in Suecia.

Facile pro *Pyrenopsi* sumitur, sed granula ejus gonima sunt moniliformi-disposita. Affine nulli alii, sed potius novæ sectionis in hoc genere. Thallus minute confuse cellulosus; granula gonima glauco-virescentia sæpius 2—4 cohærentia. Granula thalli apotheciifera latit. 0,3 millim. vel paullo ultra. Spermatia oblongo-cylindrica, sterigmata simpliciuscula. Quoque in Gallia (Pelvet).

2. **C. granuliforme** Nyl. l. c. p. 230.

Thallus fusco-niger granulato-areolatus, plagulas parum dilatatas formans, areolis fere granuliformibus vel subverrucosis parvis (altit. vix 0,2 millim. excedentibus); apothecia non visa.

Supra rupes graniticas prope Helsingfors.

Thallus intus totus minute cellulosus, cavitatibus plerumque rotundatis, accedentibus cavitatibus aliis rare sparsis oblongis vel rotundatis majoribus parietc crassulo circumdatis et granula gonima majuscula continentibus (singulum in quavis cavitate tali majore). Spermatia oblongo-cylindrica. Pertinere videtur fere ad sectionem *Collematis diffracti* Nyl. vel ad novam. Textura thallina a *Pyrenopsi* differt.

3. **C. chalazanum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 104.

Thallus ater difformiter lobatus vel laciniatus, ambitu crenulato-granulatus, vel obducens; apothecia parva rufa a mar-

gine thallino tumidulo cincta; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,020—24, crassit. 0,008 - 0,013 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Supra muscos (præsertim *Ceratodontem purpureum*) rupium Helsingforsiæ, et verisimiliter quoque in cetera Scandinavia.

4. **C. myriococcum** Ach., Nyl. l. c., t. 4, f. 21.

Simile præcedenti; apothecia forte magis aggregata, in tuberculis thallinis inclusa; sporæ globosæ vel subglobosæ, diam. 0,009—0,012 millim.

Supra muscos in Suecia, et adhuc in Lapponia (Edwin Nylander). Forsitan haud specie distinguendum a præcedente.

5. **C. flaccidum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 107.

Thallus obscure virens vel fusco-virens membranaceus lobatus, lobis majoribus expansis flexuosis; apothecia rufescentia plana fere mediocria; sporæ ovoideæ vel late fusiformi-oblongæ septato-divisæ.

Ad rupes sylvaticas, rarius ad truncos arborum, in fere tota Scandinavia passim.

6. **C. furvum** Ach., Nyl. l. c.; *Collema tunæforme* Ach.

Thallus obscure fusco-virens vel nigro-olivaceus membranaceus lobatus, lobis complicatis; apothecia fusca plana; sporæ ut in præcedente.

Supra rupes graniticas et calcis primitivæ in Suecia et Finlandia rarius.

Lamina tenuis thalli iodo tantummodo post desiccationem sanguineo-rubens; in *flaccido* autem nec mox, nec desiccata, tincta (nisi lutescens). Superficies thalli sæpissime pro parte granulato-furfuracea. Thallus latit. circa 2—3-pollicaris. *C. plicatile* Ach., quoad specimina Suecica, huc pertinet.

7. **C. melænum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 108.

Thallus nigricans vel nigro-olivaceus orbiculatim laciniatus, laciniis elongatis infra convexis, marginibus elevatis undulatis crenatis, interdum complicatus; apothecia plana, margine thallino (sæpe crenulato) cincta; sporæ ut in binis præcedentibus.

Ad saxa calcarea in Scandinavia rarum. Adhuc in Lapponia, sed nondum in Fennia lectum.

8. **C. plicatile** Ach. pr. p., Nyl. *Syn.* p. 109.

Thallus fusco-olivaceus lobatus complicatus, margine sæpe crispatus; apothecia rufescentia plana, margine thallino integro; sporæ ut in tribus præcedentibus.

Ad saxa in Suecia et in Norvegia rarum (*C. fasciculare* Smmrf. *Cr. Norv.* 164 est *plicatile* minus). Etiam in Islandia.

9. **C. pulposum** Ach., Nyl. l. c.

Thallus obscure virescens vel fusco-olivaceus orbicularis lobatus, lobis subimbricatis, sæpe plicatis; apothecia rufescentia fere mediocria plana, margine thallino integro cincta; sporæ ovoideæ, vulgo 3-septatæ (vel adhuc septulis sensu longitudinali divisæ), longit. 0,016—24, crassit. 0,007—0,010 millim.

Supra terram et muscos in Scandinavia passim, præsertim in regionibus calcareis (vel ubi terra particulis calcareis est inspersa).

Var. *tenax* (*Coll. tenax* Ach.) differt thallo obscure glaucescente vel virescente, apotheciis innatis (receptaculo minus prominulo); rarius. — Var. *hydrocharum* (*Coll. hydrocharum* Ach. *L. U.* p. 642) differt a typo thallo rigidiore glauco-cinerascente; ad saxa calcarea Gottlandiæ. *C. placyntium* Ach. *Syn.* p. 342 vix differt a *pulposo* typico.

10. **C. limosum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 110.

Thallus obscure vel sordide virescens tenuis adnatus; apothecia rufa mediocria (latit. 1,5—2 millim.), margine thallino attenuato vix prominulo cincta; sporæ ut in præcedente.

In Suecia rarum videtur. Adhuc ibi ad Holmiam adest.

11. **C. crispum** Ach. *Syn.* p. 312, Nyl. l. c.

Thallus olivaceo-fuscescens vel fusco-nigricans orbicularis lobato-divisus vel subradiatus, marginibus granulatis et crenatis; apothecia obscure rufescentia, margine thallino granulato cincta; sporæ fere ut in *pulposo*.

Supra terram muscosam, particulis calcis immixtam, saltem in Suecia media et ad Helsingfors parce.

12. **C. cheileum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 111.

Thallus obscure olivaceus vel fusco-nigricans lobatus aut crenato-granulosus; apothecia obscure rufa plana mediocria, margine thallino granulato cincta; sporæ oblongo-ellipsoideæ, sæpe 3-septatæ (vel submurali-divisæ), longit. 0,025—40, crassit. 0,010—16 millim.

Supra terram calcaream et muros in Suecia meridionali. Verisimiliter quoque in Dania.

Thallus totus texturæ cellulosæ, granulis gonimis sparsis (raro nonnullis moniliformi-adhærentibus), elementis filamentosis parcis vel vix ullis. *C. crispum* var. *nudum* Schær. est forma platyphylla, thallo lobato, sæpius nudo. Acharius sub *Collemate cheileo* suo commiscuit statum depravatum *Pannariæ brunneæ* (ex hb. Ach.).

13. **C. rivulare** Ach. pr. p., Nyl, l. c., t. 4, f. 6.

Thallus cinereo-virescens vel obscure cinereo-glaucescens membranaceus lobatus, lobis flexuosis, intus totus cellulosus; apothecia obscure rufa, sæpius minora, margine thallino integro; sporæ ellipsoideæ, plerumque 3-septatæ, longit. 0,016—23, crassit. 0,007—9 millim.

Supra saxa in rivulis Sueciæ rarum (datum in Fr. *L. S. exs.* 298).

14. **C. nigrescens** Ach., Nyl. *Syn.* p. 114.

Thallus olivaceo-virescens vel nigro-virescens tenuiter membranaceus submonophyllus orbicularis adpressus rotundato-lobatus, radiatim rugoso-plicatulus; apothecia obscure rufa plana, margine thallino integro cincta; sporæ fusiformi-cylindraceæ (sæpe pluries septatæ), longit. 0,034—42, crassit. 0,005 millim.

Ad truncos arborum, præsertim populi, in Scandinavia tota passim.

15. **C. aggregatum** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 115, t. 2, f. 8.

Thallus nigro-virescens vel fusco-olivaceus membranaceo-lobatus plicatus difformis, lobis interdum crenatis; apothecia obscure rufa vel rufa et sporæ ut in præcedente.

Ad truncos arborum et supra muscos in Suecia, saltem magis meridionali et in Norvegia.

16. **C. evilescens** Nyl.

Thallus nigricans sat tenuis inæqualis (passim subgranulosus) subdeterminatus; apothecia biatorina pallida vel sordida minuta prominula, supra leviter impressa; (sporæ massam grumulosam sistentes, sin rite evolutæ?), paraphyses elongatæ confertæ valde graciles. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Supra terram (inter muscos minores) prope Salam in Suecia, rarum.

Thecæ, ut videntur, myriosporæ, sporis minutissimis; at fateor me non certum esse, an sint sporæ rite evolutæ. Ulterius observandum. Species est incerti adhuc loci in hoc genere, sectionis propriæ: thallo e globulis gelatinosis composito, granula gonima minuta nonnulla (raro submoniliformi-disposita) continentibus. Thallus facie *Lecideæ uliginosæ* tenuis vel *Lecideæ terrigenæ* Ach. Olim a cel. Fries (1852) determinata fuit "Biatora campestris", at hoc nomen *L. E.* p. 265 pertinet ad *Pezizam Mougeotii* Pers. valde dissimilem cupulis majoribus (latit. 0,4—0,5 millim.) testaceo-rufis, sporis 8nis ellipsoideis mediocribus et gelatina hymenea iodo lutescente.

IV. — **LEPTOGIUM** (Ach. *L. U.* p. 654) Mnt., Nyl.

Thallus fere similis ac in *Collemate*, sed (plerumque tenuior) strato corticali celluloso (serie cellularum sæpius simplici), aut thallus totus aliis cellulosus. Apothecia lecanorina, faciei vulgo biatorinæ (margine scilicet thallino supra epithecii colore vel dilutiore), vel subbiatorina; sporæ 8næ ovoideæ vel ellipsoideæ varie septatæ vel divisæ, unicæ speciei (sp. 13) 1-septatæ. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

1. **L. amphineum**. — *Collema amphineum* Ach. mscr.

Thallus olivaceus vel fusco-virescens adnatus tenuiter obducens vel subcrustæformis inæqualis (vix vero lobatus); apothecia obscure rufescentia parva concaviuscula; sporæ (solitæ in hoc genere) ellipsoideæ vel ellispoideo-ovoideæ 3-septatæ et varie divisæ, longit. 0,023—27, crassit. 0,009—0,011 millim.

Supra terram in Suecia meridionali, Bahusia, lectum ab Aspegren (ex hb. Ach.).

Affine videtur *Leptogio humoso*, sed thallo continuo magis æquali minusque obscuro, apotheciis rufescentibus. Thallus intus totus cellulosus, cellulis granula gonima continentibus.

2. **L. humosum** Nyl. *Syn.* p. 119.

Thallus fuscus vel fusco-nigricans e granulis lobulatis arcte aggregatis constans effusus, sat tenuis; apothecia concolora parva concaviuscula; sporæ pluri-loculares ovoideæ, longit. 0,020—34, crassit. 0,008—0,011 millim.

Supra terram humosam prope Nyslott (Savonlinna) Finlandiæ (Edwin Nylander).

Facie externa fere *Lecideæ uliginosæ*. *Leptogio spongioso* affine, differt autem thallo minus evoluto, apotheciis minoribus concoloribus, etc.

3. **L. spongiosum** Nyl. *Syn.* p. 119, t. 4, f. 10 (non *Lichen spongiosus* Sm. *E. Bot.* t. 1374).

Thallus fuscus vel fusco-virescens microphyllinus, in crustam granulosam congestus; apothecia biatorina fusco-rufa concava, margine dilutiore; sporæ ut in *humoso* vel paullo majores.

Supra terram humosam vel turfaceam in Suecia et Finlandia sat rarum. (Apud Acharium latet sub *Coll. microphyllo* muscicola, *L. U.* p. 630).

4. **L. pusillum** Nyl. *Syn.* p. 121.

Thallus olivaceo-fuscescens vel virescenti-fuscus minutissimus adnatus lobulato-granulosus; apothecia rufescentia minuta (latit. 0,2 millim.) elevato-prominula (excipulo thallino recepta, margine epithecio concolore); sporæ ovoideæ (vel utroque apice angustiores) 3—4-septatæ, longit. 0,018—26, crassit. 0,008—0,010 millim.

Supra frustula cimenti vetusti Upsaliæ (in Slottsbacken).

5. **L. lacerum** (Sw.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 122, t. 2, f. 6.

Thallus plumbeo-fuscescens membranaceus longitudinaliter varie rugulosus vel ruguloso-plicatulus lacero-laciniatus, marginibus dentatis vel ciliato-dentatis; apothecia pallide rufa mediocria (vel sat parva) rara; sporæ solitæ vel fere muralidivisæ.

In muscosis (supra terram et rupes) et ad radices arborum in Suecia, potissime meridionali.

Var. *pulvinatum* (Ach.) Nyl. l. c., differt thallo minore fuscescente vel fusco pulvinato, lobis minus confertis denticulato-laciniatulis, vix fructiferum; in montanis Scandinaviæ adhuc mediæ supra muscos. — *Collema tenuissimum* Ach. *L. U.* p. 659, *Syn.* p. 328, pro maxima parte respicit formam minorem vel minutam *Leptogii laceri*, quo *L. subtile* est minus teneriusque, apotheciis et sporis minoribus. In *tenuissimo* sporæ long. 0,023—30, crass. 0,010—13 millim. Est *L. subtilis* Sm. *E. Bot.* t. 1008.

6. **L. subtile** (Schrad.) Nyl. l. c. (excl. syn. pro p.)

Thallus sordide glauco-virescens vel obscure virescens microphyllinus subtiliter-divisus, laciniatulo-dissectus vel granuloso-crenatus tenuissime imbricatus, intus totus cellulosus; apothecia pallide rufescentia parva (latit. circa 0,3—0,4 millim.) concaviuscula (faciei gyalectinæ); sporæ solitæ hujus generis, longit. 0,018—22, crassit. 0,008—0,010.

Ad corticem quercus in Suecia (ex hb. Ach., "Coll. triptophyllum" inscriptum); simile specimini Schraderi terrestri e Germania (hb. Ach.). Est *L. tenuissimus* Sm. *E. Bot.* t. 1427.

7. **L. scotinum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 123; *Lichen sinuatus* Bernh. (ex specim. Schrad.).

Thallus plumbeo-fuscescens vel fuscescens laciniato-lobatus plicatus, tenuiter rugulosus, mediocris, marginibus interdum crenatis; apothecia fusco-rufescentia sat parva concaviuscula; sporæ ut in *lacero*.

Supra muscos in Scandinavia, usque in Sueciam mediam et Finlandiam australem; etiam supra terram.

Forte nimis affine *lacero*, a quo præcipue differt laciniis non denticulatis, nec fimbriatis.

8. **L. firmum** Nyl. ("L. scotinum var. firmum" Nyl. in litt.).

Thallus olivaceo-fuscescens vel plumbeo-fuscescens lobatus minor, lobis inæqualibus variis (non vel vix rugulosis, sæpe pro parte quasi granuloso-furfuraceis) firmulis congestis; apothecia fusca vel rufescenti-fusca fere mediocria concaviuscula; sporæ solitæ (fere murali-divisæ), longit. 0,027—30, crassit. 0,010—16 millim.

Ad Marstrand supra rupes micaceo-graniticas nudas id legit Dr Grewe.

Habitu subsimile *Collemati furvo*, sed fere paullo minus thalloque tenuissime (vel inconspicue) celluloso-corticato. Affine videtur *scotino*, at thallo duplo crassiore (crassit. circa 0,2 millim., quum in *scotino* thallus vix est crassit. 0,1 millim.), et strato corticali supra serie unica cellularum minus distincto.

9. **L. albo-ciliatum** Desmaz.; *Collema albo-ciliatum* Nyl. *Syn.* p. 117.

Thallus obscure olivaceo-virescens vel plumbeo-fuscus lobatus vel lobato-laciniatus, congestus, margine subtilissime albo-hispidulo (pilis minutissimis albis sparsis in ipso margine); apothecia non visa.

In Walamo supra muscos.

Facie fere *Leptogii scotini*, sed pilis illis marginalibus et strato corticali celluloso minus distincto.

10. **L. palmatum** Mnt., Nyl. *Syn.* p. 126.

Thallus plumbeus vel fuscescens laciniatus, laciniis apicibus corniculato-convolutis, mediocris; apothecia rufescentia; sporæ solitæ.

Supra terram inter muscos, in Suecia, ex Ach. *L. U.* p. 643 (sub "*Collemate palmato* var. *corniculato*"), sed specimen e Scandinavia nullum vidi. Vix sit *Obryzum* Wallr., Nyl. *Syn.* p. 136.

11. **L. tremelloides** Ach., Nyl. *Syn.* p. 124, t. 2, f. 7; *Lichen cochleatus* With., Dicks.

Thallus plumbeus vel plumbeo-olivaceus membranaceus major læviusculus lobatus congestus; apothecia rufa vel rufescentia (receptaculo plerumque elevato), fere mediocria; sporæ solitæ (3-septatæ vel adhuc varie divisæ), longit. 0,021—27, crassit. 0,008—9 millim.

Supra muscos et saxa muscosa in Sueciam usque mediam.

12. **L. saturninum** (Dicks.) Nyl. *Syn.* p. 127, t. 4, f. 16; *Collema* (Mallotium) *saturninum* Ach. (non *Lichen saturninus* Sm. in *Trans. Linn. Soc.* I, 1788, p. 84).

Thallus olivaceo-fuscus vel plumbeo-fuscescens sat magnus (latit. 2—4-pollicaris) submonophyllus aut lobato-polyphyllus,

sinuatus et plicatus, supra sæpe pro parte tenuiter nigricanti-furfuraceus, subtus cinereus vel albo-cinereus denseque breviter incano- vel albido-tomentellus; apothecia obscure rufa mediocria vel majuscula (latit. 2—4 millim.), receptaculo thallino cupulari-prominulo, margine integro; sporæ solitæ (ellipsoideæ 3-septatæ, accedentibus septulis sæpe saltem 1 vel 2 longitudinalibus), longit. 0,020—22, crassit. 0,010—11 millim.

Ad truncos arborum, præsertim populi, passim usque in Lapponiam. Raro fertile, sed tale quoque ad saxa obvium.

13. **L. muscicola** (Sw.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 134, t. 4, f. 11—15.

Thallus fuscus vel olivaceo-fuscescens (vel parte inferiore pallidiore) fruticuloso-ramosus parvus filiformi-teres vel tereti-compressiusculus intricatus, apicibus ramorum parum vel vix attenuatis; apothecia fusco-rufescentia vel fusca plana vel epithecio concaviusculo (latit. circa 0,5—0,6 millim.); sporæ oblongo-fusiformes, 1-septatæ, longit. 0,023—27, crassit. circa 0,007 millim.

Inter muscos *(Andreæas, Racomitria, Grimmias)* ad rupes graniticas in Scandinavia sat frequens.

In terris Scandinavicis forte detegendum erit quoque *L. Schraderi* (Bernh.) Nyl. *Syn.* p. 133, quod etiam species est fruticulosa, sed major, thallo simpliciore costato-rugoso, in Anglia (et Hibernia), Gallia, Germania obveniens. Ab eodem vix differt *Collema turgidum* Ach. *L. U.* p. 364, quoad specimen archetypum Turneri, ad saxa arenaria in Anglia, solum thallo magis depresso et sublobato-fruticuloso.

V. — PHYLLISCUM Nyl.

Thallus parvus umbilicato-adfixus, granulis gonimis oblongo-rotundatis sat magnis solitarie in substantia gelatinoidea thalli sparsis. Apothecia endocarpea, paraphyses nullæ, sporæ simplices, gelatina hymenea iodo vinose rubens.

1. **Ph. endocarpoides** Nyl. *Syn.* p. 137, t. 3, f. 6; *Endocarpon phylliscum* Whlnb. *Lapp.* p. 463, t. 29, f. 2, Fr. *L. E.* p. 410.

Thallus niger minutus (latit. 3—4 millim.) firmus subrotundatus, e lobulis obliteratis inæqualis et ambitu crenatus vel crenato-incisus, sæpe convexiusculus crassior, umbilico latiusculo adfixus; apothecia pallida extus solum ostiolis punctiformibus indicata; sporæ 8—20 in thecis ellipsoideæ.

Ad rupes humidas juxta Mare Glaciale; dein in Finlandia usque meridionali, et in Wermlandia (ex Wahlenberg).

Familia II. — LICHENACEI.

Thallus coloris varii (albi, albidi, cinerascentis, flavicantis, rufi, fusci), at rarissime nigricantis, et forma maxime varius; gonidia plurimis speciebus vera, paucis granula gonima.

Series I. — EPICONIODEI.

Apothecia sporis demum nudis, "massam sporalem" (mazædium Ach.) in superficie fructus formantibus. Sporæ 8^{nae} in thecis. — Tamquam simul infimos inter typos erectos (vel nisu se erigente) aut apotheciorum aut thalli exhibens, series hæcce (forte satius *Mazædiei* dicenda) Lichenaceos systematice exponendos incipere debuit.

Trib. II. — CALICIEI.

Thallus crustaceus vel obsoletus aut nullus proprius. Apothecia plerumque hypothecio constricto stipitata aut paucis sessilia. Lichenes parvuli.

I. — **SPHINCTRINA** Fr. pr. p., DN.

Thallus proprius nullus. Apothecia parasitice vigentia supra thallum præsertim *Pertusariæ communis,* globoso-turbinata nitidiuscula nigra; sporæ nigrescentes simplices.

1. **Sph. turbinata** (Pers.) Nyl. *Syn.* p. 142, t. 5, f. 1.

Apothecia capitulis subsessilibus parvis (latit. circa 0,3 millim. vel minoribus); sporæ globosæ vel subglobosæ, diam. 0,003—6 millim.

In Scandinavia saltem septentrionem versus usque ad Holmiam procedens.

II. — CALICIUM Ach., Nyl.

Thallus granulosus, pulvereus vel evanescens, rarissime squamulosus, rarissime nullus proprius. Apothecia nigra stipitata (raro subsessilia, in speciebus 1—2), capitulis globosis aut turbinatis; sporæ fuscæ aut nigricantes.

A. — *Sporæ simplices (non divisæ).* — Species *1—6.*

1. **C. parolcum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 145, t. 1, f. 14, t. 5, f. 6.

Apothecia minuta sessilia vel subsessilia (stipite brevissimo), capitulo subgloboso; sporæ nigricantes ellipsoideæ vel ellipsoideo-fusiformes simplices, longit. 0,005—9, crass. 0,003—4 millim.

Parasita est *Leprariæ chlorinæ* Ach., ad latera rupium in Finlandia meridionali rarum. Quoque in Suecia.

2. **C. disseminatum** (Ach.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 146, t. 5, f. 8—10.

Thallus tenuissimus virescens vel cinerascens aut nullus visibilis (vel macula obsoleta albida indicatus); apothecia atra subsessilia vel sessilia, massa sporali aut concolore aut nigrovirescente sæpius valde protrusa; sporæ nigrescentes oblongæ vel rarius sphæricæ.

Ad cortices et ligna Coniferarum passim, raro betularum. E Lapponia nondum cognitum.

Var. 1) *viridulum* (Ach., Fr.) non differt nisi thallo (an proprio?) pallide virescente vel pallido sat tenui leproso; ad ligna vetusta alnea in Suecia.

3. **C. chrysocephalum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 146, t. 5, f. 11—12 et 19.

Thallus citrinus vel flavo-virescens granulatus; apothecia stipite mediocri vel breviuscule nigro, capitulo turbinato-lentiformi subtus citrino-suffuso, massa sporali umbrina; sporæ fuscæ globulosæ.

Ad cortices et ligna, præsertim pinorum, Scandinaviæ passim.

Variat apotheciis tenuioribus longe stipitatis (var. *filare* Ach.). Variat raro ecrustaceum.

4. **C. phæocephalum** Born., Nyl. *Syn.* p. 147, t. 5, f. 13.

Thallus pallido-cinerascens vel sordide flavicans granulosus, granulis parvis sæpe fere squamuliformibus crenatis congestis; apothecia stipite gracilento nigro vel fusco (vel basi pallida), capitulo turbinato-lentiformi flavoviridi-pruinoso (saltem margine), massa sporali fusca; sporæ fuscescentes globulosæ.

Ad ligna Coniferarum in sylvaticis frequentissime; rarius ad cortices.

Crusta squamulosa est f. *sæpiculare* (Ach.). Variat dein etiam stipitibus flavo-suffusis. Distinguantur vero potius: var. 1) *flavum* (Ach.) stipite late vel fere toto flavo-pallido; ad quercus in Alandia (Edwin Nylander) et ad lignum in Suecia. — Var. 2) *chlorellum* (Whlnb.) est typo minus, stipitibus gracilioribus interdum fere totis carneo-pallescentibus, capitulis sæpe globoso-lenticularibus; frequens. — Var. 3) *ecrustaceum* (var. *trabinellum* Fr., Nyl. *Syn.* p. 148) differt a typo thallo evanescente, granulis dispersis aut nullis; sat frequens. — Var. 4) *obscurum* Nyl. thallo parum visibili, apotheciis nigris vel fusco-nigris (interdum margine obsolete virdiflavo-pruinoso), stipite basi pallescente; ad trabes prope Helsingfors (ipse) et in Satakunta (A. J. Malmgren).

* **C. aciculare** (Sm.) Nyl. *Syn.* p. 148. — Minus *(phæocephalo* typico), thallo cinerascente tenuissimo obsoleto vel nullo visibili, apotheciis capitulo obconico-turbinato (longiore et angustiore quam in *phæocephalo)* flavoviridi-suffuso. — Adsit in Suecia magis meridionali (ex Fr. *S. V. Sc.* p. 119), sed inde mihi haud visum.

5. **C. trichiale** Ach., Nyl. *Syn.* p. 149, t. 5, f. 15, 16, 18.

Thallus flavido-cinerascens vel cinereo-glaucescens microlepideus (vel granuloso-squamulosus); apothecia nigra stipite

gracilescente, capitulo concolore globoso-lenticulari (interdum subtus cinereo-pruinoso), massa sporali umbrina; sporæ fuscescentes sphæricæ.

Ad ligna pinea et cortices rarius; e Lapponia non visum. Sed varr. *stemoneum* et *brunneolum* sat frequentia in Scandinavia.

Var. 1) *cinereum* (Pers.) Nyl. l. c., thallo cinerascenti- vel albido-granuloso, stipitibus (interdum basi pallidis) sæpe pro parte et capitulis subtus cinereo- vel albido-suffusis; ad truncos, præsertim quercus, rarius. — Var. 2) *stemoneum* Ach., thallo leproso flavido vel flavido-cinerascente, apotheciis nigris (vel fusco-nigris) capitulo subtus cinereo-pruinoso aut subnudo; frequens ad cortices et ligna. — Var. 3) *physarellum* (Ach.) Nyl. l. c. p. 150, thallo cinerascente granuloso, apotheciis stipite brevi firmo nigro, capitulo subtus interdum cinereo-pruinoso; rarum. — Var. 4) *brunneolum* (Ach.) Nyl. l. c. p. 151, thallo evanescente vel nullo visibili, apotheciis stipite elongato (altit. 3—5 millim.) gracili, capitulo parvo; ad truncos putridos, præsertim Coniferarum, sat frequenter.

6. **C. melanophæum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 151, t. 5, f. 17.

Thallus albidus granulosus; apothecia stipite firmo nigro, capitulo concolore turbinato, massa sporali umbrina; sporæ fuscescentes globulosæ.

Ad corticem pini et ad ligna in Scandinavia passim. E Lapponia haud visum. — Vix nisi varietas præcedentis.

B. — *Apothecia stipitata (substipitata in sp. 7); sporæ 1-septatæ (exceptione simplices), massa sporalis nigra.* — Species *7—14*.

7. **C. subparoicum** Nyl. *Syn.* p. 152.

Parasiticum supra *Leprariam latebrarum* Ach. Simile omnino *Calicio paroico*, sed sporis 1-septatis (longit. circa 0,007, crassit. 0,0035 millim.).

Ad rupes in insula Hogland (Edwin Nylander).

8. **C. corynellum** Ach., Nyl. l. c., t. 5, f. 20.

Thallus flavo-virescens vel sulphureus leprosus sat tenuis; apothecia nigra capitulo turbinato-lentiformi, stipite breviusculo.

Locis subumbrosis ad saxa passim. E Lapponia haud visum.

9. **C. hyperellum** Ach., Nyl. l. c., t. 5, f. 23.

Thallus flavo-virescens granulosus vel inæqualis aut subleprosus; apothecia nigra capitulo globoso-lentiformi (subtus sæpius nonnihil rufescente).

Ad ligna et cortices, præsertim Coniferarum, frequens.

Variat stipitibus basi crassioribus ibique compressis (*baliolum* Ach.). Variat deinde thallo sulphureo leproso, quale ad ligna legit in Hogland Edwin Nylander.

10. **C. roscidum** Flk., Nyl. *Syn.* p. 153, t. 5, f. 22.

Thallus cinerascens tenuissimus vel vix ullus; apothecia nigra stipite firmo, capitulo lentiformi, margine excipuli (vel excipulo toto) flavoviridi-suffuso.

Ad cortices et ligna quercus septentrionem versus usque in Suecia media obvium, sed rarum sit, ni fallor.

Var. 1) *trabinellum* (Ach. *Meth.* p. 93, suppl. p. 15; var. *roscidulum* Nyl. l. c. p. 154, t. 5, f. 21) est minus (alt. circa 0,8 millim., stipite crass. circa 0,08 millim.), capitulis angustioribus vix nisi margine flavo-pruinosis; frequentissimum. Simillimum *curto*, sed margine excipuli ita flavo-virescente. Ex hb. Acharii animadverti, Schærerium recte huc retulisse *trabinellum* Ach., quod ante (sequens Fr. *L. E.* p. 394, *L. S. exs.* 5*b*, etc.) perperam (in *Syn.* p. 148, cum synonymis) sub *phæocephalo* subjunxeram.

11. **C. trachelinum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 154, t. 5, f. 24.

Thallus cinerascens tenuis granulosus vel vulgo obsoletus (aut non visibilis); apothecia nigra (mediocria vel majuscula in hoc genere) capitulo turbinato-globoso subtus rufescente.

Ad ligna et cortices frequentissimum, usque in Lapponia procedens.

12. **C. quercinum** Pers., Nyl. *Syn.* p. 155, t. 5, f. 25.

Thallus albus vel albidus granulosus, vel fere lævigatus, aut subleprosus, aut evanescens; apothecia nigra mediocria, capitulo turbinato-lentiformi tubtus cinereo-pruinoso.

Ad cortices et ligna, præsertim quercus, in Suecia usque ad Holmiam boream versus provenit.

Var. 1) *lenticulare* (Ach.) Nyl. l. c. p. 156 differt thallo nullo (vel tenuissimo subleproso), apotheciis totis nigris nudis; in Suecia raro.

* **C. curtum** Borr., Nyl. *Syn.* p. 156. — Thallo cinerascente tenuissimo aut nullo visibili; apotheciis firmulis capitulo turbinato-cylindraceo, margine excipuli albo-suffuso, massa sporali sæpius protrusa. — Ad ligna et cortices, præsertim Coniferarum, frequentissimum. Forma diminuta ad alnos in Lapponia (Edwin Nylander) et in Satakunta (A. J. Malmgren).

12. **C. pusillum** Flk., Nyl. *Syn.* p. 157.

Thallus macula cinerascente vel albida indicatus vel nullus; apothecia parva tota nigra stipite gracilento.

Ad corticem quercus et ligna usque saltem in Scandinavia media. Vix nisi varietas diminuta *quercini*, et formæ analogæ fere omnium specierum occurrunt.

* **C. alboatrum** Flk., Nyl. l. c. — Simile *Calicio pusillo*, sed thallo insidens tenui albo subleproso chrysogonimico (verisimiliter alieno). — Ad quercus vetustas in iisdem regionibus ac idem, adhucque prope Aboam usque obvium.

13. **C. pustolum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 158; *Coniocybe nigricans* Fr. *L. E.* p. 384.

Simile omnino *Calicio pusillo*, sed stipite apotheciorum sæpe pallido, immo hyalino-albicante.

Ad corticem quercus in Suecia rarum; ad Aboam quoque adhuc occurrens. Etiam ad lignum alni in Suecia (hb. Ach.), et sorbi in Satakunta (A. J. Malmgren).

14. **C. parietinum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 158, t. 5, f. 26.

Thallus nullus visibilis vel macula obsoleta pallescente indicatus; apothecia minuta capitulo lenticulari vel subturbinato; sporæ dilute nigrescentes fusiformi-ellipsoideæ simplices (longit. 0,007—0,011, crassit. 0,003—6 millim.).

Ad cortices et præsertim ligna in tota Scandinavia copiose.

Forma ejus major rara, sed minor communis simillima *Calicio pusillo*, sed sporis simplicibus, forsan tamen non species autonoma. Macula thallina alba est *C. minutellum* Ach. — *C. Ravenelii* Tuck. est species nova hujus loci, simile fere *parietino* majori, sed capitulis longitrorsum nonnihil striatis vel rugosis (sporis fuscis long. 0,007—0,011, crass. 0,004—6 millim.); in Carolina (Ravenel). Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

C. — *Apothecia stipite gracilescente, capitulo turbinato-clavato, sporis 3-septatis.* (Stenocybe *Nyl. olim.*) — Species *15.*

15. **C. byssaceum** Fr. *L. E.* p. 399, Nyl. *Syn.* p. 160, t. 5, f. 27.

Thallus obscurus obsoletus vel vix ullus visibilis; apothecia tenella (altit. 0,25—0,6 millim.) valde dispersa; sporæ nigrescentes oblongo-fusiformes simplices vel demum (1—) 3-septatæ, longit. 0,015—23, crassit. 0,005—7 millim.

Ad ramos alnorum (præcipue emortuos) in terris Scandinavicis frequens; etiam ad *Sorbum aucupariam* et *Cerasum padum* in Alandia (Edwin Nylander).

III. — **CONIOCYBE** Ach., Nyl.

Thallus leprosus effusus aut vix ullus visibilis. Apothecia flava vel pallida (non nigra) stipitata, excipulo valde aperto; sporæ sphæricæ *) incolores vel flavescentes, capitulum apotheciorum globoso-pulverulentum efficientes.

1. **C. furfuracea** Ach., Nyl. *Syn.* p. 161, t. 5, f. 37.

Thallus sulphureus vel sulphureo-virescens; apothecia concolora (sulphureo-suffusa, aut stipitibus nudioribus flavo-nigrescentibus) longe stipitata, massa sporali flava vel pallide umbrina.

Locis subumbrosis ad radices arborum, supra terram, muscos et ad basin rupium passim, usque in Lapponia.

---

*) Sicut in *Ann. Sc. natur.* 4, XII, p. 251, animadverti, singulare fecit detectum D. Th. Fries (*Öfvers. V. Ak. Förh.* 1856, p. 129), sporas Coniocybis esse "orbiculares, *complanatas*", quod æque ingeniosum est ac si quis lunam orbicularem complanatamque declararet. Talia haudquaquam castigare mererentur, nisi voce strepente absolute pronuntiata essent et sæpe strepitui soli fiducia eximia haberetur. Observetur eundem auctorem in *Bot. Notis.* 1857, p. 211, in transcribenda definitione mea generis Coniocybes mutare verba *sporæ numquam nigricantes* (Nyl. *Calic.* p. 24) in "interdum nigricantes", quod pro usu peculiari factum est ut credere faciat lectoribus suis definitiones meas haud esse claras. Quoque hoc suo modo ingeniosum, at minus honestum.

Var. 1) *fulva* (L.) Fr. (*Lichen acicularis* Ach.) differt minor, stipitibus brevioribus, capitulis hemisphæricis; in Suecia meridionali, æque ac var. 2) *sulphurella* Fr., Nyl. l. c. p. 162, thallo tenuissimo cinerascente aut nullo, apotheciis tenellis; hæc ad cortices (alni, quercus).

2. **C. pallida** (Pers.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 163, t. 5, f. 38, 39.

Thallus albicans tenuissimus aut nullus visibilis; apothecia parva, stipite hyalino vel flavido, rarius superius fuscescente, capitulo massa sporali alba vel pallescente; sporæ incolores, diam. 0,004—0,010 millim.

Ad truncos arborum (ulmos, fraxinos, quercus, etc.) usque in Alandiam et Upsaliam.

3. **C. hyalinella** Nyl. *Syn.* p. 164, t. 5, f. 40.

Similis *C. pallidæ,* at magis tenella (stipite subhyalino, superius fuscescente), sporis multo minoribus (diam. 0,0025—0,004 millim.).

Ad cortices prope Holmiam.

Var. 1) *pistillaris* (Ach.) Nyl. l. c., thallo vix ullo, apotheciis fere mediocribus (altit. circa 1 millim.) totis sordide pallido-carneis, massa sporali fere concolore; sporæ diam. 0,003—4 millim.; ad ligna pinea in Suecia (ex hb. Ach.).

IV. — TRACHYLIA Fr. pr. p., Nyl.*)

Thallus sat tenuis granulosus aut nullus proprius. Apothecia nigra sessilia cupuliformia, massa sporali nigra; sporæ nigricantes vel fusconigræ ellipsoideæ uni-septatæ (raro pluries varie divisæ).

---

*) Nomen *Trachylia* Fr. primo 1822 absque sensu ullo proposito (et in *Stirp. Femsion.* p. 39 ita conservato), deinde in *Flora Scanica* adhibetur conceptione, quæ explicitius statuitur in *S. V. Sc.* Jam antea (1843) a Torsell nomen *Trachylia* mente Friesiana invenitur ita omnino acceptum. Primum igitur est nomen huc applicatum, quod sensum genericum definitum quendam obtinuerit; nomina vero *Acolium* vel *Cyphelium* (quod in *Bot. Notis.* 1857, p. 10, D. Th. Fries, sub tegmine patris scribens, nunc præferendum absolutissime declarat) tam varie circumfusa fuerunt, ut optime omittantur. Nihil dicatur de *Trachylia*

A. — *Species thallo flavo vel flavo-virescente.* — Species *1—2.*

1. **Tr. tigillaris** (Pers.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 165, t. 5, f. 29.

Thallus flavo-virescens vel citrinus granulosus vel granuloso-areolatus vel concrescens tenuior lævior (plerumque tamen rimosus); apothecia atra innata, vel parum prominula; sporæ fusco-nigricantes 1-septatæ.

Ad ligna vetusta pini (rarius ad corticem) sat frequens; adhuc in Lapponia obvia.

Var. 1) *prominula* Nyl. l. c., thallo tenuiore planiusculo, sæpe disperso vel evanescente, apotheciis prominulis; ad corticem et lignum

---

Fr. *L. E.* p. 402, ubi (æque ac in *V. Ac. H.* 1821 p. 324) nomen absque numero (cum * signatum) allatum est, agnoscitque auctor "de speciebus hujus generis autonomia minime convicti sumus", dein eas "obscuras" esse. Cujus est sensus genus *Lecideam scabrosam* Ach. et simul *Arthoniam trachylioidem* Nyl. comprehendens, præter "Trachyliam saxicolam" et "lignariam" (quas auctor in *L. E.* omittit)? Sane nimis obscurum videtur. Quum vero sensus satis definitus postea eodem nomine exprimitur, hoc retinendum erat, etiamsi auctor non ipse voluerit, nam sententiæ subjectivæ excludendæ sunt et arbitrium quodvis rejiciendum. — Hac occasione animadvertatur quoque, nomen *Synalissam* supra DR. nec Fr. signandum fuisse, licet primo in Fr. *S. O. V.* obveniat, nam auctor in *S. V. Sc.* p. 563 eo trahens *Endocarpon phylliscum* Whlnb. omnem sensum genericum comprehensibilem nominis sui dissipavit. Neque nomen *Thermutis* Fr. conservandum esse videtur. In *S. O. V.* p. 302 legitur de genere hoc (inter s. d. Byssaceas) "typus est *Collema velutinum* Ach., cujus congeneres variæ Dematio Fungorum et Scytonemati *Phycearum* (terrestres) adscriptæ". Unde elucet, nomen Thermutin primitus maxime nubilum fuisse, atque deinde in Fr. *S. V. Sc.* p. 122 typum exprimi videmus *Collemate pannoso* Ach. (nomine valde vago) et agmen *Scytonematum* auctorem ei adjungere volentem. Hoc forsan haud male, sed tunc nomen *Scytonema* pro *Gonionemate* substituendum erit, scilicet quando probatum esset Scytonemata vere esse Gonionemata. Novæ notioni genericæ novum nomen proponere debui. Anteriora sane recipere maluissem, at non potui ob caussam quam jam indicavi; atque si hoc fecissem, forsan hodie D. Fries me accusaret aliter nomen a parente datum interpretari quam ipse intellexerit. Docet hæc explicatio præter alias res, quomodo interest, ut notiones in scientia absque confusione prudenterque concipiantur.

pini rarius. — Var. 2) *ecrustacea* Nyl. in Mus. Fenn., thallo nullo vel vestigiis obsoletis; ad ligna in Tavastia (P. A. Karsten).

2. **Tr. Notarisii** Nyl. *Syn.* p. 165, t. 5, f. 30.

Similis fere *Trachyliæ tigillari*, sed sporis longitudinaliter transversimque varie 1—5-septatæ (h. e. loculis 2—8 varie divisæ) majores.

Ad ligna pinea in Suecia rarum. Insignior in Gallia.

B. — *Species thallo cinerascente aut nullo proprio.* — Species *3—4.*

3. **Tr. tympanella** (Ach.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 166, t. 5, f. 32.

Thallus albicans vel cinerascens granulosus vel granuloso-concrescens, mediocris vel tenuis; apothecia nigra prominula (latit. circa 1 millim. vel ultra), margine saltem excipuli cinereo- vel albo-suffuso, massa sporali atra (sat sæpe levissime cinereo- vel albo-suffusa); sporæ 1-septatæ.

In regionibus rupestribus et montanis passim sat frequens (rarior quam *tigillaris*), ad lignum et corticem pini.

4. **Tr. stigonella** (Ach.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 167, t. 5, f. 33.

Apothecia parum prominula tota atra (latit. circa 0,5 millim.); sporæ fusco-nigricantes 1-septatæ.

Supra crustam pulveraceam *Pertusariæ communis* in Suecia meridionali.

Trib. II. — SPHÆROPHOREI.

Thallus fruticulosus ramosus et ramulosus, axibus (præsertim primariis) apice subgloboso-incrassato apothecia excipientibus; massa sporalis nigra.

I. — SPHÆROPHORON Pers.

Thallus cæspitose fruticulosus fragilis, apotheciis in apicibus ejus irregulariter et varie dehiscentibus receptis; sporæ nigri-

cantes vel violacee nigricantes sphæricæ vel subglobulosæ, pigmento atro (sat facile detrito) indutæ.*)

1. **Sph. coralloides** Pers., Nyl. *Syn.* p. 171, t. 5, f. 46.
Thallus pallidus vel albidus (interdum luridus) ramulosus teres (altitudinis 2—3-pollicaris).
In Scandinavia, præsertim juxta littus marinum, passim, ad saxa (raro ad basim truncorum pini); usque in zonam maxime arcticam procedens.

2. **Sph. fragile** Pers., Nyl. *Syn.* p. 172, t. 5, f. 45.
Thallus albidus vel lurido-cinerascens teres, parcius ramosus, dense cæspitosus (humilior quam in præcedente).
Supra rupes cum præcedente vel eodem frequentius; fertile rarius observatur.

Series II. — CLADODEI.

Thallus plerumque erectus, apotheciis terminalibus (podetiis insidentibus, raro vel exceptione sessilibus absque podetiis); apothecia biatorina, exceptione lecanorina; sporæ vulgo 8^{næ} incolores, jam (et sæpissime) simplices oblongæ, jam contra elongatæ septatæque (in *Stereocaulo*); paraphyses discretæ.

Trib. III. — BÆOMYCEI.

Thallus horizontaliter expansus crustaceus. Apothecia coloris pallidi vel rufescentis vel sordidi, aut sessilia aut stipitata

---

*) Nomen *Sphærophoron* auctores nonnulli scribunt "Sphærophorus", quod non sit bene, nam illi conformia sunt *Endocarpon*, *Stereocaulon*, *Pilophoron* et alia genera analoga jam in scientia solide recepta. Sphærophorei ducuntur in Fr. *L. E.* p. 403 ad "Angiocarpos" (Gasterothalamos *S. O. V.* p. 258) et similiter in Krb. *S. L. G.* p. 50; contra Caliciei ad alterum ordinem ad "Gymnocarpos" relegati sunt in Fr. *L. E.* p. 381, Krb. l. c. p. 307. Ita divelluntur affinitate maxime naturali conjuncta, et certe Sphærophorei nihil habent pyrenocarpeum, nam apothecia rite evoluta (sola systematice respicienda) omnino in iis sunt aperta æque ac in Calicieis.

(stipite podetiiformi); sporæ simplices aut 1—3-septatæ. Spermogonia arthrosterigmatibus prædita.

I. — BÆOMYCES Pers.

Thallus crustaceus pulvereus vel granulosus. Apothecia biatorina sessilia aut stipitata.

1. **B. rufus** DC., Nyl. *Syn.* p. 176, t. 1, f. 12, t. 6, f. 12—14.

Thallus albido-virescens vel albido-glaucescens sat tenuis effusus minute granulosus vel fere leprosus, granulis interdum depressis; apothecia carneo-rufescentia vel carneo-fuscescentia convexiuscula immarginata, stipite mediocri vel brevissimo albido; sporæ oblongo-ellipsoideæ simplices, longit. 0,006—0,012, crassit. 0,003—4 millim.

Supra terram, locis subumbrosis, frequenter; nonnihil rarius ad radices rupium saxicola; raro muscicola aut lignicola.

Var. 1) *carneus* (Flk.) Nyl. l. c. p. 177, differt "crusta squamulosa, squamulis contiguis inciso-crenatis"; rarus.

2. **B. roseus** Pers., Nyl. *Syn.* p. 179, t. 6, f. 15—21.

Thallus albidus granuloso-crustaceus; apothecia roseo-carnea vel albo-carnea subglobosa (latit. fere 2 millim. vel minora) stipitata, stipite albidiore vel fere albo teretiusculo (altit. fere 2 millim. vel breviore); sporæ fusiformi-oblongæ vel fusiformes simplices, longit. 0,011—26, crassit. 0,0025—0,003 millim.

Supra terram nudam sterilem rarius, usque in Lapponiam.

3. **B. placophyllus** Ach., Nyl. *Syn.* p. 180.

Thallus albidus vel glaucescens crustaceo-imbricatus adnatus corrugatus, vel saltem ambitu squamoso-lobatus plicatusque et subcrenulatus; apothecia carneo-rufescentia vel carneo-fuscescentia stipitata (stipite quovis sæpius apice summo brevissime diviso et apothecia plura aggregata et fere confluentia gerente); sporæ oblongo-ellipsoideæ simplices (magnitudine ut in *rufo*).

In Lapponia passim frequens.

4. **B. icmadophilus** (Ehrh.) Nyl. *Syn.* p. 183, t. 6, f. 7—10, t. 7, f. 2.

Thallus glaucescens vel albidus superficie granulato-rugosus vel subleprosus, mediocris crassitiei (0,5—1 millim.); apothecia pallide carnea vel incarnata discoidea (latit. circa 2 millim.) biatorina plana aut sublecanorina; sporæ fusiformes 1—3-septatæ, longit. 0,013—27, crassit. 0,004—6 millim.

Locis humidis supra muscos (præcipue Sphagna), ligna putrida et terram in sylvaticis sat frequens.

Trib. IV. — CLADONIEI.

Thallus aut partim vel fere totus laciniato-foliaceus vel squamoso-foliolosus, aut podetiis fistulosis (aut subfistulosis) fruticulosus vel cæspitosus, sæpius tum ramosus. Apothecia biatorina (vel cephalodina), convexa immarginata (exceptione plana), podetiis supportata (raro in foliolis sessilia); sporæ simplices.

I. — CLADONIA Hffm.

Thallus aut tubulosus aut (tubulis thallinis apertis) laciniiformis; podetia in multis speciebus apice scyphose dilatata; thallus ceteroquin basi plurimis speciebus foliolosus vel squamulosus (exceptione granuloso-crustaceus). Apothecia varie colorata (non autem nigra); sporæ parvæ oblongæ. Spermogonia sterigmatibus simplicibus vel parum ramosis.

A. — *Thallus crustaceus horizontalis, podetiis fragilibus glabris (absque squamulis ullis) et primum papillaribus.* Pycnothelia *Ach. pr. p., Duf.* — Species *1.*

1. **Cl. papillaria** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 188.

Thallus albidus vel pallido-cinerascens tenuiter granuloso-crustaceus, plagas incrustantes formans e quibus emergunt podetia clavato-cylindracea simplicia aut subsimplicia; apothecia

parva fusca vel fusco-rufescentia (rite evoluta non visa, describuntur congesta marginata).

Supra terram sterilem rarius.

Var. *molariformis* (Hffm. *Fl. Germ.* p. 117; *Cen. papillaria* var. *molariformis* Ach. *L. U.* p. 571) est status podetiis apicem versus divisis (ramulis subpapillaribus) in Europa media sæpius obvia.

B. — *Cladoniæ propriæ, thallo basi non crustaceo.* — Species *2—24.*

a. — Phæocarpæ, *apotheciis fuscis (aut rarius pallidis).* — Species *2—18.*

2. **Cl. pyxidata** (L.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 192.

Thallus cinerascens vel glaucescenti-cinereus cartilagineus, basi squamulosus (squamulis firmiusculis), podetiis continue corticatis vel cortice pro parte furfuraceo vel ibi subpulveraceo, scyphis plerumque bene evolutis (latit. 8—12 millim.).

In apricis campestribus et sylvaticis frequens.

Sat variabilis. Vulgaris est *Cenomyce pyxidata* a. *simplex* Ach. sterilis vel spermogonia in margine scyphorum (inde denticulato) proferens et b. *staphylea* Ach. fertilis (apotheciis in margine scyphorum podicellatis); var. *syntheta* Ach. est eadem scyphis margine prolifero. — Var. 1) *symphycarpa* (Ach. *Syn.* p. 274) differt squamis sat firmis, podetiis irregularibus, scyphis non evolutis vel in ramulos divisis; rarius obvia. Transit quoad squamas in — var. 2) *pocillum* (Ach.) Nyl. l. c. p. 193, dignota a typo squamis basi thalli majoribus firmis sæpius adpressis subimbricatis (interdum cervino-luridis, plerumque vero pallido-cinerascentibus); passim. — Var. 3) *epiphylla* (*Bœomyces epiphyllus* Ach. *Meth.* p. 325; *Cenomyce epiphylla* Ach. *L. U.* p. 527) similis est *symphycarpæ*, sed podetiis nullis, apotheciis conglomeratis sessilibus submarginalibus in squamulis thalli; supra terram et truncos putridos usque in Lapponiam rara. Adsunt dein formæ intermediæ et squamulosæ.

* **Cl. pityrea** (Flk., Ach. *Syn.* p. 254; *C. decorticata* Flk.) differt thallo microphyllino et podetiis minoribus angustioribus totis superficie granuloso-furfuraceis, scyphis angustis, parum evolutis vel divisis (etiam podetiis nonnihil ramosis et apice angustatis, b. *acuminata* Ach. l. c.); in Helvetia et Germania obvia, forte quoque in Suecia. Forsan descendat a *fimbriata.*

3. **Cl. cariosa** (Ach.) Flk., Nyl. *Syn.* p. 194.

Thallus cinereo-glaucescens, basi squamulosus (squamulis crenato-incisis), podetiis nudis (vel squamulis minutis rarissi-

mis) granulato-verruculosis, sæpius pro parte carioso-cancellatis, pollicaribus vel minoribus, scyphis inæqualiter digitato-partitis (divisionibus ramulos nonnullos subfastigiatos sistentibus); apothecia fusca.

Supra terram passim, usque in Lapponia.

4. **Cl. fimbriata** Hffm., Nyl. l. c.

Similis *Cladoniæ pyxidatæ*, sed podetiis cortice in pulverem dissoluto albidis vel albido-glaucescentibus, sæpe magis extensis, scyphis sæpe angustioribus.

Supra terram et truncos arborum in Scandinavia frequentissima.

Ad typum hujus, parum distinctum a *pyxidata* nisi podetiis superficie totis pulverulentis, pertinent *Cenomyce fimbriata* β *conista* Ach. *Syn.* p. 257 (cujus formæ minores sunt *exilis* Ach. et *macra* Flk., Ach. ibid p. 258) et "var." *carpophora* (Flk., Ach. l. c. p. 256), illa scilicet spermogonifera, hæc fertilis. Eadem podetio extensiore est var. 1) *tubæformis* (Hoffm., Ach. l. c. p. 255) et scyphis proliferis est f. *prolifera* (Hffm., Ach. l. c. p. 256; *Cenom. allotropa* var. *lomagona* Ach. *L. U.* p. 555); sat frequens. — Var. 2) *fibula* (Ach. l. c. p. 256; *Cenom. fimbriata* var. *abortiva* Ach. l. c. p. 255; *Cenom. bacillaris* var. *apolepta* Ach. *L. U.* p. 542) differt podetiis (altit. 1—2-pollicaribus) ascyphis vel scyphis angustis, varians podetiis squamuliferis; rarius obvia. — Var. 3) *radiata* (Schreb., Hffm., Ach. *Syn.* p. 255; *Cenom. fimbriata* var. *nemoxyna* Ach. ibid. p. 257, excl. syn. *contortuplicata* L. U. p. 548) parum differt a *fibula*, podetiis longiusculis vel elongatis scyphophoris, scyphis margine radiatis vel longe radiato-fimbriatis aut podetiis simplicibus cornutis, plerumque nudis; frequens. Simplex est f. *chordalis* (*Cenom. cornuta* a. *chordalis* Ach. *L. U.* p. 545; *C. fimbriata* var. *cornuta* Ach. *Syn* p. 257 pr. p.).

* **Cl. carneo-pallida** (*Cenomyce fimbriata* var. *carneo-pallida* Ach. *Syn.* p. 258 pr. p.) est similis *fimbriatæ* var. *fibulæ* (vel f. *proliferæ* varietatis *tubiformis*), sed apotheciis carneo-pallidis. — Supra truncos putridos in Germania vigens; in Scandinavia rarius obveniens. Acharius ei admiscuit *Cladoniam carneolam* Fr. (quæ *Cenom. carneo-pallida* Summrf. *Lapp.* p. 129), colore podetiorum flavescente differentem.

5. **Cl. gracilis** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 196.

Thallus pallide cinerascens vel pallido-virescens (vel rarius pallido-spadiceus), basi folioloso-squamulosus (vel foliolis his

sæpe evanescentibus), podetiis elongatis corticatis glabris (raro vel parcissime folioliferis) scyphophoris aut apice subulatis; apothecia fusca vel rufescentia.

Inter muscos supra terram, saxa et truncos putridos, in sylvaticis frequens.

Ad typum pertinet *Cenomyce ecmocyna β hybrida* Ach. *Syn.* p. 262 (cum formis *valida* et *floripara*, haud distinguendis, ut videtur, nam distinctiones ægre inveniendæ). Magis extensa et scyphis angustis est f. *elongata* (Ach. l. c. p. 263, a qua vix differunt formæ Acharianæ *macroceras*, *amaura*, *exoncera* et *leucochlora* l. c. p. 262 et 263), podetiis altitudine 3—5-pollicari, crassit. 2—3 millim.; in montibus Europæ mitioris præsertim vigens; in Scandinavia vero frequens (et alibi quoque in Europa occurrit) f. *chordalis* (Flk.; *Cenomyce ecmocyna* f. *gracilis* Ach. *Syn.* p. 261; *C. filiformis* Del.), quæ gracilior (altit. 2—3-pollicaris, crassit. circa 1 millim.). Occurrit quoque thallo fisso, ex. gr. in Alandia. Var. *aspera* (Flk.; *C. ecmocyna* var. *aspera* Ach. *Syn.* p. 264) similis est *chordali* (Flk.), sed podetia habens foliolis vel squamulis margine crenatis vel crenato-incisis exasperata; sat frequens.

* **Cl. verticillata** (Hffm.) Flk., Nyl. *Syn.* p. 197.

Sat similis *gracili*, at squamis thalli baseos laciniiformibus crenato-incisis, podetiis scyphophoris brevioribus (circiter semipollicaribus), sed scyphis e centro (demum nonnihil elevato) proliferis (sæpius ita bis vel ter proliferis). — Cum *Cladonia gracili* in Scandinavia, at rarior.

** **Cl. cervicornis** (Ach.) Schær., Nyl. l. c.

Sat similis *gracili*, at squamis baseos thalli majoribus laciniiformibus crenatis vel crenato-incisis adscendentibus firmiusculis, subtus (saltem basi aut late) fusco-nigricantibus vel pro parte fere nigris, podetiis breviusculis scyphophoris, scyphis jam e centro jam e margine proliferis et haud raro irregularibus vel divisis, (varians dein podetiis foliolosis, qualis sub f. *floripara* pr. p. in hb. Ach.). — Cum *Cladonia gracili* in Scandinavia rarius. Sæpe adest solis foliolis baseos thalli.

6. **Cl. cornuta** (L.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 198.

Similis *gracili* var. *elongatæ* (vel f. *chordali*), podetiis nudis (2—4-pollicaribus) a basi ultra medium corticatis, dein (superius) usque apice pulverulentis, plurimis cornutis (paucis vel

raris scyphophoris, scyphis angustis sæpe irregularibus aliquandoque subradiatis); apothecia fusca.

In Scandinavia cum *Cladonia gracili* frequenter.

Vix nisi varietas *Cladoniæ gracilis*. *Cenomyce fimbriata* var. *cornuta* Ach. *Syn.* p. 257 pr. p. huc pertinet. Variat squamis baseos thalli majoribus (latioribus) vel sæpius minoribus vel parcis. — Ad varietatem *ochrochloram* (Flk.) Nyl. l. c. referenda sit forma e Nylandia et Karelia in Mus. Fenn. podetiis parte supera pulverulentis, infera corticatis folioliferis, scyphophoris, scyphis cavitate glabra.

7. **Cl. decorticata** (Fr. pr. p.) Nyl. *Prodr.* p. 37, *Syn.* p. 199.

Thallus squamis vel squamulis glaucis podetia (1—3-pollicaria) crebre exasperantibus, iis baseos latis ambitu crenatis (subtus albis vel aliquando basi ibi nigricantibus), podetiis ascyphis aut scyphis sæpius angustis; apothecia fusca plerumque plura confluentia.

Inter muscos in montanis et rupestribus Scandinaviæ passim; in Lapponia frequens.

Est *Cenomyce cariosa* Smmrf. (excl. synon., excepto Fr. *L. S. exs.* 81). Colore foliolorum vel squamarum glauco et iis baseos magnis lobatis mox distincta. Podetia vulgo simplicia, rarius apice breviter divisa, rarissime apicibus angustatis. Supra animadverti, *decorticatam* Flk. pertinere ad *pityream* Ach., quæ minor est quam nostra et sæpius strictiuscula, squamulis diminutis furfuraceo-granulosis (nullis majoribus vel dilatatis basi ut in nostra *decorticata*).

8. **Cl. degenerans** Flk., Nyl. *Syn.* p. 199; *Cenomyce gonorega* Ach. *Syn.* p. 258 (excl. f. *scabrosa*).

Thallus albidus vel cinerascens vel pallido-cinereus (raro subspadiceus), basi foliolosus aut squamulis paucis crenato-incisis vel nullis, podetiis glabris, sæpe superficie subverrucoso-inæqualibus, basi nigricantibus et albido-punctatis (punctis illis corticalibus), plerumque scyphophoris, rarius simpliciusculis, vulgo scyphis irregularibus margine cristatis proliferis vel cristato-ramosis; apothecia fusca vel pallidiora fusco-rufescentia vel fusco-testacea.

Supra terram et ad rupes in sylvaticis frequens; in Lapponia et regionibus adjacentibus copiosa.

Est valde polymorpha. Maxime typica habenda sit f. *euphorea* (Ach. *Syn.* p. 259), habitu fere *Cladoniæ gracilis*, mediocris, efoliolosa (nisi basi), scyphophora, scyphis margine sæpe radiato-podicellatis vel proliferis; passim. — *F. aplotea* (Ach. l. c. p. 258) est eadem tenerior vel gracilior, scyphis sæpius margine cristatis; usque in Lapponiam passim. — *F. anomœa* (Ach. ibid. p. 259) est similis *aploteæ*, at podetiis (gracilescentibus) folioliferis, scyphis plerumque radiato-divisis; etiam hæc passim vel passim frequenter obvenit. Nec differt f. *gracilescens* (Flk., Ach.) nisi podetiis (bis vel ter) repetito-proliferis; eam tamen solum ex Europa media vidi. — F. *trachyna* (Ach. ibid. p. 259, cui jungenda sit f. *virgata* Ach. ibid. p. 260) est quasi *aplotea*, jam magis extensa, jam turgidior, efoliolosa (vel fere efoliolosa, nisi basi), scyphis denticulatis proliferis et radiato-cristatis (facie prope *Cladoniæ crispatæ*); rarius obvenit. — F. *lepidota* (Ach. l. c. p. 259) podetiis folioliferis vel squamuloso-foliolosis, scyphis irregularibus vel difformibus vel cristato-divisis, plerumque angustatis, vage proliferis; sat frequens, et abundans luxuriansque in Lapponia (quoque in Germania et Helvetia adest). Pertinet ad eam etiam f. *pleolepis* Ach. l. c. F. *hypophylla* Nyl. differt podetiis obsoletis, foliolis baseos fere ut in *cervicorni*. — F. *pleolepidea* Nyl. (f. *pleolepis* Nyl. *Herb. M. F.* p. 79, *Syn.* p. 200), cui podetia tota foliolis vel squamulis densissime rigide obsita, 2—3-pollicaria curvula simplicia ascypha, "punctis albis" in squamulas abeuntibus, sæpissime sterilis; passim, ad rupes muscosas. F. *basima* Nyl. (analoga *hypophyllæ*) podetiis subnullis, squamulis baseos in crustam rigidam congestis.

Memoranda hic * *Cl. coralloidea* (Ach. *L. U.* p. 258; *Cenom. pyxidata* var. *coralloidea* Ach. *Syn.* p. 253), quæ *degenerantis* sit varietas satis recedens, minor humilior (facie fere *muricatæ* Del.), podetiis ramosis subflexuosis verrucosis (vel superficie granulatis) ascyphis; "ad terram in fissuris rupium Sueciæ" (Ach.). — *C. gonorega* f. *scabrosa* Ach. *Syn.* p. 260 pertinet ad *Cladoniam squamosam*.

9. **Cl. carneola** Fr., Nyl. *Syn.* p. 201.

Similis *Cladoniæ fimbriatæ*, sed colore thalli ochroleuco vel pallide sulphureo et apotheciorum pallido-carneo vel carneolo.

Supra terram et ligna putrida in pinetis satis rara.

Var. 1) *bacilliformis* Nyl. l. c. differt podetiis subsulphureis cylindricis fere ascyphis vel cornutis (altit. 2 centimetr. et ultra), simplicibus; supra truncos desectos putridos pini (simul cum *Cl. botryte*), ad Helsingfors parce. — Var. 2) *cyanipes* (Smmrf.) Fr., Nyl. l. c., podetiis elongato-cylindricis cornutis, basi cœrulescentibus vel cœrulescenti-nigricantibus, simplicibus aut sæpe apice divisis, ascyphis; "inter Hypna in sylvaticis Nordlandiæ Saltensis" (Sommerfelt).

10. **Cl. straminea** (Smmrf.) Fr. *L. E.* p. 234, Nyl. *Syn.* p. 202.

Thallus pallidus vel ochroleucus basi minute squamulosus, podetiis longiusculis cylindricis (basi fuscescentibus), squamuloso-decorticatis et squamulis iis dense scabridis, apice in scyphum regularem dilatatis; apothecia subpodicellata pallida vel carneo-lutescentia majuscula.

Ad rupes inter muscos in Nordlanden rarissime (Sommerfelt).

11. **Cl. botrytes** (Hag.) Hffm., Nyl. *Syn.* p. 203.

Thallus ochroleuco-glaucescens vel glauco-flavidus, basi squamulosus (squamis magis cineraceis vel pallide cinerascentibus, dissectis), podetiis (circa pollicaribus vel minoribus) corticatis (cortice rugoso granulato-inæquali) cylindricis (raro simpliciusculis), superne in ramos fere fastigiatos divisis, his apice fere semper fertilibus; apothecia carneola vel pallida.

Ad truncos putridos præsertim Coniferarum frequentissime.

12. **Cl. turgida** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 205.

Thallus albidus vel albide glauco-cinerascens, basi foliolis laciniiformibus varie divisis et crenatis sæpius adscendentibus vel erectis formatus (rarius parcis vel evanescentibus), podetiis lævigato-corticatis (passim leviter inæqualibus) turgidis cylindricis subscyphophoris aut apice (vel versus apicem) perforatis margineque apicis dentato-radiatis proliferis, ramis turgescentibus; apothecia fusco-rufescentia vel pallescentia.

Inter muscos, locis potissime subirriguis, ad saxa et supra terram, in sylvaticis rupestribus Scandinaviæ sat frequens.

Est *Cenomyce parecha* Ach., excl. var. *cetrarioide L. U.* et synon. *candelabro* Bor. Typice podetia offert stricta (interdum elongato-obconica), variat autem iisdem magis apice divisis magisque irregularibus, ramis subdivaricatis, hæc æque frequens et habitu accedens ad sequentem (sed turgida, foliolis magnis laciniiformibus, etc., differt).

13. **Cl. furcata** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 205, t. 1, f. 3.

Thallus albidus vel cinerascens (rarius subspadiceus) basi squamulosus vel squamulis evanescentibus, podetiis glabris ramosis axillis haud perforatis vel subperviis, ramis apice atte-

nuato-subulatis plerumque divergenti-furcatis, fertilibus sæpe subfastigiatis; apothecia fusca vel rufescentia sat parva.

Supra terram in ericetis et sylvaticis passim sat frequens, septentrionem versus rarescens.

Species etiam hæc valde polymorpha, altera parte ad *gracilem* (f. *chordalem* et *asperam*), altera ad *rangiferinam* vergit. Est vulgo altitudinis 2—3-pollicaris et sat gracilis. F. *spadicea* (Pers., Ach. *L. U.* p. 560) respicit statum obscuriorem, podetiis subspadiceis; f. *epermena* (Ach.) iisdem albidis. F. *palamæa* Ach. *Meth.* p. 359 est sat typica. — Var. 1) *racemosa* (Hffm., Ach.) Nyl. l. c. p. 206, non differt a typo, nisi podetiis (sæpius majoribus vel elatioribus) folioliferis (vel saltem squamulis nonnullis sparsis); passim. Magis foliolosa et podetiis nonnihil recurvatis est f. *recurva* (Hffm., Ach.; *Cen. radiata* var. *contortuplicata* Ach. *L. U.* p. 548). — Var. 2) *corymbosa* (*Cen. allotropa* var. *corymbosa* Ach. *L. U.* p. 556; *C. ecmocyna* var. Ach. *Syn.* p. 263) Nyl. l. c. p. 207 differt a typo præsertim podetiis (sæpius efoliolosis) pro parte (hinc inde) fissura hiascentibus, apice (sæpe omnino altero latere fissis) radiato-ramosis vel subcorymbosis; passim. Est var. *fissa* Flk. *Clad.* p. 151. — Var. 3) *pungens* (Ach.) Fr., Nyl. l. c., differt a typo podetiis vulgo nonnihil minoribus magis attenuatis, sæpe dealbatis (f. *nivea* Ach. *Meth.* p. 354) in cæspites densiores congestis et intricato-ramosis; passim. Podetia ejus subnuda vel foliolis minutis parcis, sed variant foliolosa (etiam in Scandinavia).

* **Cl. crispata** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 207. — Thallus foliolis baseos albido-cinerascentibus vel albido-virescentibus parvis incisis crenatisque, interdum evanescentibus, podetiis concoloribus vel pallido-cinerascentibus vel subspadiceis glabris (nudis) ter quaterve sæpius iterato-proliferis ramosis, apice axillisque infundibuliformibus perviis, aperturis margine cristatis; apothecia parva fusca vel rufescentia. — Passim. Quasi hybrida *Cladoniæ gracilis* et *furcatæ*.

14. **Cl. cenotea** (Ach.) Schær., Nyl. *Syn.* p. 208.

Thallus basi efoliolosus aut ibi squamulis parvis lobato-crenatis, podetiis albidis vel albido-cinerascentibus cylindricis pulverulentis nudis, axillis apicibusque sæpe dilatatis scyphoideis et semper prorsus perviis, aperturis (intus sæpius fuscescentibus) margine denticulato et sæpius prolifero, podetiis ita repetito-proliferis indeque ramosis; apothecia fusca vel pallescentia.

Ad truncos putridos, inter muscos, in sylvaticis passim; rarius supra terram rupium. In Lapponia frequens (ex Sommerfelt).

Rarius podetia basi corticem glabrum conservantia. Var. *furcellata* Fr. *L. E.* p. 220 differt apicibus podetiorum longius dentatis vel subulato-furcellatis. Var. *crossota* (Ach. *Syn.* p. 272) parum a typo differt.

15. **Cl. squamosa** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 209, t. 6, f. 29. Thallus basi foliolis minutis vel squamulis crenatis vel crenato-incisis albido-cinerascentibus vel pallidis formatus, podetiis albidis squamulis minutis crebris exasperatis vel furfuraceis ramosis mediocribus, axillis perviis et aperturis dentatis proliferisque, apicibus furcatulis fertilibusve fere radiato-cristatis subcorymbosis; apothecia fusca vel pallescentia vulgo sat parva. Inter muscos, supra terram, saxa et ligna putrida frequens.

Est *Cenomyce sparassa* Ach. *Syn.* p. 273. F. *blastica* (Ach.) ægre discernenda. F. *frondosa* (Del.) Nyl. l. c., analoga formis *hypophyllæ* et *basimæ Cl. degenerantis*, e Scandinavia mihi (æque ac *basima*) adhuc ignota.

* **Cl. cæspiticia** Flk., Nyl. *Syn.* p. 210, t. 6, f. 27, 28, (excl. syn. *B. epiphyllus* Ach.). — Thallus sat parvus e foliolis constans pallide virescentibus laciniato-lobatis, margine crenatis aut eroso-laceris in cæspitem depressum congestis, podetiis brevissimis, sæpe divisis; apothecia testacea vel rufescentia, aut in podetiis iis, aut in foliolis adnata. — Supra terram ericetorum parce in Suecia præsertim magis meridionali; raro supra truncos putridos.

Est *Cenomyce strepsilis* Ach. L. U. p. 527, *Syn.* p. 249, et *Biatora Cladonia* Fr. *L. E.* p. 256. Differt mox ab *epiphylla* (Ach.) squamulis vel foliolis thallinis multo tenuioribus (in *epiphylla* foliola sunt firmula).

* * **Cl. delicata** Flk., Nyl. *Syn.* p. 210. — Est quasi imago diminuta *squamosæ* microphyllina, circa semipollicaris, podetiis granulato-furfuraceis vel squamulis minutis adspersis (hinc inde denudatis) apice sæpe breviter divisis. — Ad truncos putridos, præsertim quercinos, et inter muscos, in Suecia distributa ut *cæspiticia*, sin longius ibi versus septentrionem eat, nam in Finlandia adhuc in Hai-luoto ad Uleåborg provenit (Edwin Nylander).

Thallo furfuraceo-granuloso insignis, at granulorum loco interdum observantur squamulæ tenellæ. Transit ita in *cæspiticiam* (f. *plumosam* Ach. sub *strepsili)*, licet satis constans.

16. **Cl. rangiferina** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 211.

Thallus efoliolosus et esquamulosus, podetiis albido-cinerascentibus, apice sæpe cinereo-fuscescentibus, subglabris elongatis (altit. circa 3—5-pollicaris) gracilescentibus ramosis axillis perforatis, ramis breviusculis divaricatis vel subdeflexis subsecundis ramulosis, ramulis subradiatis, sterilibus apicibus nutantibus, fertilibus erectiusculis subcorymbosis.

Supra terram et saxa locis sterilibus copiosissime et latissime (jam typo, jam varietatibus) stipata.

Vix vegetabile ullum numero majore individuorum præpollens quam hæc cum varietatibus suis primariis. Podetia in typo pro magna parte cinereo-fuscescentia. Sunt vel glabra vel leviter granuloso-inæqualia (vel "rugoso-subverruculosa" Ach.). F. *cymosa* (Ach.) respicit statum fertilem (vulgo simpliciorem). F. *gigantea* (Bor., Ach.) Borbonica non differt ab europæa, nec est europæa majore major (altit. circa 5-pollicari), podetiis pro parte albidis, pro parte cinereo-fuscis. — Var. 1) *sylvatica* (Hffm.) Nyl. l. c. p. 212, differens præcipue podetiis albo-stramineis vel albidis, ramis haud secundis et apicibus concoloribus, ramulis sterilibus vix nutantibus; typo fere adhuc copiosior. — Var. 2) *alpestris* (Ach.) Schær., Nyl. l. c., similis *sylvaticæ*, podetiis albidis vel albido-stramineis divaricato-ramosissimis, ramis ramulisque maxime confertis intricatis, thyrsos densos formantibus; typo et hæc copiosior, vulgatissima. Est altit. circa 4—6-pollicaris. Var. *pumila* (Ach. *L. U.* p. 566, *Syn.* p. 278) est forma ejus minor vel pumila cæspitosa.

17. **Cl. uncialis** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 215.

Thallus efoliolosus, podetiis stramineis glabris strictiusculis subæqualiter crassis dichotome breviter ramosis, axillis pertusis, apicibus subulatis aut denticulis 2—5 coronatis (fertilibus digitato-ramosis); apothecia fusca vel pallescentia parva.

Socia *Cladoniæ rangiferinæ* et aliarum, frequentissima, longe vero minus copiosa quam præcedens.

Formæ Acharianæ *dicræa, adunca (biuncialis* Hffm.) et *grypea* Ach. ægre discernuntur. F. *bolacina* Ach. *L. U.* p. 559 modo est minor podetiis sæpe ramosissimis. Magis fere distincta est f. *obtusata* Ach. *L. U.* p. 55, passim in Scandinavia obvia, brevior, nonnihil robustior, apicibus obtusioribus (sæpe imperforatis) breviter denticulatis.

18. **Cl. amaurocræa** (Flk., Whlnb.) Nyl. *Syn.* p. 216; *Cenomyce oxyceras* f. *cladonioides* Ach. *Syn.* p. 264.

Similis *unciali* (et forte haud specie distinguenda), podetiis sæpe scyphophoris, magis gracilescentibus et strictis.

In sylvaticis passim. In Lapponia frequenter (Wahlenberg).

Podetia sæpius auguste scyphophora, margine scyphorum podicellatofertili (apotheciis majoribus sessilibus est *C. oxyceras* f. *cetrarioides* Ach. *Syn.* p. 264), scyphis sæpe proliferis et interdum diaphragmate perforatis, raro axillis perforatis. Apothecia parva vel mediocria fusca vel testaceo-pallescentia. Acharius eam cum *unciali* commiscuit, a qua quidem ægre rite separanda sit. — Adest rarius forma *destricta* Nyl. in Mus. Fenn., podetiis non strictis, sed vage directis, et apicibus subulatis sæpe longioribus; color interdum stramineo-cinerascens.

B. — Erythrocarpæ, *apotheciis coccineis.* — Species *19—24.*

19. **Cl. cornucopioides** (L.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 220.

Thallus albido-flavescens basi squamosus, squamis lobiformibus crenatis vel magis divisis et crenato-incisis aut minoribus squamuliformibus, podetiis glabris sæpe cortice granulatoinæqualibus aut squamuloso-exasperatis mediocribus (semipollicaribus aut pollicaribus) simplicibus scyphophoris, scyphis sæpius sat regularibus, interdum nonnihil margine proliferis; apothecia sessilia aut podicellata, haud raro confluentia.

Supra terram sterilem vel macram frequens, usque in Lapponia.

Cenomyce coccifera Ach. est hæc typica podetiis efoliolosis. Var. *asotea* (Ach. *Syn.* p. 269) podetia habet e scypho primario prolifera (vel aggregato-prolifera). F. *cornucopioides* Ach. differt ab *asotea* scyphis e diaphragmate et margine foliolifero proliferis. Occurrit raro typi forma apotheciis quasi expansis, scyphos totos (primarios, vel aliquando, si adsunt, secundarios) plus minus tegentibus. Variat quoque typus podetiis abbreviatis curtis microphyllino-scabris vel totis microphyllinotectis, var. *epiphylla* Fr., rarius inter muscos obvia.

* **Cl. pleurota** (Flk., Whlnb., Ach. *Syn.* p. 270). — Similis *cornucopioidi* typicæ simpliciori, sed podetiis (albido-flavescentibus vel dilute pallido-virescentibus) superficie pulverulentis (interdum margine scyphorum prolifero). — Cum eadem

passim, usque in Lapponia, (et vix nisi varietas ejusdem, nam occurrit quoque podetiis basi corticatis).

20. **Cl. bellidiflora** (Ach.) Schær., Nyl. *Syn.* p. 221.

Thallus stramineus, basi squamoso-foliolosus, foliolis firmulis varie divisis crenatis vel crenato-incisis, podetiis longiusculis (sæpius alt. 2—3-pollicaris, crass. 1—2,5 millim.) corticatis subsimplicibus et foliolis vel squamulis exasperatis, scyphis angustis aut non rite evolutis (interdum divisis); apothecia majuscula, sæpe conglomerata.

Supra terram sterilem et ad latera rupium in regionibus frigidioribus Scandinaviæ rarius; in Lapponia autem sat frequenter.

Squamæ baseos vel foliola sæpius glaucescentia, interdum majuscula. Typica est *Cenomyce bellidiflora* et f. *polycephala* (hæc brevior magisque irregularis et squamulosa) Ach. *Syn.* p. 271, apotheciis majoribus. Iisdem minoribus sistit formas *ventricosam* Ach. ibid. p. 270, *ampulliferam* et *gracilentam* p. 271, sæpe substeriles et invicem ægre separandas. F. *polycephala* occurrit adhuc in Alandia; f. *gracilenta* adhuc in Hogland. — Var. *Hookerii* (Tuck.) Nyl. l. c. differt podetiis glabris esquamulosis (aut aliquando squamulis hinc inde raris); in Norvegia ad Hammerfest. Accedit ad f. *gracilentam*, quæ etiam diminuta occurrit in Finlandia.

21. **Cl. deformis** (L.) Hffm., Nyl. *Syn.* p. 222.

Thallus sulphureus vel stramineus, basi foliolosus (foliolis pallide glauco-virescentibus incisis crenatis subtus albis vel pallidis), podetiis superficie subtiliter pulverulentis turgidis (alt. 2—4-pollicaris) simplicibus nudis scyphophoris, scyphis regularibus aut difformibus; apothecia discreta aut conglomerata.

Supra terram sterilem sat frequens. Rarius supra truncos putridos.

Comparanda cum *pleurota*, sed extensior. Foliola baseos sæpe majuscula. Podetia aut sursum sensim incrassata (f. *gonecha* Ach., iis simul sæpius apice irregularibus), aut ante apicem (scyphum) leviter interdum angustata. F. *pulvinata* Ach. est typus basi thalli magis foliolosa et podetiis contra minus evolutis angustis; raro hæc forma quoque supra truncos putridos. F. *crenulata* (Flk., Ach.) est typus sterilis (margine scyphi crenulato-dentato) vel apotheciis minutis. Interdum podetia observantur fere tota corticata (et sulphureo-virescentia), solum apice pulverulenta. Interdum podetia conspiciuntur hinc inde fissa.

22. **Cl. digitata** (L.) Hffm., Nyl. l. c.

Thallus basi foliolosus, foliolis pallide glauco-virescentibus crenato-incisis vel lobatis crenatisque subtus albis vel albidis (ibique plerumque pulverulentis), podetiis albis vel albidis superficie tenuiter pulverulentis nudis cylindraceis mediocribus (1—2-pollicaribus) simplicibus (vel rarius divisis) scyphophoris, scyphis margine aut subintegro (sæpe simul subinflexo) aut varie diviso vel digitato et podicellato-radiato; apothecia ut in præcedente.

Supra truncos putridos et inter muscos frequentissime.

Facie peculiari, scyphis variis, sæpe margine digitato-dentatis. Plerumque basi macrophylla, foliolis sæpius latis; podetia ex eorum medio vel margine enata. Ad typicam pertinet f. *denticulata* Ach. podetiis (crass. 2,5—4,5 millim.) spermogonophoris aut microcarpis. F. *cephalotes* Ach. eadem typica *digitata* est apotheciis magis evolutis mediocribus normalis. F. *monstrosa* (Ach. *Syn.* p. 268; *Cen. apophysis* Duf. *Rév. Clad.* p. 20) est eadem magis abnormis, scyphis difformibus et divisis, ramosis vel subproliferis. F. *brachytes* (Ach.) podetia habet simplicia minora (altit. 7—10 millim.) graciliora (crass. 1—1,5 millim.) scyphis regularibus (at angustis) spermogonophoris aut apothecia minuta ferentibus. F. *cerucha* (Ach. *Syn.* p. 268) podetia habet simplicia mediocria (1—2-pollicaria) subventricosa (crass. 2,5—4,5 millim.) superne vel apice attenuata, fere cornuta, scyphis minutis angustatis sterilibus aut spermogonophoris.

23. **Cl. macilenta** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 223, t. 6, f. 24—26.

Thallus basi foliolosus vel squamulosus, foliolis pallide glauco-virescentibus vel glauco-cinerascentibus (sæpius parvis vel minutis) incisis vel crenatis aut squamuliformibus, podetiis albis vel albidis superficie pulverulentis vel pulvereo-granulosis (circa pollicaribus) gracilescentibus (crass. circa 1 millim.) simplicibus (aut interdum apice breviter divisis) ascyphis obtusis vel rarius anguste (vel irregulariter) scyphophoris; apothecia tuberculose confluentia.

Supra truncos putridos et terram turfosam vel muscosam, ad rupes et in ericetis, passim sat frequens (sed rarius bona).

Est *Cenomyce bacillaris* Ach. typus hujus speciei, quæ formis magis evolutis transire videtur in *digitatam* (foliolis baseos thalli macris). Typica podetia habet superficie tenuiter albo-pulverulenta, rarius usque 2-pollicaria. Sterilescens, podetiis subventricose cornutis (crass. 2—2,5

milim.) est f. *clavata* (Ach. *Syn.* p. 267). — F. *scolecina* (Ach. *Meth.* p. 324, t. 7, f. 2) est similis *clavatæ*, sed minor (alt. 5—10 millim., crass. 1 millim. vel gracilior), podetiis basi cinerascenti-granulosis et squamulis thalli baseos cinerascentibus pro parte granulosis vel granuloso-dissolutis; ad ligna putrida, et vix nisi sterilis. — F. *styracella* (Ach. *Meth.* p. 330) differt a *scolecina* thallo basi foliolis pallidis tenuibus lobatis subimbricatis vel nonnihil dispersis sat minutis, podetiis albis subuliformibus (altit. circa 6—8, crass. basi circa 0,5 millim.) sursum attenuatis; ad truncos putridos rarius, at modo sterilis visa. — Var. *coronata* (Ach. *Meth.* p. 333, *Syn.* p. 267; var. *polydactyla* Flk., Nyl. *Syn.* p. 224), in Scandinavia a me haud observata, est typus magis evolutus foliolis basalibus majoribus pallide virescentibus multifidis et crenatis, podetiis apice varie vel digitato-ramosis vel scyphis angustis proliferis. — Var. *carcata* (Ach. *L. U.* p. 568, *Syn.* p. 266) differt a typo podetiis granulato-pulverulentis (sæpe cinerascentibus) vel interdum simul squamulosis; passim hæc ad rupes Scandinavicas (inter muscos et alios Lichenes) obvia et sæpe pro *Flærkeana* sumta.

24. **Cl. Flærkeana** Fr. *L. S. exs.* 82, Nyl. *Syn.* p. 225.

Similis *macilentæ* et parum differens podetiis continue vel sat continue corticatis apice sæpe obsolete scyphophoris aut breviter divisis.

Supra terram in Scandinavia rara, at ægre sicut species propria consideranda, nam confluere videtur cum præcedente.

II. — PILOPHOROON Tuck.*)

Thallus podetiis constitutus rigidis cylindricis fistulosis aut intus arachnoideo-filamentosis, cortice granulato indutis. Cephalodia sæpe tuberculosa testacea vel testaceo-fuscescentia podetiis sparse adnata. Apothecia atra cephalodina (sæpe subglobosa); sporæ oblongo-ellipsoideæ simplices mediocres.

1. **P. robustum** (Th. Fr.) Nyl. *Syn.* p. 228, t. 7, f. 4.

Thallus podetiis constans albidis vel albido-glaucis (circa pollicaribus) superficie verruculoso-granulatis apicem versus bre-

*) Nomen hoc cl. Th. Fries mutat et scribit "Pilophorus Th. Fr." Cur non jure et more simili scribat Stereocaulus Th. Fr.?

viuscule subcorymbose ramosis, basi cæspitose conjunctis vel stipatis; apothecia convexa hemisphærica; sporæ ellipsoideæ vel fusiformi-ellipsoideæ.

In Norvegia boreali ad rupes irriguas (Blytt et Th. Fries). Rarum videtur.

Trib. V. — STEREOCAULEI.

Thallus (plerumque cæspitosus) e podetiis constitutus axi medullari (chondroideo) solido; huic axi pallido vel albido partes exteriores thalli (stratum corticali-gonidiale et arachnoideo-medullare) adfixæ, sæpissime formam habent varie granulosam, et substantiæ sunt fragilis. Apothecia terminalia aut lateralia (in ramulis lateralibus terminalia) lecideina nigricantia vel fusca (juniora tum pallidiora).

I. — **STEREOCAULON** Schreb.

Podetia granulis adspersa valde fragilibus et formas varias habentibus. Apothecia fusca vel fusco-pallescentia; sporæ cylindraceo-fusiformes pauci-vel pluri-septatæ (septis 3—9). Spermogonia (fere ut in Cladoniis) spermatiis aciculari-bacillaribus rectis aut longioribus leviter curvatis.

1. **St. coralloides** (Schreb.) Laur., Fr., Nyl. *Syn.* p. 241, t. 7, f. 16.

Thallus mediocris podetiis (circa $1^1/_2$—2-pollicaribus erectis vel adscendentibus ramosis basi cæspitose junctis, axi glabro, granulis cinerascentibus subfibrillosis vel digitato-divisis; apothecia mediocria terminalia et lateralia; sporæ 3-septatæ.

Supra saxa in Scandinavia passim (minus vero bonum quam in montanis Europæ temperatæ).

Maxime affine sequenti, differt nonnihil granulis thallinis fibrillosodivisis magis cinerascentibus et podetiis cæspitosis. Sæpe autem ambo confluere videntur.

2. **St. paschale** Laur., Fr., Nyl. *Syn.* p. 242, t. 7, f. 18—28.

Thallus mediocris vel sat elatus podetiis (altit. circa 2—3-pollicaribus) erectis vel adscendentibus aut subdecumbentibus ramosis, axi gracilescente glabriusculo nudo (vel leviter albo-arachnoideo), granulis albo-cinerascentibus vel albidis crenatis; apothecia mediocria terminalia vel subterminalia planiuscula vel convexa; sporæ sæpius 3-septatæ (at interdum septis 5—9).

Inter muscos supra rupes et terram, præcipue pinetorum, copiosissime, plagas sæpe sat latas occupans dense stipatum. Raro omnino saxicola (tum sæpius minus evolutum).

Polymorphum. Stipatum aut subdispersum. Podetia rectiuscula aut sæpe nonnihil flexuosa, substrato vulgo laxe adhærentia, axi haud raro compressiusculo. Sporæ long. 0,018—40, crass. 0,0035—45 millim. Cephalodia verrucosa cinerascentia. Podetiis variat humilioribus subdecumbentibus vel interdum depressum subcrustosum, aut microcarpum aut apotheciis majoribus; interdum cinerascens et aliquando facie *coralloidis* minoris, quare ut f. *subcoralloides* id inscripsi in Mus. Fenn. — Occurrit quoque typus sat raro forma gracilenta teneriore granulis depressis glauco-cinerascentibus planiusculis crenato-incisis vel digitatis (f. *squamescens* Nyl. in Mus. Fenn.).

3. **St. tomentosum** Laur., Fr., Nyl. *Syn.* p. 243.

Sat simile *paschali*, sed axi podetiorum arachnoideo-tomentoso, et vulgo potius depressum ramis divaricatis sæpius subdistichis (podetiis subtus fere egranulosis), apotheciis mediocribus vel minoribus.

Supra terram arenosam et in ericetis passim frequens.

Podetia basi plerumque substrato arcte adhærentia et sæpe cæspitose divisa; interdum magis libera et fere solitaria. Granula squamuliformia varie crenata, interdum fere imbricata. Est typicum f. *campestre* Krb. *S. L. G.* p. 11. — Var. 1) *alpinum* (*St. alpinum* Laur., Fr.) Nyl. *Syn.* p. 244 differt granulis albidis magis turgidulis verrucoso-conglomeratis, ramis podetiorum minus divaricatis, podetiis sæpe magis erectis, axi sæpe tenuius tomentoso, apotheciis mediocribus; in Lapponia et in alpinis obvium. Haud separari possit var. *alpestre* Th. Fr. — Var. 2) *botryosum* (Ach. pr. p., Laur.) podetiis dense cæspitosis axi nudo glabro (in ramulis leviter arachnoideo), granulis verrucoso-turgidulis in ramulis solum et ibi valde conglomeratis (podetiis parte inferiore egranulosis), apotheciis sæpe dilatatis (usque latit. 5 millim. in speci-

minibus ex alpe Dovre reportatis a cel. Schimper) planiusculis; in alpinis. — Var. 3) *Walamoënse* Nyl. l. c. habet podetia simpliciuscula tenera (altit. circa 5—6 millim.) axi dense vel tenuiter albido-tomentoso, granulis sat parvis albidis vel albido-glaucescentibus verruculoso-turgidulis; supra terram arenosam insulæ Walamo, podetiis sat confertis vel stipatis; in Hogland vero subsimile iis minus confertis vel subdispersis, in arena (Edwin Nylander). Est hoc *Walamoënse* quasi *alpinum* pygmæum, sed sterile modo visum. — Var. 4) *incrustatum* (Flk.) Nyl. *Syn.* p. 245 simile est *alpino* minori, podetiis (1—2-pollicaribus) erectis, axi tomento arachnoideo compacto obductis apotheciisque terminalibus; ex Fr. *L. E.* p. 203 in Gottlandia crescens indicatur.

4. **St. denudatum** Flk., Nyl. *Syn.* p. 247, t. 7, f. 29.

Thallus minor vel mediocris, podetiis (circa 1—2-pollicaribus) sæpius gracilescentibus simpliciusculis aut ramosis, apice plerumque attenuatis, axi nudiusculo, granulis albidis vel albocinerascentibus planiusculis medio depressis ibique obscurioribus (vel lividis) margineque sæpius crenulatis; apothecia fusca sat parva (vix lat. 1 millim. vel minora), plana vel convexiuscula, terminalia et lateralia; sporæ 3-septatæ (rarius septis 5—7).

Supra rupes (in muscosis et lichenosis) satis frequenter.

Optime dignoscitur forma granulorum crasse subpeltata (iisque quasi late albido-marginatis et basin podetiorum versus magis evolutis). Rami pauci attenuati divergentes. Cephalodia olivaceo-fuscescentia verrucoso-glomerulosa. Pulvinuli simul haud raro podetiis adnascuntur *Sirosiphonis saxicolæ* Næg. parasitæ. Hi pulvinuli cum cephalodiis commixti sunt in Th. Fr. *Ster. Piloph.* p. 13; sed nihil commune habent cum iisdem. Cf. Nyl. in *Ann. Sc. nat.* 4, XI, p. 252.

5. **St. condensatum** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 249, t. 7, f. 31.

Thallus pumilus podetiis brevibus (semipollicaribus vel minoribus) aut brevissimis (interdum vix ullis) validiusculis simplicibus vel subsimplicibus, axi nudiusculo vel tenuissime arachnoideo, granulis thallinis cinerascenti-albidis vel cinerascentibus nodulosis crenulatis aut crenato-incisis (et ceteroquin supra substratum, cui adnascitur, crustam granulosam laxam formantibus); apothecia fusca leviter convexa mediocria (lat. 1—1,5 millim.), sæpe nonnulla confluentia; sporæ 3—7-septatæ.

Supra terram macram in Suecia magis meridionali parce

(etiam in ins. Bornholm, ex cl. Lange). Quoque e Lapponia non bonum adest in Mus. Fenn.

Var. 1) *cereolinum* (Ach. *Syn.* p. 285, excl. syn. Bor.) Nyl. *Syn.* p. 250 differt solum thallo saxo arcte adfixo, axi podetiorum gracilescentium etomentoso; supra saxa granitica in Suecia et Finlandia meridionali rarum. Sæpe sorediiferum. Frustra separantur ut species autonomæ *cereolinum* et *condensatum*, nam nulla differentia eorum conspicua vel stabilis; tamen longe unum ab altero in Th. Fr. *Ster. Piloph.* p. 19 et 34 disjiciuntur. Cephalodia verrucosa obscure cinerascentia. — Var. 2) *condyloideum* (Ach.) Nyl. l. c. p. 251 simile est *condensato*, sed vegetius podetiis (semipollicaribus vel paullo ultra) simpliciusculis vel sæpius aliquoties ramosis, ramis apice brevissime ramuloso-divisis; locis aridis supra terram arenosam in Suecia (hb. Ach.) et in Finlandia media. Cephalodia sicut in *condensato* et *cereolino*.

6. **St. nanum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 253.

Thallus pumilus, podetiis gracilentis cæspitose congestis simpliciusculis vel supra medium parce ramosis, ramis sæpe subfastigiatis, axi filiformi-gracili albido obsolete arachnoideo vel sæpissime glabro, granulis albido-glaucescentibus vel subæruginosis minutis nodulosis vel pulveraceis; apothecia ignota.

In fissuris laterum rupium vel in earum cavernis supra terram et inter muscos in Suecia (vix vero ultra mediam septentrionem versus) et in Norvegia.

Series III. — RAMALODEI.

Thallus fruticulosus vel filamentosus, erectus aut pendulus, teres aut varie compressus vel angulosus, absque foliolis ullis vel granulis aut crusta basali, intus medulla cava tubulosus aut solidus. Apothecia plerumque lecanorina.

Trib. VI. — ROCCELLEI.

In Scandinavia deest hæc tribus parva, speciebus nonnullis in terris temperatis vel calidioribus supra saxa maritima obvia.

Trib. VII. — SIPHULEI.

Thallus sat tenax podetiiformis albus vel albidus opacus (nitore destitutus), aut medulla repletus (in *Siphula)* aut fistulosus (in *Thamnolia).* Apothecia haud rite cognita.

I. — **SIPHULA** Fr.

Thallus e stipitibus constans erectis firmulis, apicibus obtusiusculis, medulla alba densa ex elementis filamentosis cavis longitudinalibus conferte dispositis constituta.

1. **S. ceratites** Fr., Nyl. *Syn.* p. 262.

Thallus albus vel albidus cylindricus vel teretiusculus longitrorsum rugulosus aut sublævis (circa pollicaris), bifurcatus vel ramosus, ramis fastigiatis strictis, sæpissime dense cæspitoso-stipatus, substrato arcte adhærens (ramulisque radiculosis patentibus adfixus).

Supra terram nudam vel muscosam in alpibus Norvegiæ et ad Mare Glaciale.

II. — **THAMNOLIA** Ach.

Thallus e stipitibus (vel podetiis) constans cylindricis vel compressiusculis cornutis imperforatis simplicibus vel nonnihil ramosis, apicibus acutis.

1. **Th. vermicularis** (L.) Ach., Schær., Nyl. *Syn.* p. 264, t. 8, f. 6.

Thallus cretaceo-albus vel albidus (2—4-pollicaris), jam prostratus, jam adscendens aut erectus, jam simplex, jam bifurcatus, lævis aut longitudinaliter rugulosus, jam fere dispersus, jam stipatus.

Supra terram muscosam vel lichenosam (sæpe inter Cladonias) in alpinis et frigidis passim. Adhuc in Gottlandia et Oelandia (Stenhammar). Quoque in Karelia orientali.

Podetia crass. circa 1—1,5 millim. rarius suberecta, sæpius nonnihil flexuosa. Variat (var. *taurica* Ach.) turgidior, stipitibus ventricoso-

cornutis, crass. 3—6 millim., sæpe divergenti-ramuliferis (ramulis cornuto-subulatis). Var. *glebosa* Schær. *Enum.* p. 244 differt stipitibus firmioribus crassis prostratis crustose confluentibus et contortis valde inæqualibus (crustam crassit. 10—12 millim. interdum formantibus), ramulos subulatos curvatulos vel cornutos (sat graciles) hinc inde emittentibus; in monte Gemmi Helvetiæ (Schærer). Notanda hæc varietas eximia, ut genus paradoxum illustrans. Spermogonia in eadem frequentia lateralia majuscula (extus ostiolo distincto indicata et interdum margine thallino tumidulo coronata) tota albida vel incolora; arthrosterigmata crass. circa 0,004 millim. (Nyl. *Syn.* t. 8, f. 6); spermatia cylindrica, long. circa 0,005, crass. vix 0,001 millim., utroque apice vix vel obsolete incrassatula. Spermogonia similia in typo vel in var. *taurica*.

Trib. VIII. — USNEEI.

Thallus coloris albidi vel pallido-virescentis (in una specie læte flavo-virens), ramosus et ramulosus tenax teres erectus aut pendulus, intus axi filiformi firmo. Apothecia lecanorina peltata, margine thallino sæpe ramulis ciliata; sporæ incolores parvæ ellipsoideæ, paraphyses haud discretæ. Spermogonia sterigmatibus simplicibus vel simpliciusculis.

I. — USNEA Hffm.

Thallus axi medullari solido. Apothecia thallo concoloria (vel subconcoloria) terminalia vel lateralia. Spermogonia lateralia, conceptaculis incoloribus, sterigmatibus simplicibus, spermatiis rectis cylindrico-acicularibus utroque apice truncatulis et versus alterum apicem (inferiorem, spermatio adhuc adfixo) fusiformi-incrassatula.

1. **U. barbata** Fr., Nyl. *Syn.* p. 267, t. 8, f. 7—9.

Thallus albido-glaucescens vel pallidus teres varie ramosus erectus aut pendulus; apothecia mediocria vel majuscula (rara).

F. 1) *florida* (L., Hffm., Ach.) Fr., Nyl. l. c., thallo erecto, fi-

brillis horizontalibus crebris, ramis patentibus subsimplicibus, apotheciis mediocribus vel majusculis pallidis vel glaucescentibus; ad arbores et saxa rarius, ultra Scandinaviam mediam vix procedens. Huc jungenda etiam, ut status minus fibrillosus sit *U. plicata* var. *comosa* Ach. vel forte melius consideranda, ut vult Wahlenberg (in *Fl. Suec.* p. 845), tamquam *plicata* erectior. Observandum vero in Nyl. *Syn.* p. 267, f. *strigosam* Ach. *L. U.* p. 621 pertinere saltem pro parte ad *ceratinam.* — F. 2) *hirta* (L.) Fr., Nyl. l. c. est minor (alt. 1—3-pollicaris) erecta vel subpendula albido-virescens vel albido-flavescens minute crebre fibrillosa ramosissima, ramis sæpe sorediis verrucoso-pulverulentis, apotheciis raris fere mediocribus; ad sæpes et ligna fabrefacta frequentissime (statui *comosæ* formæ præcedentis proxime accedens, sed sæpius minor et ramis sorediose scabriusculis). Jungenda videtur *hirtæ* f. *villosa* Ach. (*floridæ L. U.* p. 621, *Syn.* p. 305) — F. 3) *dasypoga* (Ach.) Fr., Nyl. l. c. p. 268, similis *floridæ,* sed thallo elongato pendulo, "fibrillis brevibus patentissimis" sat crebris; passim frequenter. *U. barbata* Ach. est status (minus fibrillosus) hanc cum *plicata* jungens. — F. 4) *plicata* (L.) Fr., Nyl. l. c., parum distincta a *dasypoga* thallo (similiter pendulo elongato-implexo) non vel parce fibrilloso-ramuloso (vel ramulis fibrillosis patentibus evanescentibus); valde frequens, et sicut *dasypoga* e ramis præsertim arborum pendula. — F. 5) *articulata* (Ach.) Nyl. l. c. thallo pendulo articulato (articulato-fracto), e Scandinavia mihi haud visa. — F. 6) *ceratina* (Ach.) Nyl. l. c. thallo erecto aut pendulo (varie fibrillifero) papilloso-aspero; forte in Suecia vel Norvegia obvia sit (in Islandia viget ex hb. Fischer.).

2. **U. longissima** Ach., Nyl. *Syn.* p. 270.

Thallus albido-flavescens vel albido-cinerascens gracilis longissimus pendulus, longe et parum ramosus, crebre longeque fibrillosus, fibrillis omnino patentibus; apothecia in ramulis terminalia mediocria.

In Norvegia ad Christianiam (Th. Fries, ex Stenh. *L. S.* ed. 2, 64). Ceteroquin ad arbores montium in Lusatia, Gallia, Germania.

II. — **NEUROPOGON** Nees. et Flot.

Thallus rigens erectus, axi medullari solido aut intus cavo. Apothecia thallo discoloria nigra (aut variantia pallida) terminalia vel subterminalia.

1. **N. melaxanthus** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 272, t. 8, f. 12.

Thallus pallescens vel flavescens (sæpe basi vel maculatim niger et apicibus denigratis), ramosus, ramulis apicalibus attenuatis.

In montibus Spitsbergensibus adest, et forte ad oram Lapponiæ sit detegenda. In zona arctica hæc solum macra et sterilis lecta, in antarctica longe vegetior et fertilis.

III. — **CHLOREA** Nyl.

Thallus (in nostra specie) flavo-virescens ramosus mollescens, axi thalli chondroideo intus sæpe centro cavo. Apothecia, discoloria infuscata. Facies evernioidea, sed ob thalli texturam et apotheciorum marginem thallinum ramuloso-ciliatum et spermatiorum formam absolute ad hanc tribum pertinet.

1. **Chl. vulpina** (L.) Nyl. *Syn.* p. 274, t. 8, f. 13.

Thallus citrino-virens (altit. circa 2—3-pollicaris) superficie lacunosus vel anguloso-lacunosus sæpe compressiusculus, ramis extimis apice attenuatis; apothecia spadiceo-fusca.

Ad ligna fabrefacta et supra tecta in regionibus frigidioribus Sueciæ. Forte etiam ad pinos invenienda, sicut in montibus Europæ mediæ vel australioris.

Var. *xantholina* Ach. nullo modo differt a typo, magis vero saltem ejus var. *incomta* (*L. U.* p. 444) sorediis aureo-citrinis granulosis et fibrillosis e fibrillis sorediiferis (ex Helvetia, in hb. Ach.).

Trib. IX. — RAMALINEI.

Thallus teres aut compressus, jam erectus, jam pendulus, intus medulloso-stuppeus, medulla laxa vel cava. Apothecia thallo discolora (aut raro fere concolora) lecanorina, margine thallino integro (interdum excluso); paraphyses aut non discretæ aut discretæ, sporæ variæ. Spermogonia sterigmatibus pauci-articulatis; spermatia aut acicularia (utroque apice fusiformi-incrassatula aut aliis cylindrica) aut oblonga vel oblongo-cylindrica.

I. — ALECTORIA Ach. pr. p., Nyl.

Thallus teres vel compressus, jam erectus, jam prostratus vel pendulus, filamentosus, medulla laxa arachnoidea vel omnino cava, sæpe intricato-ramosus; epithallus nitidiusculus. Apothecia paraphysibus non discretis, sporis ellipsoideis. Spermogonia spermatiis tenellis acicularibus versus utrumque apicem leviter fusiformi-incrassatulis. Species hujus generis raro fertiles.

1. **A. divergens** (Ach., Whlnb.) Nyl. *Syn.* p. 278, pr. p.

Thallus fusco-castaneus aut spadiceo-fuscescens teretiusculus aut subangulatus (crassit. circa 16 millim.) erectus aut prostratus rigescens nitidiusculus, sæpius ramosissimus, ramis divergenti-dichotomis; apothecia non examinata.

In alpinis Scandinaviæ et ad Mare Glaciale haud rara. Deinde in America arctica.

Spermogoniis sæpe in Scandinaviæ alpinis obvenit. Hæc organa tuberculis nigris parum prominulis lateralibus contenta (sæpe aggregata); spermatia solita, longit. 0,007, crassit. vix 0,001 millim.

2. **A. bicolor** (Ehrh., Ach.) Nyl. *Syn.* p. 279.

Similis præcedenti, sed thallus minor (crass. circa 0,5 millim.) divaricato-fibrillosus magis nigricans, sæpe dense intricatus, apicibus expallidis; apothecia minora, thecis 8-sporis.

Ad saxa alpium vel montium editiorum, inter muscos. In Finlandia non visa.

3. **A. nigricans.** — *Cornicularia ochroleuca* var. *nigricans* Ach. *L. U.* p. 615, *Syn.* p. 301; *Corn. Boryana* Del. mscr.; *Alectoria divergens* Nyl. *Syn.* 278 pr. p., t. 8, f. 17.

Thallus castaneo-nigricans (basi castaneo-spadiceus, superius obscurior vel nigricans) teres vel compressiusculus erectus vel adscendens opacus dichotome ramosissimus intricatus; apothecia badio-fusca lateralia aut terminalia (truncis thallinis crassioribus adnata) mediocria (latit. 4—9 millim.); thecæ 2(—3)-sporæ, sporæ ellipsoideæ incolores majusculæ.

In alpibus borealibus Sueciæ, ex Achario (et hb. ejus). In

Lapponiæ montibus variis locis inter alios Lichenes (Edwin Nylander).

Affinis et simillima *divergenti*, sed thallo magis opaco, minus fragili, colore quasi sordidiore, ramis ramulisque tenerioribus magis implexis. Habitu simul cum *ochroleuca* densiore convenit, et interdum vel sat constanter in herbariis chartam erythrinice maculat (quod rarius in *ochroleuca* observatur). Apothecia modo visa in speciminibus ex America arctica (cf. Nyl. l. c. t. 8, f. 17); verisimiliter sporæ quoque 4 in thecis observabuntur (æque ac in analoga *ochroleuca*).

4. **A. jubata** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 280, t. 8, f. 18—19.

Thallus fuscus vel nigricans aut livido-fuscescens vel pallescens teres filiformis elongatus gracilis ramosus pendulus vel prostratus plerumque valde implexus; apothecia badia plana vel convexiuscula sat parva (latit. 1—2 millim.); sporæ 8^{næ} incolores parvæ.

Ad truncos et ramos arborum, præsertim in pinetis, (aut ad saxa et ligna) in sylvaticis vulgaris, Usnearum socia.

Typica sit f. *prolixa* (et *stricta*) Ach. thallo fusco vel fusco-nigricante pendulo; f. *lanestris* Ach. *L. U.* p. 593, *Syn.* p. 292, est similis, sed minor tenerior densior, tamen confluens cum *prolixa*. F. *implexa* (Hffm., Ach.) non differt a prolixa nisi colore thalli fusco-pallescente vel sordide pallido; est frequentissima ad arbores et saxa, nec ab ea differt f. *capillaris* (Ach.), nec f. *setacea* (Ach.). F. *cana* (Ach.) haud magis differt nisi thallo teneriore incano vel albido-cinereo (occurrit autem thallo pro parte fusco, sic in *prolixam* revergens). Tandem f. *chalybeiformis* (L., Ach.) similis *implexæ*, sed thallo prostrato olivaceo-nigro vel castaneo-nigricante; ad ligna et saxa vulgaris.

5. **A. ochroleuca** (Ehrh., Hffm.) Nyl. *Syn.* p. 281, t. 8, f. 24.

Thallus ochroleucus vel stramineo-albidus fruticuloso-erectus (aut in varietate prostratus) rigescens teres aut compressiusculus, lævis aut nonnihil lacunoso-impressus, ramulis attenuatis (sæpius apicibus vel interdum ramis latius denigratis); apothecia subterminalia badio-rufescentia vel badio-fusca aut fusco-nigra; sporæ 2—4^{næ} fuscæ.

Supra terram in alpinis et subalpinis Scandinaviæ, inter alios Lichenes, sat frequenter.

Var. 1) *sarmentosa* (Ach., Nyl. l. c. p. 282, differt thallo (sæpe ma-

gis pallescente) elongato (sæpe pedali et ultra) pendulo ramosissimo, axillis compressis, apicibus (ramulis) attenuatis longis concoloribus implexo, apotheciis badio-rufis vel fuscis, sporis 3—4nis; ad arbores in sylvis nostris vulgaris, at rarissime fertilis. — F. *cincinnata* (Fr. *L. E.* p. 22) est intermedia inter typum et var. *sarmentosam*, prostrata, thallo lacunoso; ad rupes et supra terram ad Mare Glaciale; quoque in Alandia fertilis (Edwin Nylander).

II. — EVERNIA Ach., Nyl.

Thallus molliusculus vel flaccidus erectus aut adscendens aut prostratus vel pendulus, applanatus aut teretiusculus, laciniosus aut ramosissimus, rhizinis (subtus) fibrilloideis destitutus; intus stuppeo-medullaris totus (nec cavitate ulla). Apothecia lateralia, sporis parvis ellipsoideis simplicibus, paraphysibus haud discretis. Spermogonia sterigmatibus pauci-articulatis, spermatiis tenellis acicularibus utroque apice acutiusculis et versus utrumque apicem tenuissime fusiformi-incrassatulis. — Accedunt species hujus generis arctissime ad *Parmelias*.

1. **E. furfuracea** Mann., Nyl. *Syn.* p. 284.

Thallus cinerascens laciniosus, plerumque superficie supera pro parte isidioso-furfuraceus, aut dealbatus glaber, subtus subcanaliculato-concaviusculus niger (vel cœrulescenti-niger vel cæsio-nigricans), laciniis dichotome pluries divisis; apothecia badio-rufa submarginalia.

Ad arbores vulgaris, sed rarius fertilis; quoque ad ligna haud raro obvenit. Ad limites saltem Lapponiæ procedit.

Variat thallus (depressiuscule cæspitosus) subtus maculatim vel pro parte roseo-albidus vel albidus. Variat laciniis angustatis magis convexis (præsertim versus apices) sæpe acuminatis (var. *ceratea* Ach.). Variat deinde similis typo, sed thallo crebre (saltem pro parte) isidioso-furfuraceo vel isidioso-fibrillose hispido (var. *scobicina* Ach.). Variat denique similis typo, sed minor plerumque et laciniis planiusculis albidis aut nonnihil (violacee) nigrescentibus (sæpe apicibus late) et nudis (var. *nuda* Ach.); passim obvia, et ab eadem parum differt Evernia *prunastri* var. *candidula* Ach. *Syn.* p. 245 (solum laciniis thallinis pro maxima parte subtus albidis, basi solum subtus nigricantibus, apicibus summis fuscis, junior). Variat dein forma *ceratea* Ach. sorediis albis verrucoso-globosis pulverulentis sparsis parvis vel mediocribus.

2. **E. prunastri** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 285.

Thallus albidus vel albido-pallescens vel albido-flavescens sublacunosus vel subreticulatim rugosus, multifide laciniosus, laciniis dichotome pluries divisis, marginibus plerumque involutis, subtus albior lacunose nervosus (fere sicut in pagina supera); apothecia fere ut in præcedente.

Ad arbores et ad sæpimenta lignea in Scandinavia vulgaris (saxicolam in Savolaxia legit Edwin Nylander), at rarissime fertilis. Rarescit versus septentrionem (f. *retusa* adhuc in Ostrobottnia boreali adest), nec adhuc in Lapponia nisi in Nordlandia ad ramos pinorum lecta sit (Sommerfelt).

Variat sæpe marginibus laciniarum albo-sorediosis (raro simul sparsis); est var. *sorediifera* Ach. *L. U.* p. 443. Variat (typus thallo erecto) rarius pendula. Variat typica gracilior (var. *gracilis* Ach. *L. U.* p. 442) laciniis angustatis (latit. circa 2 millim.); hæc interdum thallo utrinque simili (quæ tunc forma prostrata vel pendula transit fere in *divaricatam*). Non differt a f. *gracili* Ach. var. *arenaria* (Retz.) Fr. *L. E.* p. 26, "in campis arenosis" Sueciæ australis raro crescens. Variat deinde thallo cæspitoso brevius laciniato, laciniis confertis apicibus retuso-emarginatis (var. *retusa* Ach., Westr. *Lafv. Färgh.* t. 11, f 13). Supra tecta et sæpes passim. Var. *stictocera* (Sm. *E. Bot.* t. 1353) Ach. est typus thallo tuberculis parvis heterogeneis fuscis vel fusco-nigris adsperso, status accidentalis.

3. **E. mesomorpha** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus ochroleucus vel dilute albido-flavescens erectus vel subprostratus (vix rigescens vel subflaccidus), longitudinaliter rugosus et inter rugas lacunosus, subteres vel hinc inde compressus aut angulosus, utrinque similaris, dichotome pluries divisus, mediocris (alt. circa 2—3-pollicaris), hinc inde sorediis granuloso-pulverulentis subconcoloribus scabridus.

Ad rupes in Savolaxia, Taipalsaari, eam sterilem legit Edwin Nylander (1852).

Certe facie omnino *Everniæ prunastri* f. *gracilis* (Ach., vel *arenariæ* Retz., Fr.), sed differens thallo sorediis granulosis subconcoloribus scabrido (quum in *E. prunastri* soredia, ubi adsunt, conspiciuntur albi farinosi); differunt hoc respectu inter se fere ut *R. polymorpha* a *R. pollinaria*. Soredia (e globulis minutis composita) aut sparsa aut sæpius præcipue in ramis et ramulis attenuatis confluentia. — Fertilis adest hujus (quantum video) speciminulum (minus sorediosum) e Kamtschatka

in hb. Ach. (sub "E. prunastri var. gracili", post editam *L. U.*, ab ipso collocatum), apotheciis badio-rufis ut in affinibus, sporis longit. 0,008—9, crassit. 0,005—6 millim.

4. **E. divaricata** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 285, t. 8, f. 22.

Thallus albidus vel albido-flavescens compressiusculus vel subteres elongatus flaccidus pendulus ramosissimus rugosus vel lacunoso-rugosus undique concolor, sæpius strato corticali articulato-rupto; apothecia badio-rufa sat parva vel fere mediocria.

Ad pinos abietesque in sylvis frigidioribus rara.

Thallus sæpe fere pedalis et ultra, latitudinis circa 2 millim. vel angustior, ramis et ramulis sæpius teretibus, apicibus acutis.

III. — **RAMALINA** Ach., Fr.

Thallus albidus vel pallidus compressus fere nitidiusculus nonnihil rigescens erectus aut prostratus, laciniose divisus, undique similis (nec altero latere discolor vel diversus). Apothecia sparsa vel marginalia fere concolora (vel pallida); sporæ incolores oblongæ (plerisque vulgo leviter curvatæ) 1-septatæ, paraphyses discretæ mediocres. Spermogonia sterigmatibus pauci-articulatis (accedentibus elementis filamentosis anastomosantibus) et spermatiis cylindricis rectis vel oblongo-cylindricis (v. Nyl. *Syn.* t. 8, f. 29) *).

1. **R. scopulorum** Ach., Nyl. *Syn.* p. 292, t. 8, f. 29.

Thallus pallidus nitidus vel nitidiusculus maxime varius, jam elatior (spithameus et ultra), jam minor (vix demum pollica-

---

*) A cl. Schwendener in Næg. *Beitr. z. wissenschaftlich. Bot.* 2, t. 5, f. 11, non bene adumbratur textura thalli sectione (ut vult) longitudinali visa. Textura enim hæc ex elementis filamentosis agglutinatis longitudinalibus componitur. D. Schwendener autem sectionem suam sine dubio sensu obliquo faciens imaginem obtinuit parum fidam dispositionis eorum elementorum. Hac occasione observetur, neminem gonidia ante adfixa vidisse qualia figuris suis exponit idem auctor, nec saltem aliquid ejusmodi unquam detegere valui.

ris), jam compressus latior (usque latit. 5 millim.), jam attenuatus et subteres, ramosus; apothecia pallida vel glauco-pallescentia plana aut convexa, lateralia aut subterminalia (margine interdum obsolete crenulato); sporæ oblongæ plerumque rectæ, longit. 0,014—19, crassit. 0,005—7 millim.

Supra scopulos marinos passim frequens. Adhuc in Nordlandia (Sommerfelt).

F. *cuspidata* Ach. respicit statum minorem pollicarem (vel parum minorem) apicibus subulatis nigricantibus, laciniis subsimplicibus erectis; rarius in Suecia. F. *cornuata* Ach. a typo parum differt laciniarum subsimplicium apicibus curvatis implexis, forte modo status accidentalis.

2. **R. polymorpha** Ach., Nyl. *Syn.* p. 293.

Thallus pallidus rigidus longitudinaliter plus minus rugosus vel subcostato-inæqualis vix nitidiusculus, sæpius minor, compressus, granulose sorediosus; apothecia subterminalia mediocria; sporæ oblongo-ellipsoideæ vel oblongæ rectæ aut leviter curvatæ, longit. 0,011—16, crassit. 0,004—6 millim.

Supra saxa in maritimis rarius, usque in petris ad oram Maris Glacialis et in alpibus maritimis Finmarkiæ et Nordlandiæ (ubi passim ex Wahlenberg). Fertilis saltem in tæniis Sueciæ.

Sane polymorpha. F. *ligulata* Ach. *Syn.* p. 295 est forte maxime typica habenda laciniis planis subsimplicibus, sæpe dilatatis, sorediis albidis minutis pustulosis sæpe crebre sparsis; interdum laciniis laciniatulo-proliferis (margine aut rarius disco), interdum omnino irregularibus medioque latioribus (usque latit. semipollicaris vel fere pollicaris, in Alandia). Altitudo 2—3-pollicaris. Non differt f. *flabellulata* Ach. Soredia e granulis constant flavidis vel pallide vel flavide albidis globulosis (diam. circa 0,1 millim.). — Var. 1) *emplecta* Ach. est gracilior, laciniis angustatis valde ramoso-divisis et ramulosis (facie accedens ad *R. pollinariam* graciliorem tenuiorem, sed granulis sorediosis mox ut huc pertinens dignota); in Suecia passim. — Var. 2) *capitata* Ach. est minor, laciniis nonnihil ramosis (obsolete sorediosis), apicibus obtusis capitato-sorediosis (sorediis his granulosis vel pro parte pulverulentis albidis convexis); passim in Suecia. Eidem referenda f. *strepsilis* Ach. (non differens, ex Achario, nisi laciniis adscendentibus, quum in *capitata* essent erectæ). *Lichen tinctorius* Web. *Fl. Gotting.* p. 241 quoque identica est cum *capitata*, sed ut parum conveniens hoc nomen forte relinquendum, licet sit vetustius (anni 1778).

3. **R. calicaris** (Ach.) Fr. *L. E.* p. 30, Nyl. *Syn.* p. 293.

Thallus pallidus vel albido-flavescens rigescens compressus linearis longitrorsum varie lacunoso-inæqualis varie divisus, divisionibus angustatis, sæpe canaliculatus; apothecia subterminalia pallida vel carneo-pallida; sporæ curvatulæ vel rectiusculæ, longit. 0,012—16, crassit. 0,005—7 millim.

Ad cortices arborum passim frequens, simul cum varietatibus.

Interdum color thalli est albido-glaucescens. Variant laciniæ angustiores, magis divisæ et implexæ. *R. farinacea* var. *minutula* Ach. *L. U.* p. 606 est forma juvenilis vix pollicaris, thallo læviore tenuiter ramuloso, "in tigillis et sæpimentis ligneis, quæ longe lateque omnino obducit" (Ach.); forte *fastigiatæ* referenda. — Var. 1) *fraxinea* (L.) Fr., Nyl. l. c. p. 294, similis est *calicari*, sed laciniis longioribus latioribus et magis rugosis (vel longitudinaliter subreticulatim costato-inæqualibus), apotheciis marginalibus vel lateralibus; passim frequens. — Var. 2) *fastigiata* (Pers., Ach.) Fr., Nyl. l. c., thallo minore (quam vulgo in *fraxinea*) laciniis compressis aut subteretiusculis divisis subfastigiatis, apotheciis terminalibus aut subterminalibus (interdum pruinose albidis vel glauco-albidis); frequentissime. Variat diminuta. *Evernia prunastri* var. *phellina* Ach. est *fastigiata* juvenilis sterilis, laciniis duplo majoribus et latioribus quam in f. *minutula*. — Var. 3) *farinacea* (L., Ach.) Nyl. l. c. non differt a *calicari* nisi laciniis thallinis (sat angustis linearibus) sorediiferis, sorediis albo-pulverulentis (vel albo-farinaceis) marginalibus planis (raro simul sparsis); frequens, at sæpissime sterilis. Huc pertinent formæ *gracilenta* Ach. et *multifida* Ach., illa raro fertilis. F. *pendulina* Ach. eadem laxior longior pendula. F. *phalerata* Ach. contra habet thallum breviorem (tamen altit. 1—3-pollicaris), laciniis (latit. 2—5 millim.) facie *fastigiatæ*, a qua descendat, sed sorediifera. Variæ similiter aliæ formæ distingui possent in varietatibus hujus speciei maxime polymorphæ. In *fraxinea* Acharius discernit f. *tæniæformem*, laciniis longis (interdum usque sesquipedalibus) subsimplicibus latis (latit. ½—1-pollicaris) sublinearibus dependentibus margine flexuosis, apotheciis marginalibus lateralibusque; f. *ampliatam* breviusculam thallo erecto extrorsum dilatato (latit. 1—3-pollic.). F. *tuberculata* Ach. *L. U.* p. 603 est *fraxinea* thallo tuberculis cephalodinis rugoso-inæqualibus adsperso (forte apotheciis abortivis). At f. *Yemensis* Ach. l. c. p. 602 est f. *Ecklonii* (Spr.) Nyl. l. c. p. 295.

* **R. thrausta** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 296. — Vix est nisi varietas *Ramalinæ calicaris*, thallo angustissime diviso, laciniis filiformi-teretibus vel passim nonnihil compressis, lævi. — Su-

pra terram arenosam in Suecia meridionali (Fr. *L. E.* p. 23, sub *Evernia arenaria).* Minor ad ligna in Fennia.

Facie fere *Alectoriæ ochroleucæ* var. *sarmentosæ*. *R. farinacea* var. *leucorsa* Ach. *Meth.* p. 264, *L. U.* p. 607, hæc est sorediifera accedens ad *farinaceam* (f. *gracilentam* Ach.).

4. **R. pollinaria** Ach., Nyl. *Syn.* p. 296.

Thallus pallidus vel albidus vel albido-glaucescens membranaceo-laciniosus sublacunosus vel longitudinaliter lacunoso-inæqualis molliusculus vel sat flaccidus, sorediis pulverulentis albis (mediocribus aut latiusculis) planis marginalibus aut sparsis; apothecia et sporæ ut in *calicari.*

Ad rupium parietes passim, raro fertilis.

Vix differt a varietate *farinacea* præcedentis, nisi thallo magis flaccido et rugositate lacunosula nonnihil alia. Occurrit in Scandinavia præsertim f. *humilis* Ach. *L. U.* p. 609, laciniis aggregato-complicatis sæpe flexuosis. F. *elatior* Ach. ibid. p. 608 præsertim in Europa mitiore adest, thallo elatiore (alt. 2—3-pollicari), laciniis planioribus. In regionibus mediterraneis et in Asia occidentali (æque ac in Lusitania) forma obvenit insignior, sæpe fertilis, mollior, plerumque corticola, accedens ad *R. maciformem* (Delil.) Nyl. l. c. p. 297.

Trib. X. — CETRARIEI.

Thallus compressus (raro fere teretiusculus) varie fruticulosus, aut angustior aut frondose (membranacee) dilatatus lobatusve, epithallo nitidiusculo, intus medulla alba stuppea repletus. Apothecia lecanorina marginalia; sporæ 8^{næ} parvæ incolores simplices, paraphyses haud discretæ. — Ad *Parmelias* accedunt Cetrariei, typum autem distinctum exprimunt thalli facie fruticulosa, situ apotheciorum et spermogoniorum. Spermogonia scilicet quoque marginalia apiculis setuliformibus aut papillis nigris inclusa.

I. — **CETRARIA** Ach. pr. p., Nyl.

Thallus spadiceus vel spadiceo-pallescens rigescens fruticulosus erectus vel adscendens laciniosus (aut raro vel exceptione

fistulosus, tuncque medulla arachnoidea parca intus intricatus), epithallo nitidiusculo. Apothecia badia vel spadicea. Spermogonia in spinulis inclusa, spermatiis cylindricis mediocribus vel breviusculis.

1. **C. islandica** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 298, t. 8, f. 32.

Thallus albido-pallidus vel pallide castaneus vel castaneo-fuscescens (basi sæpe rubricose rufescens), laciniis latis vel latiusculis varie divisis formatus (sæpe subcanaliculatis), sorediis albis parvis impressis (vel pseudocyphellis) plerumque in latere averso notatus; apothecia badia vel badio-fusca (sæpe majuscula) marginalia vel submarginalia.

Supra terram sterilem vulgaris, fertilis vero haud frequens.

Var. 1) *crispa* Ach. *L. U.* p. 513, *Syn.* p. 229, differt laciniis angustioribus (erectis aut depressiusculis), canaliculatis vel marginibus sæpe subtubulose conniventibus (altit. 1—4-pollicaris.) — Var. 2) *platyna* (Ach. *Syn.* p. 229) est similior typo, modo laciniis latiusculis sublobatis (flexuoso-complicatis), marginibus sparse pallido-denticulatis; rarius. — Var. 3) *Delisei* Schær. *Enum.* p. 15, Nyl. l. c. p. 299, differt a *crispa*, thallo pallidiore, laciniis magis crebriusque multifidis, dense aggregato (*Cladoniam crispatam* interdum habitu divisionum thalli in memoriam revocans), plerumque fertilis (apotheciis majusculis); passim usque in Lapponia. — Var. *thyreophora* Ach. non est nisi typus fertilis apotheciis nigris abortivis vel initiis parasitæ cujusdam mutatis (convexis rugosis).

2. **C. nigricans** Nyl. in *Herb. Mus. Fenn.* p. 109, *Syn.* p. 299.

Thallus nigricans vel fusco-nigricans mediocris depresso-cæspitosus sat late expansus (latit. cæspitis circa 4-pollicaris et ultra), totus e laciniis linearibus dichotome multifidis imbricato- intricatis compositus, laciniæ illæ marginibus nonnihil reflexis (inde quasi supra canaliculatis) et (sursum) spinuloso-denticulatis atque rhizinis parcis validiusculis inferne directis munitæ, subtus pallidæ vel badio-pallidæ convexulæ.

In Lapponia supra terram et saxa (F. Nylander et Edwin Nylander), frequens ut videtur. Modo sterilis visa.

3. **C. aculeata** (Ehrh., Ach.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 300.

Thallus spadiceus fistulosus teretiusculus vel teres aut anguloso-inæqualis aut subcompressus, rigens, erectus, ramosus,

cæspitoso-fruticulosus, ramis divaricatis, plus minus nigro-spinulosis; apothecia spadicea minora.

Supra terram sterilem frequens; rarius fertilis. Etiam supra rupes inter muscos vel alios Lichenes.

Arcte accedit formæ *subtubulosæ* Fr. *L. E.* p. 37 (var. *tubulosæ* Schær. *Enum.* p. 16) *C. islandicæ* var. *crispæ* Ach., quæ thallum habet interrupte tubulosum (in Helvetia obvia). *C. aculeata* typica est *Cornicularia spadicea* Ach., thallo spadiceo sæpe compressiusculo sublacunoso; apothecia margine receptaculari sat rare denticulato-spinuloso; non infrequens. F. *edentula* (Ach. *Syn.* p. 300) spinulis thalli evanescentibus vel vix nisi minoribus apicalibus (in Gallia, ut ex. gr. ad Parisios obvia) in Scandinavia non visa sit; nec forte f. *acanthella* Ach., quæ contra differt nonnihil a typo thallo magis spinuloso-denticulato. — Var. *muricata* (Ach.) est tenuior, thallo spadiceo-nigrescente vel fusco-nigro dense ramuloso, in cæspitibus dense intricatis humilioribus crescens, apotheciis interdum majusculis (latit. 2—7 millim.); in Scandinaviæ rupibus apricis frequenter obvia.

4. **C. odontella** Ach., Nyl. *Syn.* p. 301.

Thallus spadiceus vel fuscus vel passim spadiceo-pallescens, laciniis planis anguste linearibus (latit. 0,5—1 millim.) tenuibus constans palmatim ramoso-divisis, dense fruticulose depressiuscule cæspitosus (latit. cæspitum 1—3-pollicaris, altit. circa 8 millim.).

Supra rupes muscosas in Scandinavia sat frequens.

Differt quodammodo a *Cetraria aculeata* affini, ut *C. nigricans* ab *Islandica*.

II. — **PLATYSMA** Hffm. pr. p., Nyl.

Thallus coloris varii rigens vel rigidiusculus fruticulosus, sæpius membranaceo-dilatatus lobatus vel laciniatus (exceptione laciniis subteretibus). Apothecia marginalia vel submarginalia (exceptione subterminalia). Spermogonia papillis aut tuberculis parvis constituta, spermatiis variis. — Differunt Platysmata præcipue spermogoniis a *Cetrariis*, at forsan his vere nimis affinia sint habenda, quod *Platysma commixtum* indigitare videtur (Nyl. *Syn.* p. 301).

A. — *Thallus erectus vel depressiusculus. Apothecia pallida aut obscura. Spermatia utroque apice leviter incrassatula vel clavata.* — Species *1—5.*

a. — *Stirps* Platysmatis cucullati. — Species *1—2.*

1. **Pl. nivale** (L.) Nyl. *Syn.* p. 302, t. 8, f. 33.

Thallus ochroleucus vel stramineo-flavus sinuato-laciniatus, laciniis canaliculato-patulis vel planiusculis lacunoso-inæqualibus vel reticulato-lacunosis, divisionibus laciniarum apice dentatis; apothecia flavido-carnea vel testaceo-carnea mediocria, margine receptaculari crenato-rugoso.

Supra terram sterilem montium et jugorum in regionibus frigidioribus passim frequens; in Lapponia frequentius. Adhuc in Alandia et ad Helsingfors.

Insigne, thallo altitudinis 2—3-pollicaris. In *Synopsi* mea perperam huc ducitur *Cetraria Tilesii* Ach., nam pertinet ad *Pl. juniperinum* var.

2. **Pl. cucullatum** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 302.

Thallus ochroleucus vel stramineus canaliculato-laciniatus, laciniis sinuato-divisis marginibus conniventibus undulatis, lævis vel læviusculus; apothecia carneo-testacea adnata, sæpe dilatata (latit. 6—9 millim.), margine receptaculari tenui vel demum excluso.

Supra terram sterilem montium et jugorum sæpe cum præcedente. In Finlandia rarum (vix nisi in Alandia adhuc lectum). "In terra alpestri ubique, præcipue in subalpinis frequenter" (Whlnb. *Lapp.* p. 434).

Præcedente sæpe elatius (altit. 2—4-pollicaris) dense erecto-congestum, thallo sursum magis diviso et crispo, apicibus fertilibus laciniarum patulis vel planis dilatatis. Thallo basi rubricose (vel violaceo-rubricose) tincto est f. *nipharga* Ach., at hoc nihil sistit stabile. Diminutum typicum (semiunciale vel vix pollicare) est f. *tapeina* Ach., ægre nomen peculiare merens.

b. — *Stirps* Platysmatis tristis, *thallo rigente tereti-compresso.* — Species *3.*

3. **Pl. triste** (Web.) Nyl. *Syn.* p. 307.

Thallus fusco-nigricans vel piceo-niger circa pollicaris vel humilior, basi plerumque spadiceo-tinctus, subfastigiato-fruticulosus teretiusculo-compressus rigens tenax erectiusculus (latit.

vix 1 millim.), parce distiche ramosus, ramis nigris attenuatis; apothecia fusco-nigra subterminalia (appendiculata) plana vel convexiuscula mediocria (latit. 2—8 millim.), margine receptaculari integro aut dentato-inæquali flexuoso.

Ad rupes in alpinis. In Nordlandia meridionali rarius copiose (Whlnb. *Lapp.* p. 440).

Var. *fucina* Ach. *L. U.* p. 611 sistit hoc sterile et modo spermogoniferum (inde "ramulis tuberculato-denticulatis"). Var. *radiata* Ach. l. c. p. 610 non differt a typo nisi receptaculo apotheciorum thallino nonnihil radiato-dentato aut papillam spiniformem unam alteramve agente.

4. **Pl. sæpincola** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 308.

Thallus castaneo-olivaceus vel badio-castaneus (vel passim castaneo-pallescens) laciniato-lobatus minor (latit. $^1/_2$—1-pollicaris), lobis planiusculis prostratis vel adscendentibus lævibus vel passim leviter lacunoso-rugulosis margineque undulato-sinuatis vel crenatis, subtus pallidior; apothecia badio-fuscescentia vel thallo fere concoloria (latit. 2—5 millim.).

Ad ligna, truncos arborum et præsertim ramulos (libentissime juniperi) vulgare.

Fertile fere semper obveniens, et sæpissime apotheciis confertis thalloque minus evoluto, lobis tum simul adscendentibus.

* **Pl. ulophyllum** (*Cetraria sæpincola* var. *ulophylla* Ach.). — Differt thallo (sæpius pallidiore) majore (latit. 1—3-pollicaris), laciniato, laciniis varie divisis subadpressis margine undulato-crispis et ipso margine continue vel hinc inde albo-sorediato; apothecia minora (latit. 1—2 millim.). — Ad truncos pini et ligna frequentissime, rarissime vero fertile. Raro saxicola. Forte propria species. Variat thallo isidioso-furfuraceo.

5. **Pl. Fahlunense** (L.) Nyl. *Syn.* p. 309.

Thallus fuscus vel spadiceo-fuscus vel nigricans suborbicularis lævigatus laciniatus, laciniis sat angustis multifidis adpresso-imbricatis sæpius planiusculo-subcanaliculatis, subtus nigricans; apothecia fusca vel fusco-rufescentia vel spadicea mediocria (latit. 2—8 millim.), receptaculo thallino extus plicato-inæquali rugoso et margine granulato.

Supra rupes (præsertim graniticas) frequens.

B. — *Thallus subadscendens imbricato-intricatus. Spermatia ellipsoidea.* — Species *6*.

6. **Pl. commixtum** Nyl. *Syn.* p. 310, t. 8, f. 43.

Simile *Platysmati Fahlunensi,* sed sæpius minus, thallo (spadiceo-fusco) laciniis plerumque magis adscendentibus et intertextis, apotheciis receptaculo læviore et margine fere integro, et præcipue absoluteque differens spermatiis aliis.

Supra rupes passim cum *Fahlunensi,* quocum socium haud raro viget.

Apud auctores omnes et primitus commixtum cum *Fahlunensi.* Spermatia oblongo-ellipsoidea vel fusiformi-ellipsoidea, long. 0,003—4, crass. 0,0015—0,002 millim. (in *Fahlunensi* cylindrica utroque apice incrassatula, long. 0,005, crass. 0,001 millim., ipsis apicibus obtusis). — *Parmelia sciastra* Ach. *L. U.* p. 471, quæ habita fuit varietas *Platysmatis Fahlunensis*, est varietas *Physciæ obscuræ.*

C. — *Thallus adscendens lobato-laciniatus. Apothecia badio-rufescentia. Spermatia acicularia cylindrica altero apice leviter incrassatula.* — Species *7—8.*

a. — *Stirps* Platysmatis juniperini. — Species *7.*

7. **Pl. juniperinum** (L.) Nyl. *Syn.* p. 312, t. 8, f. 34.

Thallus citrino-flavescens vel pallide flavo-virescens (vel glauco-flavescens), laciniis (latit. circa 4 millim.) eroso-crenatis congestis crispis, læviusculus, subtus flavus passim rugulosus, intus medulla intense citrina; apothecia badio-rufa vel badio-fusca, margine receptaculari corrugato vel demum crenulato-denticulato vel varie crenulato-inæquali, mediocria vel majuscula (latit. 5—8 millim.).

Ad juniperos in Scandinavia passim frequens; rarius supra terram, rarissime supra saxa.

Magnitudo *Platysmatis ulophylli.* Spermatia longit. 0,007, crassit. 0,001 millim. Var. 1) *terrestre* (Schær.) Nyl. l. c. differt thallo utrinque concolore flavo vel citrino, laciniis magis adscendentibus; fere semper sterile et spermogoniis quoque parcis; in alpinis Europæ mediæ et meridionalis. Huc pertinet *Cetraria Tilesii* Ach. *Syn.* p. 228, quæ adest (ex Smmrf. *Lapp.* p. 114) in Nordlandia. Var. 2) *alvarense* (Wahlenb. *Fl. Suec.* p. 827, ed. 2 p. 863) laciniis angustioribus turgidulis vel teretiusculis vel angulosis inæqualibus scrobiculosisve albido-citrinis vel sulphureis; in terra sterilissima insularum Gottland et Oeland. Ab ea vix separanda sit f. *tubulosa* Schær. *Enum.* p. 13.

* **Pl. pinastri** (Scop.) Nyl. *Syn.* p. 312. — Simile *juniperino*, at laciniis lobatis magis adpressis latioribus margineque intense citrino-sorediatis (interdum imbricatis), raro fertile. — Ad truncos pinorum, juniperi, betulæ, etc., et ad ligna in sylvis vulgare. Statu præsertim fertili confluit cum *juniperino*, a quo differt fere æque ac *ulophyllum* a *sæpincola* (sed *pinastri* sæpius minus est *junipero*, *ulophyllum* contra majus *sæpincola*).

b. — *Stirps* Platysmatis glauci. — Species *8*.

8. **Pl. glaucum** (L) Nyl. *Syn.* p. 313, t. 8, f. 35.

Thallus osseo-albidus vel glaucescenti-albidus vel albido-pallescens tenuiter membranaceus major vel magnus (latit. 2—6-pollicaris et ultra), lævis vel hinc inde lacunoso-rugulosus, laciniatus vel laciniato-lobatus, laciniis adscendentibus margine sinuatis vel crenatis vel passim laceris (vel adhuc passim dissecto-fimbriatis), subtus fusco-nigricans vel fuscus aut pallescens (vel decolor, albicans); apothecia spadiceo-rufa mediocria vel magna (latit. circa 6—10 millim.), receptaculo subtus rugoso et margine tenui mox excluso.

Ad truncos arborum, ad saxa frequentissime, rarius supra terram (inter muscos).

Thallus colore et divisionibus varians. Variat sat raro (ut jam indicavit Acharius) etiam pagina supera thalli hinc inde spadiceo-tincta vel fere tota spadiceo-nigricante. Variat typicum thallo infra colore nigricante vel albicante variegato; hoc vero omnino (vel pro maxima parte) albicante est f. *fallax* (Web., Ach.), in Scandinavia rarius, in Europæ vero temperatæ montibus frequentius. — Huic speciei affine est *Pl. septentrionale* Nyl. *Syn.* p. 315 differens præcipue thallo sulphureo vel ochroleuco (fere sicut in *Nephromate arctico*) nonnihil reticulato-ruguloso, subtus nigro vel fusco-nigro, in Asia orientali arctica et in Unalaschka obvium. *Pl. lacunosum* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 314 vix differt a *glauco* nisi thallo conferte lacunoso-rugoso.

Series IV. — PHYLLODEI.

Thallus foliaceus depressus lobatus vel varie laciniatus aut stellatus (rarissime et exceptione cæspitose intricatus); medulla

stuppea. Apothecia aut peltiformia, aut lecanorina, aut (in *Gyrophoreis)* lecideina vel lecideina et simul gyrose contorta; sporæ variæ, paraphyses aut discretæ, aut non discretæ.

Trib. XI. — PELTIGEREI.

Thallus fronde dilatata (strato corticali in pagina infera plerumque deficiente). Apothecia peltiformia (rotundata, reniformia aut oblonga) marginalia (paginæ superæ aut inferæ adnata), aut supra laminam frondis sparsa; sporæ (vulgo) 8^{nae} in thecis (raro 4^{nae}), in apotheciis marginalibus fusiformes, in sparsis fuscæ ellipsoideæ biloculares; paraphyses discretæ articulatæ, sæpius crassiusculæ. Spermogonia cognita arthrosterigmatibus munita. — Systema gonidiale e granulis gonimis constans (sæpe moniliformi-cohærentibus), in unico genere *Nephromate* e gonidiis solitis.

Subtrib. I. — *NEPHROMEI.*

Apothecia postica (infera) h. e. paginæ inferæ marginis thalli adnata (vegeta positionem resupinatam sumentia); sporæ 8^{nae} incolores vel fuscescentes, 3-septatæ. Spermogonia marginalia, arthrosterigmatibus instructa.

I. — **NEPHROMA** Ach. pr. p., Nyl.

Thallus membranaceus strato corticali pagina infera continuato ibique enervis; stratum gonidiale gonidiis pr. s. d. (pariete cellulari distincto præditis) constans. Thallus sectus stratum hoc læte viride ostendens.

1. **N. arcticum** (L.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 316, t. 1, f. 18, t. 8, f. 36.

Thallus ochroleucus vel stramineus vel glaucescenti-stramineus late membranaceus magnus vel maximus rotundato-loba-

tus, margine undulatus, lævis vel parum hinc inde inæqualis vel rugosus, subtus niger rhizinis nigricantibus vel fuscis tomentosus vel villosus et margine late albidus vel pallide albescens nudus; apothecia fulvo-testacea vel testaceo-rufa transversim rotundata vel reniformia lata (latit. $^1/_2$—1-pollicaris) plana.

Supra muscos et alios lichenes vetustos terestre vel ad rupes muscosas in regionibus frigidis frequens (in Lapponia ubique frequenter), deinde passim in Suecia usque in mediam atque in Finlandia usque ad Sinum Fennicum et Alandiam.

II. — **NEPHROMIUM** Nyl.

Thallus forma externa sicut in genere præcedente, sed fragilior, strato gonidiali (loco gonidiorum) granula gonima sæpius moniliformi-juncta offerente. Ita hoc genus jam minutissima particula thallina a præcedente discernitur. Stratum gonimon vulgo obscure cœruleo-virescens.

1. **N. expallidum** Nyl. *Syn.* p. 318.

Subsimile extus sequenti, sed thallo pallido (latit. 3—5-pollic.) subtus adhuc pallidiore ibique tenuissime tomentello (medio fusco-nigricante), apotheciis badio-rufis mediocribus (latit. 5—6 millim.), margine receptaculari subintegro.

In alpe Dovre (W. P. Schimper).

Affine sequenti, sed thallo pallidiore strato gonimo viridi (granulis viridibus), pagina infera cephalodiis sparsis pyrenodeis.

2. **N. tomentosum** (Hffm.) Nyl. *Syn.* p. 319.

Thallus lividus vel livido-castaneus vel lurido-fuscescens lobatus vel laciniato-lobatus, subtus pallidus villosulus; apothecia (latit. circa 8—10 millim.) testaceo-rufa vel rufo-fuscescentia, margine receptaculari crenulato-inæquali.

Ad latera rupium muscosa et ad truncos arborum (basi) passim, vel passim sat frequens; adhuc in Lapponia passim.

Variat thallo subtus hinc inde calvescente (vel tomento ibi tenuiore vel fere evanescente); variat hæc forma quoque major (thallo et apotheciis majoribus, his usque latit. 16 millim., in Fennia).

3. **N. lævigatum** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 320.

Simile *Nephromio tomentoso*, sed thallo subtus nudo omnino glabro.

Iisdem locis ac *tomentosum*, passim vel passim sat frequenter obvium.

Var. 1) *parile* (Ach.) Nyl. l. c. differt thallo (sæpe obscuriore, lurido-fuscescente) subtus sæpe fusco-nigricante, margine summo passim sorediato (vel sorediis cæsiis præcipue marginalibus, aut rarius, vel simul, sparsis); sterile vel apotheciis minoribus, typo frequentius in Scandinavia. Occurrit vero simul (saltem in regionibus magis temperatis) pallidius, thallo pallido-glaucescente (*Nephroma resupinata* var. *papyracea* Ach. *L. U.* p. 522; non vero *papyracea* Whlnb. *Lapp.* p. 448, quæ est *lævigatum* typicum, nec *papyracea* Smmrf. *Lapp.* p. 124, quæ est *parile* commune in Scandinavia). At var. *papyraceum* (Hffm.) Nyl. l. c. est minus, thallo tenuiore, ad ramos crescens, presertim in sylvis montium Europæ mitioris.

Subtrib. II. — *PELTIDEI.*

Stratum thalli gonimon granulis gonimis (nec gonidiis). Apothecia marginalia supera (antica); sporæ (vulgo 8^{næ}) incolores vel leviter fuscescentes fusiformes.

III. — **PELTIGERA** (Hffm.) Ach.

Thallus membranaceo-lobatus fragilis (in sicco), subtus strato corticali haud continuato ibique plerumque nervosus.

A. — *Apothecia haud determinate horizontalia; sporæ longiores.* — Species *1—5*.

1. **P. aphthosa** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 322, t. 8, f. 38.

Thallus glauco-virescens vel livido-glaucescens sat late membranaceus lævigatus (interdum subnitidiusculus), cephalodiis pallidis patelliformibus vel verrucoso-inæqualibus (latit. circa 1 millim.) depressis adspersus, subtus aut reticulatim nigricanti-nervosus aut fere continue fusco-nigricans (et tum margine solum latius albidus); apothecia fusco-rufescentia rotundata adscendentia (lobulo thallino angustato adnata) mediocria vel magna (latit. 6—12 millim.).

In muscosis frequentissima, frondibus dilatatis colore in statu humido læte viridi et cephalodiis peculiaribus parvis adspersis conspicua.

Forma thallo subtus (excepto ambitu late albido) subcontinue vel continue nigricante (nervis confluentibus) est f. *verrucosa* (Web., Ach. *L. U.* p. 517); passim obvenit. Magis vero differt var. *leucophlebia* Nyl. *Syn.* p. 323, thallo minore pallidiore magisque opaco et subtus toto albido (nervis distinctis albidis vel pallidis), habitu fere *Peltigeræ rufescentis*, sed cephalodiis peculiaribus *aphthosæ*.

2. **P. malacea** Fr., Nyl. *Syn.* p. 323.

Thallus cinereo-glaucescens vel glauco-fuscescens (vel partim fuscescens) lævis opacus crassiusculus mediocris magnitudinis, subtus nervis confluentibus avenius nigricans (excepto margine late albido); apothecia (lobulis thallinis brevibus, latiusculis adnata) fusco-rufa rotundata vel fere transversa mediocria (latit. 4—8 millim.).

Inter muscos in sylvis Scandinaviæ rupestris et usque ad Lapponiam (in plerisque regionibus) sat frequenter.

Peltidea malacea Ach. *Syn.* p. 240 huc solum pro parte pertinet (et quoque ejus var. *inflexa* ad *rufescentem*). Epithallus sæpius subtiliter quasi punctato-tomentellus vel quasi obsolete adsperso-pulverulentus. Magnitudo fere præcedentis (lobis tamen plerumque minus dilatatis). Est *Peltidea malacea* Flk. D. L. 137.

3. **P. canina** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 324.

Thallus canescens vel cinereo-pallescens impresso-inæqualis opacus, sæpissime adpresso-tomentellus, sat tenuiter membranaceus vel mediocris crassitiei, subtus albidus nervis rhizinisque concoloribus vel pallidis; apothecia fusca vel fusco-rufa mediocria (latit. 5—9 millim.), lobulis sat angustatis vel latiusculis thalli adnata.

Inter muscos supra terram, ad saxa et ad basim arborum vulgaris.

Lobi thallini mediocres, sed sæpe plurimi individuum compositum late extensum constituentes. Var. 1) *membranacea* (Ach.) Nyl. l. c. differt thallo tenuiore glabriore; occurrit quoque in terris Scandinavicis passim (est *Peltidea leucorrhiza* Flk. D. L. 153 [minus tenuis], Smmrf.). Tangit hæc varietas certas formas *P. polydactylæ*. Variat adhuc rarius *P. canina* thallo soredia marginalia et sparsa ferente.

4. **P. rufescens** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 324.

Thallo pallido vel pallide cervino vel cinereo-fuscescente minore læviore magis crispo, subtus sæpe medio nervis obscuris vel fuscis, differt a *canina;* sporæ etiam vulgo nonnihil minores (long. 0,042—72, crass. 0,004—5 millim.).

Cum præcedente frequentissime.

Nonnisi ut varietas *caninæ*, quod jam 1770 statuit Weis (*Plant. Cryptog. Flor. Gotting.* p. 79), optime sit habendus hic Lichen, nam cum eadem (ex. gr. in *P. leucorrhiza* Flk. D. L. 154) confluit. Thallus superficie subtomentosa. Est *Peltidea canina* var. *crispa* Ach. et *P. malacea* var. *inflexa* Ach. Variat etiam thallo margine subsquamuloso-fimbriato (var. *prætextata* Flk., Smmrf. *Lapp.* p. 123).

* **P. spuria** (Ach.) DC., Nyl. *Syn.* p. 325. — Thallo parvo (minore quam in rufescente), minus evoluto et sæpius tenui, lævi, subsimplici aut aliquoties digitato-lobato adscendente vel suberecto differt a *canina.* — Rarius in Scandinavia, supra terram. Thallus adpresso-tomentellus, frondibus subsparsis (long. $^1/_2$—1-pollicaris, latit. circa 5—10 millim.), subtus nervis albidis.

** **P. pulverulenta** Tayl., Nyl. *Syn.* p. 325.

Similis *rufescenti* thallo pallido-lurido vel cinereo-pallido superne opaco (etomentello) subtilissime pallido-pulverulento vel quasi pulvere tenui pallido adnato-adsperso (hinc inde magis conspicuo, epithallo tum granuloso-coriaceo), subtus medio nigricans ambituque albidus (nervis ambitu subreticulatis pallidis vel interdum fere confluentibus); apothecia sporis longit. 0,075—0,100, crassit. 0,004—5 millim.

In Lapponia et in Savolaxia (Edwin Nylander). E regione Freti Kotzebue eandem vidi in herbario Hookeriano.

Nervis paginæ inferæ thalli modo distinctioribus differt a primitiva *P. pulverulenta* Tayl., e montibus Columbiæ. *P. scutata* Flot., Krb. *S. L. G.* p. 60, *Parerg.* p. 24, est *pulverulenta* arctica. Revera arcte accedere videtur ad *P. polydactylam* var. *limbatam* (Del.), hæc vero minor (thallo apotheciisque minoribus) et superficie supera thalli solum tenuiter coriaceo-rugulosa. Forte tamen haud male beatus Flotow sub sua *scutata* etiam *limbatam* Del. subsumserit. Pulverulentia thalli in *P. pulverulenta* fere eadem ac sæpe in *Stictina scrobiculata*, sed in hac vulgo est magis depressa (subtilissime subsquamulosa). In speciminibus e Savolaxia, thallus impresso-inæqualis fere ut in *P. canina* (et superficies thalli distincte

granuloso-coriacea); sporæ long. 0,056—96, crass. 0,0045—0,0055 millim. (septis tenuibus 5—7-divisæ, vel protoplasmate oleoso guttulis varie in cavitate sporali distributo). — Certe *pulverulenta* se tamquam eximiam speciem sese offert, si eam haud speciminibus variis (ex. gr. e Tavastia lectis a cl. Karsten) conspicere licet; at non desunt formæ tales intermediæ, thallum partim superficie granulosum, pro alia parte glabrum et adhuc simul ambitu (loborum sterilium) tomentellum. Occurrit etiam glaucescens. In Rossia valde variat.

5. **P. polydactyla** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 326.

Thallus glauco-pallescens vel pallide fuscescens nitidiusculus lævis (vel obsolete impresso-inæqualis), subtus albidus nervis fusco-nigricantibus (vel versus ambitum rufo-pallescentibus) reticulatus; apothecia fusca vel fusco-rufescentia (lobulo thallino adscendenti-protenso singula adnata) longitudinalia (long. circa 4—7 millim.).

Supra terram muscosam et ad basin arborum sat frequenter.

Arcte accedens ad *rufescentem*, a qua distinguitur præcipue thallo nitidiusculo, apotheciis magis dactylino-protensis et pagina infera thalli aliter nervosa. Accedit similiter aliquando ad *caninam* var. *membranaceam*. Variat nervis thalli subtus pallidioribus. Var. *microcarpa* Ach. apothecia habet minora (long. circa 2,5 millim.). — Magis differt var. 1) *lophyra* (*Peltidea horizontalis* var. *lophyra* Ach. *L. U.* p. 516 et *P. canina* var. *glabra* Ach. *Syn.* p. 239; etiam nomine *Pelt. glauca* Pers. in hb. Ach.), differens a typo apotheciis (sæpe parvis) rotundato-oblongis vel quidem interdum transversis; passim occurrit et satis est variabilis. Var. *lophyra* quoque in America Boreali adest. Lobis angustioribus et crispis est f. *collina* Ach.; thallo subtus nervis pallidioribus subconfluentibus est f. *hymenina* (Ach. *L. U.* p. 516, saltem pro p., altera parte ad *caninam* var. *membranaceam* pertinente) Flk. D. L. 192. Est *lophyra* eadem ac mea var. *scutata* (*Syn.* p. 327). At separanda sit ab eadem var. *limbata* (Del.) thallo subopaco vel opaco (sub lente leviter coriaceo-ruguloso), præsertim in Europa temperata vigens (est *scutata* Dicks., ex typis Anglorum), et confluit cum *collina* Ach.; margines thalli sæpe hinc inde sorediosos habet (*P. scutata* var. *propagulifera* Flot., Krb. *S. L. G.* p. 60).

B. — *Apothecia determinate horizontalia; sporæ fuscescentes breviores.* — Species *6—7*.

6. **P. horizontalis** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 327, t. 8, f. 39.

Thallus pallidus vel pallide fuscescens vel glauco-pallescens lævis (aut obsolete impresso-inæqualis), lobis sterilibus extus

rotundatis, mediocris, nitidiusculus, subtus nervis nigris vel fusco-nigris reticulatus (ambitu autem pallidis); apothecia fusca vel fusco-nigra rotundata vel elliptica transversa plana horizontalia.

Supra terram et ad saxa inter muscos passim sat frequenter.

Thallus diversus a thallo *polydactylæ;* apothecia vero omnino alia, sporæ breviores et determinate 3-septatæ.

7. **P. venosa** Hffm., Nyl. *Syn.* p. 328.

Thallus pallidus vel pallido-cinereus vel glauco-cinerascens parvus (latit. circa semipollicaris, raro usque fere 1-pollicaris) simplex subadscendens vel suberectus ovatus vel fere flabelliformi-lobatus nitidiusculus lævis, subtus albus nervis nigris vel fusco nigris validis ramosis (versusque basin truncis primariis vel in unum collectis); apothecia fusco-nigra rotundata plana horizontalia (latit. circa 4 millim.).

Supra terram et in fissuris ad latera rupium passim; in Lapponia frequentior.

Subtrib. III. — *SOLORINEI.*

Thallus membranaceus opacus, strato gonidiali granula gonima offerente (nec gonidia). Apothecia in lamina frondis thallinæ sparsa innata (numquam marginalia); sporæ fuscæ biloculares.

IV. — **SOLORINA** Ach.

Thallus fragilis, strato corticali subtus haud continuato (ibique interdum obsolete nervosus). Apothecia rotundata vel oblonga, coloris spadiceo-rufescentis vel fusco-nigri. In speciebus Scandinavicis stratum gonimon est viride.

1. **S. crocea** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 329, t. 8, f. 40.

Thallus pallido-cinerascens vel cinereo-rufescens vel cinnamomeo-cinerascens (statu humido obscure virescens) lævis (latit. 1—3-pollicaris) laciniato-lobatus, margine undulato, subtus croceus (nervis concoloribus aut obscuris); apothecia fusca vel

fusco-rufescentia plana (latit. 4—10 millim.), interdum nonnihil difformia; sporæ 6—8næ fuscescentes oblongæ vel fusiformi-oblongæ, longit. 0,035—45, crassit. 0,010—12 millim.

Supra terram et in fissuris rupium in alpinis et in sylvaticis Lapponiæ passim. Adhuc ad Kajana (Malmgren).

2. **S. saccata** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 330, t. 8, f. 41.

Thallus pallido-cinerascens vel pallide glauco-luridus (interdum hinc inde albo-pruinosus) lævis vel sublævis rotundato-lobatus vel lobis lobato-incisis (marginibus sæpe adscendentibus), subtus albidus fere avenius (vel nervis obsoletis); apothecia fusca vel nigro-fusca urceolato-adpressa (latit. 2—5 millim.); sporæ 4næ rufo-fuscescentes vel obscure rufo-fuscæ ellipsoideæ vel oblongæ, longit. 0,032—60, crassit. 0,018—27 millim.

Supra terram et in fissuris rupium vel ad earum basin, inter muscos, in Scandinavia passim vel sat rara; in Lapponia frequentior.

In statu humido thallus viridis. Variat thallo (sicco) toto albo-pruinoso (talis ex. gr. in Lapponia). — Magis distat var. 1) *spongiosa* (*Lichen spongiosus* Sm. *E. Bot.* t. 1374; *Lecanora limbata* Smmrf. *Lapp.* p. 105, t. 3) Nyl. *Syn.* p. 331, thallo parum evoluto, solum apothecia recipiente et marginante (at circa cupulas eas receptaculares thallus sat tenuis granulosus obscurus); rara videtur, sin frequentior sit ad oras Maris Glacialis.

Trib. XII. — PARMELIEI.

Thallus frondose dilatatus vel lobatus vel lobato-laciniatus aut stellato-laciniatus (exceptione teretiusculus et fruticulose intricatus). Apothecia lecanorina (vel receptaculo plerumque cupuliformi-libero adnata). Spermogonia arthrosterigmatibus munita.

Subtrib. I. — *STICTEI.*

Species culmen Lichenum exhibentes, forma maxime evoluta et thalli et apotheciorum et simul spermogoniorum. Merito

igitur a cel. J. D. Hooker et Taylor *Stictæ* veri patricii Lichenum nuncupantur (W. Hook. *Journ. of Bot.* 1844, p. 635). Thallus membranaceo-lobatus, subtus rhizinas habens plerumque tomentum sistentes; plerisque speciebus in pagina infera adsunt cyphellæ (aut pulverulentæ sive pseudocyphellæ aut cyphellæ veræ urceolatæ). Apothecia paraphysibus discretis mediocribus vel crassiusculis; sporæ fusiformes plerumque septatæ (1—3-septatæ, raro septis pluribus).

I. — **STICTINA** Nyl.

Thallus varie lobatus vel laciniato-lobatus, rhizinis simplicibus; stratum gonidiale constat e granulis gonimis glauco-virescentibus vel glauco-cœrulescentibus (in nodulis hyalinis gelatinoso-cellulosis pluri-locularibus receptis, ita ut in quovis nodulo tali granula plura includuntur, unum scilicet in loculo singulo); hæc granula sæpe 2—3 moniliformi-juncta conspiciuntur. Differt hac natura strati gonidialis genus *Stictina* ab analogo et affini genere *Sticta*, in quo gonidia adsunt vera. Jam sub lente (vel oculo nudo) hoc stratum observatur cœruleum vel plumbeo-cœruleum in *Stictinis*, contra viride vel flavo-viride in *Stictis*. Spermogonia thallo extus haud prominulo innata.

1. **St. fuliginosa** (Dicks., Ach.) Nyl. *Syn.* p. 347.

Thallus cervinus vel cinereo-fuscescens mediocris vel minor (latit. 2—4-pollicaris) rigescens, aut læviusculus aut inæqualis, parum nitidiusculus vel fere opacus, monophyllus varie lobatus (lobis rotundatis), supra hinc inde efflorescentiis isidioso-coralloideis fuscis vel nigricantibus parvis adspersus, subtus pallidus tomento rhizineo mediocri vel tenui et cyphellis albidis; apothecia fusco-rufescentia parva (latit. circa 1 millim.), faciei biatorinæ, sæpius (saltem juniora) margine albide piloso-ciliata; sporæ incolores 1—3-septatæ.

Ad saxa muscosa vel ad truncos arborum vetustarum. In ora occidentali Sueciæ et Norvegiæ (Fr. *L. E.* p. 52). Ibi

tamen vix fertilis occurrat, et ceteroquin apothecia in Europa rarissima.

* **St. limbata** (Sm. *E. Bot.* t. 1104) Nyl. *Syn.* p. 346. — Thallus glauco-luridus vel pallide cervino-fuscescens (latit. circa 2—3-pollicaris) vix rigescens, lævis aut levissime scrobiculato-inæqualis, vix nitidiusculus (vel subopacus), monophyllus (lobis rotundatis, ambitu sæpe sublobato), margine hinc inde sorediis cæsio-cinerascentibus tecto (vel adhuc aliis parcis sparsis), subtus pallidus et sicut in *fuliginosa*. — In Norvegia (Blytt, ex Fr. *L. E.* p. 52). Verisimiliter solum varietas *fuliginosæ*, fere semper sterilis, et se habens ad eam, sicut var. *parile* ad *Nephromium lævigatum*.

2. **St. sylvatica** (Linn., Ach.) Nyl. *Syn.* p. 348.

Thallus cervinus vel cinereo-fuscescens (latit. 4—6-pollicaris) parum rigescens, leviter passim scrobiculato-inæqualis, laciniato-lobatus, lobis varie divisis (divisionibus apice obtusis), supra hinc inde leviter furfuraceus, subtus tomentosus fuscus vel fuscescens (ambitu pallescens); apothecia ut in præcedente, at margine nudo.

Ad saxa muscosa truncosque arborum. In Suecia magis meridionali (data in Fr. *L. S. exs.* 79).

3. **St. scrobiculata** (Scop.; Ach., Nyl. *Syn.* p. 353).

Thallus glauco-flavescens dilatatus (latit. circa 6-pollicaris et ultra) rigescens subopacus vel opacus (præsertim versus ambitum subtiliter pallide depresso-pulverulentus), profunde (aut hinc inde leviter) scrobiculosus, sæpius sorediis albidis vel cæsio-albidis (rarius obscurioribus) adspersus, late lobatus, lobis rotundatis margine undulatim grosse vel leviter crenatis, subtus albidus gibboso-inæqualis, rhizinis fuscis vel pallidis vel cinerascentibus tomentosus, gibbis (foveolis paginæ superæ ortis) subnudis vel calvis; apothecia rufa vel fusco-rufescentia (latit. circa 1,5—2 millim.) sparsa, margine thallino integro; sporæ incolores longe fusiformes 3—7-septatæ.

Ad latera rupium muscosa et ad truncos arborum vetustarum passim. In Norvegia fertilis (in hb. Ach. sub nomine *St.*

rugosula apotheciis nigris, forte initio *Celidii)*. In Lapponia rarius, sed in Nordlandia inferalpina et Finmarkia frequentius vigens (ex Whlnb. *Lapp.* p. 431).

Perperam l. c. eam ad *Stictas* retuli; est evidentissime, si textura examinatur vel sub lente stratum gonimon adspicitur, *Stictina*. Variat etiam lobis thallinis margine (hinc inde continue) albido-sorediatis *).

II. — **STICTA** Ach. pr. p., Nyl.

Thallus sicut in *Stictina*, sed stratum gonidiale e gonidiis veris (liberis) compositum.

1. **St. pulmonacea** Ach., Nyl. *Syn.* p. 351, t. 8, f. 44.
Thallus pallide glauco-luridus vel pallido-cervinus (interdum, præsertim ambitu, obscurior vel lurido-fuscescens) rigescens reticulato-foveolatus laciniato-lobatus (latit. circa 5—8-pollicaris), lobis sinuato-lobatulis (apicibus retuso-truncatis), subtus albidus bullato-inæqualis vel papularis, in interstitiis papularum ochraceo testaceus (et nonnihil rhizineo-tomentosus); apothecia rufa mediocria (latit. 2—4 millim.) marginalia vel rarius simul sparsa; sporæ incolores oblongo-fusiformis 1—3-septatæ.

Ad truncos arborum (raro ad saxa muscosa) passim rarius fertilis.

Variat laciniis margine albido-sorediatis; sæpius soredia seriata conspiciuntur in costis inter foveolas. Thallus subopacus vel hinc inde

---

*) Similiter in Nyl. *Syn.* p. 362 error latet sub "Sticta obvoluta", quod hic corrigere liceat. Typica *obvoluta* Ach. est *Sticta* (e regione Freti Magellanici), thallo cinereo-flavido pallidiore, gonidiis veris, sporis fuscescentibus majoribus (long. 0,025—32, crass. 0,010—11 millim.). At ab ea distinguenda est *Stictina hirsuta* (Mnt., licet cl. Montagne suam "hirsutam" etiam commiscuit cum *Sticta obvoluta* Ach.), granulis gonimis Stictinarum, thallo magis cinerascente (lurido-pallescente), sporis fere incoloribus angustioribus (long. 0,023—26, crass. 0,007—8 millim.; in var. *Guilleminii* Mnt. æque crassis, at interdum longitudine usque 0,035 millim.). In Chili habitat *Stictina hirsuta* et (ex hb. Petropolit.) quoque in Brasilia. Ita disjungenda est "Sticta obvoluta" Nyl. l. c. in *Stictam obvolutam* Ach. et *Stictinam hirsutam* (Mnt.), non solum specie sed etiam genere absolute distinctas, licet faciem externam simillimam habeant.

nitidiusculus. — Var. *pleurocarpa* Ach. est hæc loco apotheciorum (thalli pagina supera, aut rarius infera) ferens parasitam fungillum *Celidium Stictarum* Tul. *Mém. Lich.* p. 121, t. 1, f. 17 et t. 14, f. 5—8.

* **St. linita** Ach., Nyl. *Syn.* p. 353. — Similis *pulmonaceæ*, thallo latius vel rotundato-lobato nitidiore. — Talis in Finlandia lecta (ex. gr. in Satakunta ab A. J. Malmgren), sed sterilis, cur caracterem primarium fere *linitæ* in ea videre non licuit (scilicet apothecia sparsa). Vix sit *linita* nisi varietas *pulmonaceæ*. In America arctica adest forma *ochroleuca*, thallo substramineo.

2. **St. aurata** Ach., Nyl. *Syn.* p. 361.

Thallus glauco-rutilans vel testaceo-rubricosus lobato-divisus (lobis sinuato-incisis), marginibus undulatis sæpe citrino-pulverulentis, strato medullari citrino, subtus fusco-nigricans vel fuscescens breviter tomentosus (ambitu pallescens).

Ni fallor hanc vidi macram e Norvegia meridionali (lectam a cel. N. J. Andersson). Proxime deinde in Anglia et Gallia occidentali occurrit, sed vix fertilis.

III. — **RICASOLIA** DN., Nyl.

Thallus lobatus vel laciniatus (vix umquam sorediiferus), rhizinis fasciculatis (aut vix ullis) adfixus; cyphellæ (in nostris speciebus) nullæ. Apothecia (parmelina) margine thallino sæpius prominente, vel receptaculo margine inflexo. Spermogonia in prominentiis mastoideis inclusa.

1. **R. glomulifera** (Lightf.) DN., Nyl. *Syn.* p. 368, t. 8, f. 45; *Lichen amplissimus* Scop.

Thallus pallidus vel glauco-pallescens dilatatus (sæpe latissimus, diametri pedalis et ultra) rigens opacus lævis (vel centro rugosus), superficie subtiliter inæqualis (vel hinc inde subcoriaceus) laciniato-divisus, laciniis sinuato-lobatis, subtus pallidus (vel ambitu summo albidus) et rhizinis pallescentibus obsitus; apothecia rufa vel spadiceo-rufa (latit. 4—8 millim.); sporæ elongato-fusiformes 3-septatæ, longit. 0,032—60, crassit. 0,006—7 millim.

Ad saxa et truncos arborum in Suecia occidentali et in Norvegia (usque in Nordlandia meridionali, ex Whlnb. *Lapp.* p. 431).

Memorabilis glomerulis cephalodinis atro-virentibus (latit. circa 3—7 millim.) sparsis in thallo et pulvinulos *Leptogii laceri* var. *lophæi* omnino etiam textura simulantibus, qui præsertim in speciminibus sterilibus communes, rarius in fertilibus obvii. Sinus lobulorum rotundati, observante jam Achario.

2. **R. herbacea** (Huds., Hffm.) Nyl. *Syn.* p. 369.

Thallus pallidus vel pallido-luridus (rarius glauco-pallescens) dilatatus (latit. 6-pollicaris et ultra), sat tenuiter membranaceus, vix rigescens, subnitidiusculus, passim lævis, passim ruguloso, lobato-divisus, lobis crenatis, subtus pallidus (rhizinis concoloribus vel albidis); apothecia rufa (latit. 4—8 millim.); sporæ incolores (aut demum dilute fuscescentes) fusiformes 1-septatæ, longit. 0,026—44 millim., crassit. 0,009—0,011 millim.

Ad rupes et ad truncos arborum in Suecia meridionali-occidentali et in Norvegia (non vero boreali).

Subtrib. II. — *IMBRICARIEI.*

Thallus laciniatus vel laciniato-lobatus. Apothecia sporis ellipsoideis (vel raro oblongis) simplicibus incoloribus, paraphysibus nullis discretis. Spermogonia innata; spermatia acicularia utroque apice fusiformi-incrassatula (exceptione, in speciebus tribus ultimis cylindricæ longæ arcuatæ, et sterigmata simplicia).

IV. — **PARMELIA** Ach., Nyl.

Thallus varie lobato-divisus vel laciniatus (exceptione rarissima tereti-divisus), epithallo plerumque nonnihil nitidiusculo, subtus vulgo fibrilloso-rhizineus; medulla stuppea. Apothecia (sæpius nitidiuscula) vulgo sparsa; thecæ (in nostris) 8-sporæ (exceptione 4-sporæ).

Huic generi adnexa fuit stirps *Parmeliæ placorodiæ* (speciebus 16—18) conveniens spermogoniis cum Squamariis, sed habitu cetero prædita notisque Parmeliarum, paraphysibus haud discretis et thecis parte parietis apicali crassa (inde fere ut in Arthoniis); sporæ in eadem stirpe sæpius sunt oblongæ. Ambigit ea igitur inter Parmelias et Squamarias (ad quas in aliis scriptis eam retuli). Hic Parmeliis ea stirps adjungitur, inter quas a tironibus præsertim facilius invenitur ob formam externam plane parmeliaceam; forsan autem optime novum sistat genus (*Parmeliopsin* dicendam).

A. — Parmeliæ *thallo subtus plerumque distincte fibrilloso-rhizineo.* — Species *1—12.*

1. **P. caperata** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 376.

Thallus flavescens vel substramineus dilatatus (latit. spithameæ et ultra) lobato-incisus, hinc inde rugosus, subtus niger (ambitu spadiceus vel pallescens); apothecia badio-rufescentia, margine thallino crenulato sæpeque pulverulento cincta.

Supra saxa et ad truncos arborum in Europa temperata passim frequens. In Ostrogothia Sueciæ (Fr. *L. S. exs.* 293, *L. E.* p. 69). — Quoque in Sibiria viget.

2. **P. perlata** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 379.

Thallus albo-glaucescens vel albidus dilatatus (latit. spithameæ et ultra), ambitu lobatus, lobis rotundatis subimbricatis, subtus fusconiger (vel niger et ambitu pallescens); apothecia badio-rufa.

Ad saxa muscosa in Suecia (saltem media) et in Finlandia (usque latit. 63°, in Walamo) rarius. Sterilis. In Walamo quoque adest var. *olivetorum* Ach., lobis sæpe margine albosorediatis (vel sorediose limbatis).

3. **P. tiliacea** (Hffm.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 390.

Thallus albidus adnatus laciniato-lobatus suborbicularis, laciniis crenatis sæpius subimbricatis; apothecia badio-rufescentia.

Ad truncos arborum in Suecia rarius usque ad Holmiam. Raro ad saxa. Quoque in Norvegia (et ex Smmrf. *Lapp.* p. 113 ad scopulos adhuc in Nordlandia „extra sinum Saltensem", sin Lichen hic Sommerfeltii respiciat *Parmeliam lævigatam* Ach., Nyl. *Syn.* p. 392).

Variat thallo nudo vel pro parte subpruinoso. Variat deinde eodem isidio tenuissime cinerascente (in f. *scortea* Ach.). Variat quoque apotheciis raris, sparsis (*scortea*) et iisdem confertioribus (*tiliacea* Ach., quæ simul thallum minorem magisque adpressum habet). Est *tiliacea* e speciebus mediocribus (vel majoribus) generis. Differt thallus (f. *tiliaceæ*) parum a thallo *lævigatæ;* in hac laciniæ sunt magis (profundius) divisæ (sinuato-multifidæ vel sinuato-incisæ), nec margine ut in *tiliacea* crenatæ. *Parmelia hispidula* Ach. *L. U.* 468, *Syn.* p. 203, est *scortea* Ach. minor, junior, sterilis, muscicola.

4. **P. saxatilis** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 396.

Thallus cinerascens vel albido-cinerascens orbiculari-expansus (latit. spithameæ et ultra) laciniosus, reticulatim rugulosus (rugis sæpe hinc inde isidiose scabriusculis), laciniis sinuato-multifidis vel sinuato-incisis (vel lobatis), subtus niger; apothecia spadiceo-badia vel fusca.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris, rarius ad ligna vel truncos arborum.

Variabilis, sæpe latitudinis pedalis. Variat laciniis plus minus divisis, lævioribus aut magis reticulato-inæqualibus et isidiosis. Variat dein colore, qui interdum est obscure cinerascens (plerumque tum thallus isidio est tectus). Supra thallum interdum occurrit parasitula fungina (ut videtur) *Abrothallus parasiticus* (*A. Smithii* Tul. *Mém. Lich.* p. 113) et frequentius *Dothidea homostegia* Nyl. *Prodr.* p. 56. — Var. 1) *omphalodes* (L., Ach.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 396, differt thallo fusco vel fusco-nigricante nitidiore læviore (vel fere lævi); ad saxa simul cum typo vulgaris. — Var. 2) *panniformis* (Ach.) Schær., Nyl. l. c., similis est aut typo aut *omphalodi*, sed thallo (cinerascente vel fuscescente) tenuiter et brevius laciniato-dissecto imbricato (quasi in crustam imbricatam congesto); ad saxa passim. — Var. 3) *sulcata* (Tayl.) Nyl. *Syn.* p. 397, magis est diversa a typo, cui thalli colore (albido vel albido-glaucescente vel pallido) et forma est subsimilis, sorediis oblongis vel linearibus vel reticulatis (isidio autem nullo); ita in hac varietate thallus hinc inde (et varie) sorediose sulcatus (nam soredia stratum corticale disrumpentia vulgo sunt quasi marginata vel sulciformia, albida vel interdum sordida); frequens ad cortices (et ramos)

arborum (at raro fertilis), raro supra saxa vel inter muscos vigens. Interdum in hac varietate thallus sublævis et laciniæ magis discretæ longiores. Hæc varietas laciniis contra brevioribus latioribusque est f. *rosæformis* Ach. *L. U.* p. 470; ad cortices et ligna.

* **P. fraudans** Nyl. in Mus. Fenn. — Thallus pallidus orbicularis mediocris vel majusculus lacinioso-divisus rigescens inæqualis (vel sublævis), laciniis sinuato-crenatis vel sinuato-incisis, marginibus hinc inde albido-sorediosis vel adhuc sorediis prominulis sparsis (vel centro confluentibus et interdum albido-cinerascentibus), subtus niger vel fusco-niger laciniis ibi longitudinaliter varie rugosis; apothecia badio-rufa mediocria; sporæ longit. 0,013—16, crassit. 0,008—9 millim., pariete crasso. — Ad saxa vel inter muscos in Savolaxia (Edwin Nylander) et prope Kajana (K. P. Malmgren).

Affinis *Parmeliæ saxatili* var. *sulcatæ*, sed fortasse specie distinguenda (facie fere *Pannariæ fulvescentis* exoticæ), thallo pallido laciniis (latit. circa 2,5 millim.) minus planis (vel marginibus sæpius nonnihil elevatis) sæpius subtus rugosis, sorediis aliis (marginalibus et ceteris non sulcatis). Thallus depressus, sæpe laciniis imbricatis.

5. **P. conspersa** Ach., Nyl. *Syn.* p. 399.

Thallus pallide ochroleucus vel substramineus orbicularis mediocris (vel sat magnus) laciniato-divisus, laciniis adpressis vel subadpressis contiguis vel nonnihil imbricatis, marginibus sinuato-incisis vel crenatis undulatis, subtus fusco-niger vel fuscescens; apothecia spadicea vel fusca.

Ad saxa vulgaris. In Lapponia evanescens, et vix obvia nisi in maritimis Nordlandiæ (Whlnb. *Lapp.* p. 430).

Variat laciniis thallinis magis angustiusque divisis (var. *stenophylla* Ach.). Varietas *hypoclysta* Nyl. l. c., thallo subtus pallescente vel albicante (ceteroquin simili ac in typo *conspersæ*) in Europa meridionali viget, et ejus forma stenophylla est *P. conspersa* var. *georgiana* Ach. *L. U.* p. 487, *Syn.* p. 209. Est hæc forma faciei solitæ *P. conspersæ*, at magis differt var. *vagans* (Nyl. *Syn.* p. 401, sub *molliuscula*), laciniis corniculatis et convolutis dichotomis; ad saxa in Rossia frequens videtur.

6. **P. Mougeotii** Schær., Nyl. *Syn.* p. 400 (f. *discreta*).

Similis *conspersæ*, sed diminuta (circa latit. pollicaris), thallo adnato flavido vel cinereo-albido ambituque flavescente, laciniis

angustis (latit. in nostra circa 0,5 millim.) et sæpe soredia tuberculosa albida hinc inde proferentibus, multifidis, discrete divisis, convexiusculis, arcte adnatis (rhizinis non visibilibus); apothecia parva.

Ad saxa gneissacea saltem ad Helsingfors (f. *discreta* Nyl. l. c.).

7. **P. centrifuga** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 401.

Thallus ochroleucus vel albido-flavescens adpressus centrifugus (vel zonatim centrifugus), laciniis conferte contiguis vel subimbricatis, centro corrugatis, inæqualibus, ambitu planiusculis crenatis vel crenato-incisis, subtus albidus (rhizinis sordidis); apothecia spadicea vel spadiceo-rufa (præsertim situ centralia) mediocria.

Ad rupes granitosas in terris Scandinavicis frequentissime.

8. **P. incurva** (Pers.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 402.

Thallus ochroleucus vel albide flavo-cinerascens subopacus orbicularis stellato-laciniosus mediocris (sæpius adpressus), laciniis angustis multifidis convexiusculis confertis apicibus (plerumque) incurvis nonnihilque imbricatis, soredia albo-flavescentia hinc inde proferens verrucoso-tuberculosa majuscula, subtus concolor (at fulcris rhizineis nigricantibus sæpius tectus); apothecia spadiceo-fusca vel obscure rufescentia parva vel mediocria.

Ad saxa granitosa in Scandinavia passim sat frequens, usque in Lapponia. Raro fertilis.

9. **P. acetabulum** (Neck.) Dub., Nyl. *Syn.* p. 402; *Parmelia corrugata* Ach.

Thallus glauco-olivaceus vel olivaceo-luridus (vel passim pallidius luridus) subopacus orbicularis (majusculus) inæqualis vel rugulosus lobatus, lobis flexuosis vel imbricatis, subtus castaneo-fuscus vel nigricans (aut pallescens); apothecia badio-rufa mediocria vel magna (sæpe latit. semipollicaris).

Ad truncos arborum usque in Sueciam mediam rarius.

10. **P. olivacea** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 403.

Thallus olivaceo-fuscus vel badius vel badio-umbrinus orbicularis vel suborbicularis rugosulus vel crebre minute corruga-

tus laciniato-lobatus, lobis (sæpius) adpressis planis crenatis, subopacus, subtus fere concolor; apothecia badia vel badio-rufescentia, margine receptaculari integro; sporæ longit. 0,011—19, crassit. 0,007—0,010 millim.

Ad cortices (arborum frondosarum præcipue) vulgaris. Quoque ad ligna.

* **P. exasperata** (Ach.) DN., Nyl. *Syn.* p. 404; *Parmelia olivacea* var. *aspidota* Ach. — Similis *olivaceæ*, differens autem thallo et receptaculo thallino apotheciorum papillis minutis (sæpe parum prominulis) exasperatis; sporæ breviter ellipsoideæ, longit. 0,009—0,012, crassit. 0,007—0,010 millim. — Ad cortices arborum passim.

* * **P. prolixa** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 404. — Thallus obscure olivaceus vel badio-æneus suborbicularis vel effusus laciniatus, laciniis sat angustis et varie divisis multifidis planis vel planiusculis, ambitu crenato-incisis, subtus nigricans (fibrillis rhizineis mediocribus); apothecia fusca (latit. 4—12 millim.), margine receptaculari integro vel subintegro cincta; sporæ longit. 0,009—0,011, crassit. 0,005—6 (raro 7) millim. — Supra saxa, præsertim granitosa, in Scandinavia frequentissima.

Differt ab *olivacea* thallo nitidiore angustius laciniato-imbricato, laciniis ambitu vix vel non dilatatis, apotheciis obscuris, sporis longe minoribus, etc. Vix vero species autonoma. Thallus facie ut sæpe in *conspersa*, at colore valde diversus. Variat thallus lævis vel impresso-inæqualis. Var. *Delisei* Dub. *Bot. Gall.* p. 602 est forma major thallo coloris pallide olivacei; saxicola vel muscicola, præsertim in Gallia vigens, sed etiam in Scandinavia passim obvia. Forma contra minor obscurior, thallo adpresso fuliginose furfuraceo vel tenuiter nigro isidioso et margine receptaculari leviter crenulato est var. *fuliginosa* Fr. in Dub. l. c.; in Europa temperata frequentior, in Scandinavia rarior. Offert *P. prolixa* quoque formam suam *pannifor mem* Nyl. (analogam ut in *saxatili*) thallo tenuius et brevius dissecto imbricato-congesto; passim. *Prolixæ* adhuc jungenda est tamquam forma peculiaris: *dendritica* (*P. dendritica* Pers., Schær.; *P. pulla* Ach. *Syn.* p. 206, ex hb. ejus), minor, thallo obscure fusco vel olivaceo-nigricante adnato, laciniis angustioribus et anguste divisis, divisionibus interdum imbricatis; rarius in Scandinavia. *P. stygia* var. *sorediata* Ach. *L. U.* p. 471, *Syn.* p. 205, est forma (*sorediata*) subsimilis *dendriticæ*, thallo adnato minore (latit.

circa pollicaris) suborbiculari adnato, sorediis verrucoso-prominulis albidis vel fusco-albidis adsperso; supra saxa rarius. — *P. ryssolea* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 405 (quam e Tauria et aliunde e Rossia vidi) affinis, sed evernioidea, attamen forte non bona species; sit saxicola.

11. **P. stygia** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 405.

Thallus castaneo-fuscus nitidiusculus orbicularis mediocris (latit. 2—3-pollicaris) firmulus, laciniis sublinearibus multifidis planis vel convexiusculis imbricatis divisus, subtus niger (vel ambitu spadiceus) fibrillis rhizineis parcis; apothecia fusca (latit. 3—8 millim.), margine receptaculari crenato cincta.

Supra rupes in terris Scandinavicis et arcticis frequens.

12. **P. lanata** (L.) Nyl. *Syn.* p. 406.

Thallus nigricans vel fusco-nigricans teres gracilis decumbens vage ramosus implexus, fere nitidiusculus; apothecia lateralia concoloria, margine receptaculari subintegro aut fere granulato-inæquali; sporæ fere ut in *stygia* vel *prolixa*.

Supra rupes Scandinaviæ frequens.

Thallo filiformi alectorioideo ab aliis congeneribus recedit; at thallus interdum (præsertim in alpinis) nisum dispositionis orbicularis (laciniis scilicet teretibus radiantibus) ostendit, et margo apothecia cingens sæpe crenulato-undulatus affinitatem indicare videtur cum *P. stygia*, quacum colore convenit, at textura strati corticalis thalli est diversa.

B. — *Stirps* Parmeliæ physodis. *Thallus subtus glaber.* — Species *13—15.*

13. **P. physodes** (L.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 408.

Thallus albidus substellatus mediocris vel majusculus, laciniis multifidis planiusculis glabris lævibus imbricatis, subtus fusco-niger nudus rugosus et apicibus (sæpe subadscendentibus) nonnihil ibi inflatus et badio-pallescens; apothecia spadicea vel badio-rufescentia mediocria (latit. 3—6 millim.), margine cincta receptaculari integro; sporæ 8^{nae} parvæ (longit. 0,006—8, crassit. 0,005—6 millim.

Supra saxa et ad truncos arborum frequens, at sat raro fertilis.

Haud parum variabilis. Var. *vittata* Ach. lacinias thalli habet magis lineares et margine externo obscuratas vel denigratas. Var. *platyphylla* Ach. differt a typo laciniis latioribus, ambitu crenatis. Variat etiam

typica thallo fuscescente (*obscurata* Ach.). Var. *labrosa* dein ab Achario dicta fuit typica apicibus laciniarum (quæ interdum subcylindricæ sunt) turgescentibus sorediosis; haud rara. *P. distorta* Ach. *Syn.* p. 219 videtur esse *physodes* (vel var. *vittata*) diminuta sterilis deformis, sat tenuiter divisa, laciniis rugosis vel subangulosis inæqualibus, e Gallia; subsimilem in var. *vittata*, in centro thalli rarius ortam, vidi e Fennia. — Stirps *Parmeliæ physodes*, æque ac subdivisiones meæ generum alibi, genus melius sisteret, quam genera sporologica. At parum emolumenti scientiæ afferretur si eæ subdivisiones tamquam genera proponerentur; contra inde nomenclatura mole nova gravaretur.

14. **P. encausta** (Sm.) Ach., Nyl. *Syn.* p. 406.

Thallus albidus vel albido-cinerascens (rarius pro parte fuscescens) anguste laciniatus inæqualis, laciniis multifidis convexis vel teretiusculis (imbricato-decumbentibus vel depressis), subtus nigricans et opacus; apothecia et sporæ fere ut in præcedente.

Supra saxa in alpinis sat frequenter; etiam ad regiones subalpinas et minus frigidas descendens, ex. gr. in archipelago Alandensi (Edwin Nylander).

Vix fere nisi varietas *Parmeliæ physodis*, quacum formis latius laciniatis confluere videtur; esset tunc varietas *physodis* analoga ac *panniformis* est *Parmeliæ saxatilis*. Var. *textilis* Ach. est forma *encaustæ* thallo tenuius diviso, divisionibus subfibrillosis dense imbricato-congestis et sæpe pro parte cinereo-nigrescentibus. Var. *candefacta* Ach. est eadem thallo albo. Var. *intestiniformis* (Ach. *Syn.* p. 220) divisiones thallinas (sæpe obscuras vel fuscescentes) habet tenues teretiusculas torulosas (subarticulato-inæquales); in alpibus Norvegiæ (W. P. Schimper).

15. **P. pertusa** (Schrank.) Schær., Nyl. *Syn.* p. 410; *Parmelia diatrypa* Ach.

Sat similis *Parmeliæ physodi*, sed thallo magis plano-adpresso, laciniis hinc inde in medio pertusis (foramine minuto), thecis 2—4-sporis majoribus.

Ad saxa et truncos arborum in Europa media, nec verisimiliter in Suecia vel Norvegia meridionali desit, quare hic indagationi commendanda erat.

Hoc loco observare liceat, *Parmeliam cribellatam* Tayl., Nyl. *Syn.* p. 411, boreali-americanam, esse *Parmeliam lophyream* Ach. *Meth.* p. 198, *L. U.* p. 481, *Syn.* p. 211. Nomen Acharianum evidenter est restituendum.

C. — *Stirps* Parmeliæ placorodiæ. *Thallus subtus (saltem parce) fibrillosorhizineus. Spermogonia sterigmatibus brevibus simplicibus, spermatiis gracillimis cylindricis longis arcuatis (ut in Squamaria).* Parmeliopsis *Nyl. mscr. olim.* — Species *16—18.*

16. **P. ambigua** (Wulf.) Ach., Fr. *L. E.* p. 71 (excl. var.).

Thallus stramineus stellato-orbicularis adpressus, laciniis sat angustis applanatis (sæpius subcontiguis) multifidis, sorediis adspersus, subtus fusco-niger; apothecia rufo-badia vel badiofuscescentia fere mediocria (latit. 1—2 millim.); sporæ oblongæ vel ovoideo-oblongæ (sæpe nonnihil curvulæ), longit. 0,006—11, crassit. 0,0025—0,0035 millim.

Ad ligna et cortices (inprimis betulæ) in tota Scandinavia valde frequens. Raro ad saxa.

Est *Lichen diffusus* Schrad. (*Imbricaria diffusa* Krb.). Thallus latitudinis 1—3-pollicaris, sæpissime sorediis subconcoloribus vel albido-flavescentibus (vel tritis albidis) convexis adspersus; variat divisionibus laciniarum discretis, variat quoque sorediis subconfluentibus. Apothecia margine thallino integro vel obsolete crenulato; non semper sporas continent. Saxicola interdum brevius laciniata firmior, thallo magis contigue laciniato, ambitu crenato. Spermogonia extus nigra punctiformia; spermatia long. 0,018—25, crass. 0,0005 millim.

17. **P. aleurites** Ach. *Meth.* p. 208, *L. U.* p. 484, *Syn.* p. 208, pro max. parte (non vero *Imbricaria aleurites* Krb.), Smmrf. *Lapp.* p. 111, Fr. *L. E.* p. 62 pr. p.; *Lichen aleurites* Ach., Whlnb. *Lapp.* p. 423; *Parmelia hyperopta* Ach. *Syn.* p. 208.

Similis est præcedenti, sed thallus albidus vel albido-cinerascens, sorediis albis vel albidis; apothecia spadiceo-fusca vel spadiceo-rufescentia (latit. 1—3 millim.); sporæ ut in præcedente, sed sæpius curvulæ, longit. 0,011—12, crassit. 0,003—4 millim.

Ad ligna et cortices, socia præcedentis, frequentissime in Scandinavia obveniens. Rarissime ad saxa (in Lapponia eam saxicolam legit Edwin Nylander).

Hæc est vera *aleurites* Ach. (pro maxima parte, et exclusa var. *diffusa*) et auctorum Scandinavicorum, qui hoc nomine Lichenem iis vulgarem

semper designarunt; *Parmelia hyperopta* Ach. respicit formam, quam solum ex Helvetia habuit Acharius, perperam igitur cl. Kœrber nomen *aleurites* dat sequenti, quæ apud Acharium jam nomen aliud habet. *P. aleurites* Ach. primaria e Suecia (ex hb. ejus) est forma confluenti-sorediosa (qualis etiam in Finlandia sæpe occurrit, ad ligna) ambitu solum thalli nudo vel absque pulvere soredioso. Thallus subtus fusco-niger vel fusco-pallescens. Variat supra magis (vel immo sat obscure) cinerascens, in Finlandia et Suecia passim. Variant apothecia margine thallino integro aut crenulato aut albo-soredioso. Variat thallus rarius subtus pallescens (typica Acharii, in Suecia et Finlandia), ambitu plerumque subtus fuscescente. Spermatia long. 0,023—30, crass. 0,0005 millim — In fig. 1 Tabulæ dantur sporæ nonnullæ auctæ diametris 275.

18. **P. placorodia** Ach. *Syn.* p. 196, Tuck. Exs. 71; *Parmelia aleurites* var. *diffusa* Ach. *L. U.* p. 485, *Syn.* p. 208.

Sat similis præcedenti, thallo albido vel albido-cinerascente, sæpius isidioso-papilloso et soredioso, subtus pallido; apotheciis badiis vel badio-fuscescentibus subopacis (latit. 2—7 millim.); sporis ellipsoideis, long. 0,006—9, crass. 0,005—6 millim.).

Ad ligna et cortices (pini, quercus, castaneæ) in Europa media vel mitiori passim sat frequenter in montanis sylvaticis. Raro ad saxa. Etiam in Suecia (ni fallor) adest, licet inde modo sterilem vidi (quo statu non semper tute est determinanda).

Est *Lichen aleurites* Sm. *E. Bot.* t. 858, ut videtur, et *Imbricaria aleurites* Krb. *S. L. G.* p. 73. In Europa parum variat, at in America magis est variabilis, jam firmior et brevius laciniata (typica *placorodia* Ach.) laciniis ambitu crenatis, jam thallo tenuiore et laciniis magis divisis et multifidis (conveniens cum europæa). Apotheciis subopacis (in præcedente nitidiusculis) et sporis optime dignoscitur a præcedente.

Subtrib. III. — *PHYSCIEI.*

Thallus laciniatus varie divisus, plerumque stellato-orbicularis (raro adscendens vel sat raro effusus). Apothecia (aurantiaca vel flava aut in aliis nigricantia) lecanorina paraphysibus discretis; sporæ aut incolores aut fuscæ, biloculares, raro simplices, 8nae in thecis (exceptione thecæ polysporæ). Spermogonia in-

nata (vel thallo supra ea parum prominulo) sterigmatibus pluriarticulatis vel arthrosterigmatibus munita; spermatia oblongo-cylindrica aut æqualiter cylindrica (raro obsolete utroque apice incrassatula).

V. — **PHYSCIA** Nyl.

Genus unicum hujus subtribus notisque allatis dignotum, sectiones duas distinctas continens.

A. — *Species flavescentes, thallo flavo. Sporæ incolores solidæ utroque apice loculum offerentes (quæ locula bina tubulo tenui in axi sporæ disposito plerumque junguntur), raro simplices.* — Species *1—2*.

1 **Ph. parietina** (L.) DN., Nyl. *Syn.* p. 410.

Thallus flavus lobato-incisus, lobis planiusculis subimbricatis sat adpressus, subtus pallidior vel pallido-albidus; apothecia aut concoloria, aut cerino-aurantiaca, mediocria (circa latit. 1,5—3 millim.).

Ad cortices, ligna et saxa vulgaris, at præcipue in cultis, in certis autem regionibus rarescens; in Lapponia deest, nisi in maritimis (ad rupes).

Thallus variat vitellino-flavus vel pallidius flavens (locis subumbrosis virescens). Spermogonia ut in affinibus in protuberantiis aurantiaco-fulvis inclusa. Var. 1) *aureola* (Ach.) typus est colore thalli intensiore, magis fulvescente et margine receptaculi crenulato; ad saxa (et cortices) præcipue in maritimis. *P. parietina* var. *ectanea* Ach. *L. U.* p. 464 vix differt, at specie distinguenda sit *P. contortuplicata* Ach. *Syn.* p. 210 (thallo cinerascente, laciniis angustis intricatis, apotheciis subpodicellatis), quam in alpibus Delphinatus frequenter observavi. — Var. 2) *polycarpa* (Ehrh.) Nyl., typo minor, lobis thallinis granulato-conglomeratis vel brevibus et margine granulato-crenatis; ad ligna et corticem arborum (pini præsertim, betulæ) frequens (adhuc ad Sinum Saltensem rarius, ex Smmrf. *Lapp.* p. 109); raro ad lapides. – Var. 3) *lobulata* (Flk.) Nyl. l. c. p. 412 sistit statum athallinum vel lobulis parcis brevissimis, polycarpum; ad ligna et cortices raro.

* **Ph. lychnea** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 411 (sub parietina). — Vix nisi varietas *Physciæ parietinæ* microphyllina, thallo lobatulo effuso, lobulis sæpe lacero-dissectis et sæpe margine

pulverulento subadscendentibus aut erectiusculis confertis vel congestis, apotheciis concoloribus vel intensius fulvescentibus. — Supra saxa valde frequenter, rarius ad ligna (vel cortices).

Est *Lecanora candelaria* Flk. D. L. 171 A. et *Physcia controversa* Mass., Krb. *Par.* p. 38. Sporæ vulgo long. 0,010—16, crass. 0,006—8 millim. Confluere videtur interdum forma lignicola cum *polycarpa*. Forma erectiuscula minuta, laciniis thalli angustis (sæpe fere teretiusculis) divisis margineque sæpius vel apice granuloso-pulverulentis, apotheciis terminalibus, est f. *pygmæa* Bor. (*Lecanora candelaria* var. *finmarkica* Ach. *Syn.* p. 192).

2. **Ph. candelaria** (Ach. pr. p.) Nyl. *Syn.* p. 412.

Similis fere *Physciæ parietinæ* var. *lychneæ*, thallo depresso (orbiculari vel diffuso) minute laciniato-diviso, laciniis multifidis subimbricatis confertis, sed apothecia thecis polysporis (sporis 10—100) simplicibus (Tab. I, fig. 2).

Ni fallor, haud rara in Suecia magis meridionali et usque ad Holmiam, sed mihi inde non fertilis visa. Huc etiam pertineat Fr. *L. S. exs.* 258. Apothecia (faciei ut in *Lecanora vitellina*) frequenter obvia in Europa mitiore. Est *candelaria* hæcce eadem ac *Lichen concolor* Dicks. *Cr. Br.* 3, p. 18, et *Parmelia laciniosa* Duf. (ex speciminibus primariis auctoris, quod in mea *Syn.* p. 419 est corrigendum, ubi nomen Dufoureanum perperam relatum est ad *lychneam*).

B. — *Species cinerascentes, thallo cinereo vel albicante. Sporæ fuscæ 1-septatæ.* — Species *3—9*.

3. **Ph. ciliaris** (L.) DC., Nyl. *Syn.* p. 414.

Thallus albido-cinerascens (vel passim cinereo-fuscescens) lineari-laciniatus, laciniis (latit. circa 1—3 millim.) subadscendentibus (vel decumbentibus) multifidis imbricato-intricatis, subtus canaliculatis et albidis, margine sat longe fibrilloso-ciliatis; apothecia fusca vel fusco-nigra cæsio-pruinosa (aut rarius nuda).

Ad truncos arborum (populorum præcipue) passim, in frigidioribus rarescens vel evanescens (in Lapponia nonnisi varietas saxicola). In regionibus mitioribus frequentior.

Cilia thallina (æque ac thallus sæpe) plerumque puberula, concoloria aut apice late vel fere tota nigricantia. Apothecia latit. circa 3—6 millim., margine receptaculari integro cincta aut variante inflexo dentato. Var. *actinota* Ach. *L. U.* p. 497 est forma hoc margine magis evo-

luto (prolifero) et laciniolis quibusdam fimbriato. Var. *verrucosa* Ach. l. c. est typus substerilis, laciniis latioribus (sæpe latit. 3—6 millim.) spermogoniophoris (inde "verrucoso-papulosis"). Var. *agriopa* Ach. l. c. est forma laciniis brevioribus latiusculis, fertilis. Magis differt var. *saxicola* Nyl. *Syn.* p. 414, thallo obscure cervino vel fuscescente magis adpresso, (ad saxa montium et præcipue) supra scopulos marinos passim frequens (adhuc ad Mare Glaciale); est sterilis et spermogonifera var. *melanosticta* Ach. et *Parmelia mamillata* Tayl.

4. **Ph. speciosa** (Hffm.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 416.

Thallus albus vel albo-cinerascens stellato-laciniatus, laciniis sat anguste multifidis planis subimbricatis, apicibus sæpe nonnihil adscendentibus (et haud raro obtusis pulverulentisque), subtus lacteus (fibrillis rhizineis et marginalibus albis vel sordide albidis); apothecia fusca mediocria, margine receptaculari integro vel demum rugoso-inæquali.

Ad truncos arborum (ex. gr. betulas) et ad saxa in Norvegia et in Finlandia orientali; raro fertilis.

5. **Ph. pulverulenta** (Schreb.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 419.

Thallus pallido-cinerascens vel pallide cinereo-rufescens vel pallide olivaceo-cervinus opacus (vulgo saltem pro parte albo-pruinosus vel albocæsio-pruinosus) suborbiculari-stellatus sat adpressus firmulus (latit. 2—6-pollicaris), laciniis planis multifidis (divisionibus subcontiguis) apicibus obtusis crenato-incisis, subtus fibrillis rhizineis nigricantibus hispidus; apothecia (fusca) cæsio-pruinosa (latit. circa 2—4 millim.), margine receptaculari tumidulo integro (etiam pruinoso) cincta.

Ad corticem arborum (præcipue populi) sat frequens usque ad Scandinaviam mediam, dein rarescens vel evanescens, nisi in maritimis, ubi adest adhuc in Qvarken (A. J. Malmgren) et usque in Nordlandia (Sommerfelt).

Colore thalli et magnitudine (crassitieque) atque sporis majoribus (long. 0,020—36, crass. 0,012—20 millim.) differt a *Physcia stellari*. Qualis *pulverulenta* in maritimis, ex. gr. in Alandia, occurrit, accedit aliquando ad *venustam* Ach. (vel transit in eandem) margine receptaculari lobulis thallinis raris appendiculato. Var. *argyphea* (Ach. *L. U.* p. 474, *Syn.* p. 214) differt a typica thallo toto albo-pruinoso (pruina tamen sæpius parum densa) laciniis firmioribus extus (versus ambitum) latioribus, apotheciis similiter pruinosis (margine receptaculari sæpe

inæquali vel interdum subcrenulato). Accedit ad var. *pityream* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 120 (cui tamen thallus tenuior, albido-cinerascens subeffusus, laciniis breviusculis sæpe margine sorediosis, apotheciis receptaculo crenulato vel sorediato-lacero); ex. gr. in Gallia vulgaris in cultis ad arbores, e Scandinavia mihi ignota. Est *P. farrea* Ach. *L. U.* p. 475 (excl. var.). — Var. *angustata* (Ach.) Nyl. l. c. non differt a typo nisi magnitudine plerumque minore et laciniis angustatis; ad cortices in Suecia et usque in Alandia et immo Ostrobottnia australi (A. J. Malmgren). — Var. *detersa* Nyl. l. c. ("Parm detonsa Fr., ex ipso", Nyl. *Karel.* p. 174), similis typicæ, sed thallo epruinoso (vel subepruinoso) subcervino vel cervino-pallescente, interdum subeffuso, laciniis subpinnato-crenatis, interdum summo margine sorediose albo-limbatis; supra muscos et ad cortices in Finlandia media et orientali rarius, at modo sterilis. — Var. *muscigena* (Whlnb.) Nyl. l. c., sat similis typicæ, at thallo obscuriore (interdum cervino-fuscescente) et sæpius albocæsio-pruinoso, laciniis plerumque brevioribus magis discretis adscendentibus; supra muscos in alpinis frequens. Huc pertinet *P. farrea* var. *alphiphora* Ach. *L. U.* p. 476, *Syn.* p. 213. — Var. *venusta* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 421 differt a typo præcipue thallo epruinoso et receptaculo laciniolis vel lobulis thallinis horizontalibus nonnihil coronato; adest in Suecia magis meridionali, sed confluit cum typo (in Europa mitiore autem longe magis est constans et distincta, immo in meridionali, ut in Hispania et Lusitania, insignis apotheciis dense albo-pruinosis, receptaculo conferte lobulis coronato thalloque nudo).

6. **Ph. aquila** (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 422.

Thallus castaneo-fuscescens suborbicularis adpressus anguste laciniatus, laciniis lineari-multipartitis planis vel convexiusculis imbricato-congestis et ambitu stellatis, subtus pallidus fibrillis rhizineis nigricantibus sat raris (vel saltem non confertis); apothecia adnata fusco-nigra fere mediocria, margine receptaculari subintegro vel crenulato cincta.

Supra saxa littorum maris usque in Finmarkiam.

Accedit ad var. *venustam* præcedentis, at colore thalli magis fuscescente margineque receptaculari subintegro. Mediocris vel sat late expansus. Var. *crossophylla* (Wahlenb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 48) parum differt laciniis convexioribus marginibus passim subgranulato-papillatis. Var. *stippæa* Ach. differt laciniis tenuiter divisis ramosis conferte dense imbricatis (quasi forma "panniformis" depressa hujus speciei). — *Lichen balaninus* Whlnb. *Lapp.* p. 426 videtur esse *aquilæ* status minor vel junior, "in petris ad littora maris Finmarkiæ" (ex specim. ipsius in hb. Acharii). — Variat typus thallo pro parte (morbose ut videtur) cinerascente vel albicante.

7. **Ph. stellaris** (L.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 424.

Thallus albus vel albo-glaucescens orbicularis stellari-adpressus, laciniis multifidis contiguis, mediocris, subtus albidus (fibrillis rhizineis concoloribus vel fuscescentibus); apothecia fusco-nigra vel nigra mediocria nuda vel cæsio-pruinosa, margine receptaculari integro (vel obsolete crenulato).

Ad cortices vulgaris (libenter socia *Physciæ parietinæ*); quoque haud raro ad saxa. Culta non fugiens, sed potius præferens.

Species maxime vulgaris et haud parum variabilis. Formas varias typi Acharius sub nominibus "Parmelia stellari" et "P. aipolia" subsumsit. *P. stellaris* Ach. exprimit typum laciniis thallinis convexiusculis subtusque rhizinis albidis vel cinerascentibus, estque ei vel a) *radiata* Ach., apotheciis pruinosis et margine receptaculari integro, vel b) *rosulata* Ach., iisdem nudis (vel subnudis) et margine hoc sæpius flexuoso vel crenulato; sed inter ambas differentiæ parum constantes. Forma *radiata* est fere frequentior quam *rosulata*. — Var. 1) *leptalea* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 425, est anguste laciniata, laciniis discretis adpressis et margine fibrilloso-ciliatis (ciliis his albis vel fuscescentibus); ad cortices passim, rarius ad ligna vel supra saxa. — Var. 2) *tenella* (Scop.) Nyl. *Syn* p. 426, subsimilis *leptaleæ* minori, sed fere effusa, laciniis adscendentibus apice sæpe fornicatis, rarius fertilis; sat frequens ad cortices, minus frequenter ad ligna, raro ad lapides. — Var. 3) *subobscura* Nyl. in his *Notis.* IV, p. 239, *Syn.* p. 426, forma thalli (passim subadscendentis) fere ut var. *leptaleæ*, at colore nonnihil fuscescente (cinereo-fuscescente) ciliisque pro maxima parte nigricantibus vel saltem obscuris (laciniis ceteroquin subtus albidis nudis, rhizinis vix ullis visibilibus); supra saxa ad oras maritimas in Alandia (Edwin Nylander) et in Norvegia (W. P. Schimper). — Var. 4) *aipolia* (Ach.) designat *stellarem* laciniis thallinis planis et rhizinis obscuris (fuscis vel nigricantibus). Formæ ejus tres sunt, scilicet a) *acrita* (Ach.) thallo albido (sæpe centro rugoso) laciniis contiguis vel ambitu parum discretis, subtus rhizinis cinerascentibus, apotheciis margine receptaculari integro (sit "L. ambiguus" Ehrh., ex Ach. hb., et est *P. aipolia* Flk. D. L. 135); b) *cercidia* (Ach.) thallo albido (vel albido-cinerascente), sæpe centro rugoso, subtus rhizinis nigris, apotheciis (vulgo centro sat confertis) margine receptaculari crenulato, passim frequenter obvia; dein c) *anthelina* (Ach.) similis est *cercidiæ*, laciniis autem magis discretis (plerumque "multifidis a centro ad ambitum continuatis") apotheciis (aut confertis aut sparsis) margine thallino integro, frequentissime in Scandinavia obveniens (estque var. *angustata* Nyl. *Syn.* p. 426). Formæ diversæ *aipoliæ* variant apotheciis pruinosis aut nudis. Obvenit quoque forma ejus *anthelina* raro saxicola. *Lecanora tribacia* Ach. sit *acrita* minus evoluta,

thallo abbreviato-laciniato effuso vel subeffuso, accedens versus *tenellam;* ad truncos et saxa, saltem in Europa media. *Parmelia incisa* Fr. *L. S. exs.* 340 est (ut jam 1852 indicavi) *aipolia* saxicola contracta, lecta in Suecia a rev. Stenhammar.

8. **Ph. cæsia** (Hffm.) Nyl. *Syn.* p. 426.

Similis *Physciæ stellari* (vel f. *acritæ),* at thallo (albido vel albo-glaucescente vel albo-cæsio) sorediis pulvinatis cæsiis vel cæsio-albis adsperso.

Supra saxa et lapides frequens, rarius ad ligna fabrefacta.

Var. *teretiuscula* (Ach.) est forma ejus laciniis angustioribus convexiusculis. *P. albinea* Ach. var. sit platyphylla hujus, thallo albido, laciniis apice crenatis, potius quam f. *acrita* saxicola præcedentis.

9. **Ph. obscura** (Ehrh.) Fr., Nyl. *Syn.* p. 427.

Similis etiam hæc *Physciæ stellari,* sed thallo cinereo-fuscescente, apotheciis fusco-nigris nudis (margine receptaculari integro).

Ad cortices et saxa vulgaris, socia fere semper *Physciæ stellaris.*

Est variabilis ut pleræque species vulgares. Fere mediocris vel minor. Typus est *Parmelia cycloselis* Ach. Thallo pallido-cinereo parum obscuro est *Parmelia chloantha* Ach. *Syn.* p. 217 (ad cortices saltem in Europa media obvia). — Eadem thallo subeffuso pallido-cinerascente, laciniis abbreviatis imbricatis (analoga *tribaciæ* in *stellari),* est *Lecanora virella* Ach., supra saxa in Suecia. — Variat typica colore thalli pro parte (centro) nonnihil cæsio; supra saxa maritima in Norvegia (W. P. Schimper). — Variat dein typica (colore cinereo-fuscescente) anguste laciniata, laciniis multifidis imbricatis, saxicola passim obvia; est var. *lithotea* Ach. — Accedit eidem var. *sciastra* (Ach.) Nyl. *Syn.* p. 428, quæ similis typo, sed thallo fusco-nigro vel nigricante adpresso plano; supra saxa passim. Omnino male *sciastra* pro varietate *Platysmatis Fahlunensis* habita fuit. — Var. *ulothrix* (Ach.) Fr., Nyl. l. c., similis est typo, differt autem receptaculo apotheciorum basi nigro-fibrilloso.

Trib. XIII. — GYROPHOREI.

Thallus membranaceus monophyllus (vel subpolyphyllus) substrato umbilicato-adfixus. Apothecia aut simpliciter lecideina aut patellarioidea complicato-composita vel gyrosa (raro sub-

simplicia); paraphyses discretæ. Spermogonia arthrosterigmatibus munita, spermatiis tenellis breviuscule cylindraceis (utroque apice obtuso).

I. — UMBILICARIA Hffm.

Unicum genus hujus tribus et notis jam pro tribu datis dignotum. Locum hic habet ob formam vere membranaceo-foliaceam thalli in omnibus speciebus dominantem, structuramque cum ceteris generibus seriei Phyllodeorum convenientem.

A. — *Apothecia simpliciter lecideina (epithecio explanato).* — Species *1—2.*

a. — *Thecæ monosporæ, sporæ magnæ fuscæ murali-divisæ.* — Species *1.*

1. **U. pustulata** Hffm., Fr. *L. E.* p. 350, Leight. *Umbil.* p. 22; *Gyrophora pustulata* Ach. *L. U.* p. 226, *Syn.* p. 66, Westr. *Lafv. Färgh.* t. 29, f. 4; *Lasallia pustulata* Mér., Mass.

Thallus cinereo-pallescens vel cinereo-fuscescens papulosus (maximus in hoc genere), plerumque cinereo-pruinosus (saltem centro vel pro parte), subtus profunde lacunoso-foveolatus nudus fuscescens aut ibi quoque cinereo-pruinosus (et subtilissime areolatus); apothecia mediocria; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ, longit. 0,028—70, crassit. 0,018—28 millim.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris, exceptis regionibus frigidissimis. In Lapponia deesse videtur.

Forsan contra in Lapponia detegenda sit *U. Pennsylvanica* Hffm., in Grœnlandia et in montibus Uralensibus obvia et in Kolyvan, dignota thallo nudo (non pruinoso), subtus nigro conferte areolato-granuloso vel papillato-areolato. Thallus *Umbilicariæ pustulatæ,* vulgo plus minus furfure nigricante isidioso adspersus, latitudinis circa 3—4-pollicaris usque spithameæ. *Umbilicariam Mühlenbergii* (Ach.) quoque vidi ex hb. Pallasii, forte e Sibiria.

b. — *Thecæ 8-sporæ, sporæ incolores parvæ vel mediocres simplices.* — Species *2.*

2. **U. atropruinosa** Schær., Fr. *L. E.* p. 351; *U. anthracina* Schær. *Enum.* p. 27; *G. tessellata* Ach. *Syn.* p. 64.

Thallus fusco-nigrescens (passim nonnihil cinerascens), supra tenuiter areolato-rimulosus vel rugoso-areolatus (centro ita ma-

gis et sæpe magis cinerascente) mediocris, subtus niger vel pro parte pallescens (nonnihil cinereo-micans) aut lævis opacus aut subtiliter granulato-areolatus; apothecia (potissime subperipherica) fere mediocria vel sat parva, prominula; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ (sæpe obsolete curvulæ), longit. circa 0,013—0,016, crassit. 0,005—6 millim.

Supra saxa alpium Scandinaviæ passim.

E Scandinavia non mihi visa var. *cinerascens* Ach. l. c. (var. *lævis* Schær.), thallo supra lævi (sæpe cinerascente et nonnihil radiatim centro rimoso), in alpibus Europæ mitioris vigens; variat thallo microphyllo (var. *microphylla* Laur.). Nec in Scandinavia lecta sit var. *reticulata* (Duf.) accedens ad *U. proboscideam*, in qua vero rugæ sunt plicæformes et læviores. In Unalaschka adest forma major thallo centro late rugose granulato-subreticulato (et thallo vetusto passim foraminibus perforato), qualis sat similis in Helvetia occurrit, transiens in *reticulatam* Duf. vel eidem referenda; forma hæc simul magis nigrescens.

B. — *Apothecia patellarioidea complicato-composita vel gyrosa (epitheciis singulis angustatis vel rimiformibus), raro subsimplicia (in* spodochroa). — Species *3—13.*

†. — *Stirps* Umbilicariæ velleæ. — Species *3—6.*

3. **U. vellea.** *Gyrophora vellea* Ach. *L. U.* p. 228, 673; *Gyromium velleum* Whlnb. *Lapp.* p. 484.

Thallus cinerascens coriaceo-firmus crassiusculus lævis, subtus dense nigro-hirsutus (vel hirsutie fusco-nigricante); apothecia circinato-plicata; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,009—0,010, crassit. 0,006—7 millim.

Ad saxa in alpinis passim, sed rarius fertilis. Adhuc sterilis in Savolaxia (Edwin Nylander) et in Ostrobottnia australi (A. J. Malmgren).

Optime differentia hujus ab *U. spodochroa* (et *crustulosa*), quacum vulgo commiscitur, in Ach. *L. U.* p. 673 explicatur. Accedit differentia e sporis sumta. Apothecia sæpe absque sporis (quod interdum apud congeneres occurrit); optima vidi e Helagsfjället (in speciminibus quæ legit cl. Thedenius). Sæpius thallus supra tenuiter rimuloso-areolatus. Americana *U. Dillenii* Tuck. ægre differt nisi ut varietas, thallo fuscescente apotheciisque majoribus et magis complicatis. Notandum est, *U. velleam* sterilem vix tute determinandam esse.

4. **U. spodochroa** Hffm. *Fl. Germ.* p. 113; *Gyrophora spadochroa* (Ehrh.) Ach. *L. U.* p. 229 et 673; *Umbilicaria vellea* et *hirsuta* Fr. *L. S. exs.* 130, 277, *L. E.* p. 357, 358 pr. p., Stenh. *Exs.* 25.

Thallus cinerascens (vel rarius cinereo-fuscescens) rigescens (vel vix rigescens) lævis, subtus nigro-hirsutus (vel hirsutie fusco-nigricante); apothecia marginata rugulosa vel "disco papillato demum convexo gibberuloso"; sporæ incolores (demum fuscæ) simplices (tandem, saltem in Europa mitiore, varie vel fere murali-divisæ, tum fuscæ), longit. 0,020—27, crassit. 0,010—17 millim.

Supra saxa in Scandinavia passim, usque in Lapponiam.

Facile dignota apotheciis simplicibus vel subsimplicibus et sporis majoribus. Variat thallo obscuriore plumbeo. Variat quoque apotheciis margine radiatim fisso (inde quasi tenuiter crenulato). — Var. *crustulosa* (*G. crustulosa* Ach. *L. U.* p. 673, *Syn.* p. 68) differt thallo magis rigescente subtus pallido cinerascenti-hirsuto (vel hirsutie cinereo-fusca), apotheciis sæpe pulvinatis verrucosis vel gibberulosis (interdum subgyrosis), e Scandinavia mihi haud visa. Var. *depressa* (*G. crustulosa* var. *depressa* Ach. *L. U.* p. 673, *Syn.* p. 69) similis est typo, sed thallo rigidiore (firmo) subtus pallido fibrillis rhizineis subconcoloribus (vel pallidis) et præcipue apotheciis planiusculis ("papilla centrali elevata") differens a *crustulosa* Ach. — *Gyrophora mammulata* Ach. est adhuc *spodochroa* et quidem apotheciis non rite evolutis. — Quod ad nomen *spodochroa* pertinet, animadvertatur illud "spadochroa" scriptum fuisse, sed perperam, nam e græco σποδος, cinis, sumtum est.

5. **U. hirsuta** (Ach.) Fr. *L. S. exs.* 131; *Gyrophora hirsuta* Ach. *L. U.* p. 230, Funck *Cr. Gew.* 643.

Thallus cinerascens tenuiter membranaceus lævis, subtus pallescens vel pallidus (et interdum circa umbilicum fusco-niger) cinerascenti- vel pallido-rhizinosus; apothecia convexa gyroso-plicata; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—11, crassit. 0,005—6 millim.

Ad saxa in Scandinavia passim frequens.

Facile distincta a præcedente thallo papyraceo-tenui (sæpe albido-cinerascente), subtus rhizinis tenuibus cinerascentibus (sæpe rarescentibus), apotheciis convexis gyrosis. Superficies thalli albida vel murino-albida (vel rarius plumbea) quasi tenuiter areolato-pulverulenta. Variat vero thallo subtus subnudo (var. *papyria* Ach.), aut adhuc rhi-

zinis fusco-nigricantibus (plus minus evolutis). Variat quoque interdum página infera circa umbilicum radiose fissa.

6. **U. murina** DC., Fr. *L. S. exs.* 132; *Gyrophora murina* Ach.; *Umbilicaria grisea* Hffm.

Similis *Umbilicariæ hirsutæ*, sed thallo (murino-cinereo vel albo-cinereo) subtus nudo (vel medio parce rhizinoso) conferte minute granuloso-areolato (inde scabrido) et ibi nigricante aut cinerascente.

Ad saxa in Scandinavia (adhuc media) passim, at sterilis vel raro apotheciis rite evolutis. E Lapponia non cognita.

Thallus sæpius supra subtilissime pruinoso-areolatus. Apothecia gyrosa, sporis ellipsoideis incoloribus, long. 0,014—18, crass. 0,008—0,010 millim.

††. — *Stirps* Umbilicariæ proboscideæ. — Species *7—8.*

7. **U. proboscidea** DC., Fr. *L. E.* p. 354 (excl. varr.); *Gyrophora proboscidea* Ach.; *Umbilicaria varia* var. *deusta* Leight. *Umbil.* p. 17.

Thallus cinereo-nigricans vel nigrescens (sæpius centro cinerascens) sat tenuis, fere mediocris vel minor, supra reticulato-rugosus (præsertim centro), subtus lævis pallescens (præsertim centro) et pro parte obscure cinerascens (vel fusco-nigrescens et cinereo-micans); apothecia solita gyroso-plicata; sporæ incolores ellipsoideæ, longit. 0,012—18, crassit. 0,006—8 millim.

Ad saxa in Scandinavia passim, at frequenter in Lapponia et in alpinis.

Variat (var. 1) *deplicans* Nyl.) thallo supra sublævi, ex. gr. in Dovre (W. P. Schimper), scilicet absque rugis plicatis subreticulatis typi, sed superficie thalli continue ruguloso vel rugoso (ut in typo præter plicas). — Var. 2) *exasperata* Ach. *Meth.* p. 105, *L. U.* p. 221 (*U. varia* var. *corrugata* Leight. *Umbil.* p. 18) differt thallo profunde plicato-corrugato (plicis undulato-confertis subreticulatis). — Magis differt

* **U. artica** (Ach. *Syn.* p. 65, Fr. *L. E.* p. 355) Nyl. *Hrb. Mus. Fenn.* p. 84 thallo fuscescente (vel medio pallidiore) vel ambitu fusco-nigricante conferte grosse granulato-corrugato (vel valide flexuoso-rugoso, non vero plicato) firmiore, subtus pal-

lescente (vel obscuro) cinereo-micante et medio nigricante. — In Norvegia boreali et Lapponia. Quoque in Spitsbergen (Martins et alii). Sæpius *Umbilicaria proboscidea* major, et ceteris notis satis constantibus differens, quare *arctica* facile propriam constituat speciem.

Variat thallo centro vel latissime supra pallide cinereo. Variat quoque centro læviore (ceteris vero partibus thalli supra conferte flexuose et intricate corrugatis). — Hic memorare liceat novam speciem Sibiricam forte in regionibus arcticis europæis detegendam. *U. rugifera* Nyl., thallo albido-cinereo supra valde flexuoso-corrugato, subtus lævi albido-pallido (vel pallide roseo-albido) hinc inde cinerascenti-fibrilloso, fere mediocri; apotheciis mediocribus simplicibus (latit. 1—2 millim. vel ultra) marginatis adnatis opacis (vix unquam gyrosis, sed interdum compositis vel aggregatis); sporis ellipsoideis incoloribus (long. 0,011—15, crass. 0,007—8 millim.). In Sibiria orientali (Sievers). Facie fere *arcticæ*, sed magis rugosa et subtus fere ut in *U. cylindrica* var. *Delisei* (Despr.). Latit. circa 1-pollicaris.

8. **U. cylindrica** (L.) Dub.; *Gyrophora cylindrica* Ach.; *Umbilicaria proboscidea* var. *cylindrica* Fr. *L. E.* p. 356.

Thallus cinerascens (vel cinereo-nigricans) firmiusculus sat lævis, fere mediocris vel minor, margine plerumque nigro-fibrilloso (vel fibrillis nigris plus minus ciliato), subtus pallidus vel pallescens (hinc inde vel centro nigricans, parumque cinereo-micans); apothecia ut in præcedente; sporæ vulgo nonnihil minores (long. 0,010—14, crass. 0,006—8 millim.).

Ad saxa in alpibus et in Lapponia passim.

Var. *fimbriata* Ach. est forma (ex alpibus Europæ mediæ) thallo albido-cinereo margine brevius et densius nigro-fibrilloso. — Var. *tornata* (*Gyr. tornata* Ach. *L. U.* p. 222, t. 2, f. t. 13; *G. proboscidea* var. *tornata* Ach. *Syn.* p. 65; *U. polymorpha* var. *mesenteriformis* Schær. *Enum.* p. 26; *G. mesaræa* Ach. *Meth.* p. 106, excl. syn.; *G. arctica* var. *mesaræa* Ach. *L. U.* p. 222) differt thallo polyphyllo complicato, lobis congestis adscendentibus, margine inermibus vel subinermibus, satis polycarpa; rarius (ut videtur) in alpibus Scandinaviæ, frequens vero in alpibus Europæ ceteræ. *Umbilicaria Delisei* Despr. mscr. est var. (*Delisei*) differens a typo thallo (forte firmiore) subtus saltem pro parte (ut in *depressa spodochroæ*) hirsuto-rhizineo vel fibrillis rhizineis plus minus frequentibus munito; in America arctica (etiam in Grœnlandia) frequens, ut videtur (nam in collectionibus visis abundat), in Scandinavia nondum lecta, quantum scio.

†††. — *Stirps* Umbilicariæ polyphyllæ. *Sporæ incolores.* — Species *9—13.*

9. **U. erosa** Hffm., DC., Fr. *L. E.* p. 354; *Gyrophora erosa* Ach.

Thallus fusco-nigrescens vel olivaceo-nigricans vel fere niger sat tenuis cribrosus et margine erosus (vel eroso-laciniatus), subtus fuscus vel fusco-pallescens nudus (vel raro parce fibrillosus) et vulgo tenuiter granulosus; apothecia prominula complicata; sporæ ellipsoideæ, longit. circa 0,011—12, crassit. circa 0,007 millim.

Ad saxa in Scandinavia frequenter. Usque in regiones maxime arcticas procedens.

Var. 1) *torrida* Ach. *Meth.* p. 104, *L. U.* p. 224, non differt nisi thallo vix cribroso, subtus pallidiore lacunuloso et adhuc fibrillis sæpius paucis munito. Confluit cum *erosa* typica. Magis insignis est ejus forma *subradians* Nyl., e Dovre (W. P. Schimper), thallo sæpius radiatim plicato pallidiore (olivaceo-fusco vel fusco-pallescente) cribroso (ambitu autem non laciniato-eroso), subtus vix vel obsoletissime granulato sordide albido-pallescente vel pallido-fuscescente lacunoso-reticulato vel trabeculose-dissecto; sporæ ei sunt long. 0,010—11, crass. circa 0,006 millim.

10. **U. hyperborea** Hffm., Fr. *L. E.* p. 353; *Gyrophora hyperborea* Ach.

Thallus fusco-niger vel fusco-olivacee nigricans sat tenuis mediocris inæqualis minute papuloso-rugulosus (vel papulis interdum majoribus), subtus lacunosulo-inæqualis (sed egranulosus) niger vel fusco-nigricans (interdum fusco-pallescens) et sæpius nonnihil cinereo-micans; apothecia complicata; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,013—16, crass. 0,007—8 millim.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris. Etiam præcedente frequentior in regionibus arcticis.

Variat (sat vulgaris) thallo subtus sordide pallescente (plerumque simul cinereo-micante et interdum centro nigricante). Variat adhuc thallo supra læviore vix papuloso-ruguloso (sed excrescentiis squamuloso-planis adpressis adsperso), tum sæpissime subtus nigro. Variat insuper thallo subtus plus minus lacunuloso, quo respectu æque ac thallo ibi glabro et supra papuloso-inæquali vel rugosulo (nec cribroso) mox differt ab *U. erosa.* Variat rarius thallo pallidiore olivaceo-fuscescente, subtus tunc sordide pallescente (vel fusco-pallescente).

11. **U. flocculosa** Hffm.; *Gyrophora flocculosa* Turn. et Borr., Krb.; *G. deusta* Ach.; *Umbilicaria polyphylla* var. *deusta* Fr. *L. E.* p. 352.

Thallus olivaceo-nigricans vel fusco-niger opacus nigro-furfuraceus (saltem pro parte), mediocris, tenuiter membranaceus, sublævis vel obsolete papuloso-inæqualis, subtus subconcolor lacunulosus; apothecia sæpius parum complicata; sporæ oblongæ vel oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,018—27, crass. 0,007—9 millim., interdum leviter curvulæ.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris, in boreali rarescens, attamen adhuc in Lapponia saltem meridionali obvia.

Sub *U. polyphylla* ab auctoribus sæpe concepta tamquam varietas, sed notis allatis dignota et æque bona certe species ac plurimæ aliæ hujus generis. Variat thallo dilutiore, olivaceo-fusco. Variat dein thallo supra plus minus squamuloso-folioloso. Variat thallo subtus plus minus distincte lacunuloso. Variat simul (f. *subpapulosa* Nyl. in Mus. Fenn.) thallo supra sat crebre papuloso-inæquali, in Finlandia rarius obveniens. Variat demum typica thalli ambitu eroso vel subcribroso (f. *brotera* Ach. *Meth.* p. 103).

12. **U. polyphylla** (L.) Schrad., Hffm., Fr. *L. E.* p. 352 (excl. varr.); *Umbilicaria polyphylla α glabra* Schær. *Enum.* p. 28; *Gyrophora heteroidea (glabra* et *polyphylla)* Ach. *L. U.* p. 218, 219.

Thallus fusco-niger vel olivaceo-fuscescens aut subniger mediocris vel minor lævis (vel sublævis) nudus sat tenuis vel rigescens, subtus niger (vel pro maxima parte niger vel "atropruinosus") lævis glaber; apothecia parum complicata; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,013—18, crassit. 0,007—8 millim.

Ad saxa in Scandinavia frequentissime.

Videtur esse *Lichen deustus* L. *Fl. Lapp.* p. 359. Thallus typice monophyllus, varians pallidius olivaceo-fuscescens. Variat typus major (latit. 2—3-pollicaris) thallo plumbeo-nigro (aut fusco-nigro "in cinerascentem vergente") hinc inde ruguloso, in maritimis præsertim obvia (est var. *anthracina* Ach.). Variat dein thallo magis lobato polyphyllo (var. *polyphylla* Ach.). Variat denique typus thallo subtus pallescente nigricanti-variegato (var. *variegata* Ach.), in Suecia et Finlandia raro obvia. — *Gyrophora heteroidea* var. *corrugata* Ach. *L. U.* p. 219, *Syn.* p. 64, est, ni fallor, propria species, *U. corrugata* (Ach.) dicenda, sat similis *polyphyllæ* (var. *anthracinæ* Ach.), sed aliter (magis) rugulosa et

aliter varians, scilicet varietate microphylla (subsimili *tornatæ cylindricæ*) fertili, sporis subsphæroideis vel breviter ellipsoideis (longit. 0,007—9, crassit. 0,005—8 millim.), in Helvetia et in Pyrenæis vigens.

13. **U. polyrrhiza** (L.) Stenh., Fr. *L. E.* p. 358; *Umbilicaria pellita* DC.; *Gyrophora pellita* Ach.

Est sat similis præcedenti, sed thallo subtus fibrillis rhizineis nigris hirsuto, apotheciis eximie gyroso-complicatis, sporis minoribus (long. 0,008—0,011, crass. circa 0,0045 millim.).

Ad saxa in Scandinavia frequens; ex alpinis vero et e Lapponia exclusa videtur.

Color sæpe pallidior olivaceo-fuscescens (interdum plumbeo-fuscescens). Variat thallo polyphyllo vel margine lobatulo vel laciniatulo crispo; est tum var. *luxurians* (Ach. *L. U.* p. 228), sat frequenter obvia. Variat hæc præsertim varietas thallo subtus hinc inde denudato glabro. Variat adhuc thallo supra sparse papuloso (in Finlandia raro).

Trib. XIV. — PYXINEI.

Deest hæc tribus in Europa, nec forsan rite distinguenda est a subtribu *Physcieorum* in tribu *Parmelieorum*.

Series V. — PLACODEI.

Thallus crustaceus, vel e crusta constans variæ indolis (squamosa, radiata, granulosa, pulverea aut evanescens, et in infimis aliquando thallus nullus visibilis), absque strato ullo medullari laxe filamentose implexo. Apothecia aut lecanorina aut lecideina (aut biatorina) aut in tribu minore lirelliformia. Thallus corticola sat raro hypophlœodes (aut lignicola hypoxyleus, vel saxicola hypolitheus). Apothecia raro thallo absolute destituta vel in alieno typice parasitica.

Trib. XV. — LECANOREI.

Thallus varius. Apothecia lecanorina vel sublecanorina; occurrunt tamen species quædam apotheciis biatorinis, quod etiam

thallo (evolutione manca) deficiente observatur (nam tunc margo thallinus necessario deficit). Apothecia hæc biatorina structura anatomica sporisque arctissime formis absolute lecanorinis adjunguntur, atque observatur sæpe eadem species (præsertim in certis *Placodiis* et in *Lecanoris* quibusdam affinibus) jam apotheciis lecanoreis, jam biatorinis; raro apothecia quasi typice biatorina inveniuntur in his Lichenibus. In omnibus ejusmodi casibus apotheciis recedentibus, character thalli et sæpe spermogoniorum locum hic determinat.

Subtrib. I. — *PSOROMEI.*

Thallus varie squamulosus, textura conspicue cellulosa, gonidiis distinctis majusculis. Apothecia lecanorina, sporis 8nis incoloribus majusculis simplicibus, paraphysibus discretis. Spermogonia arthrosterigmatibus prædita.

I. — **PSOROMA** Fr. pr. p., Nyl.

Definitione subtribus agnoscendum. Apothecia sparsa (in nostris), margine thallino crenato cincta. Habitus et affinitas *Pannariæ*, at gonidia mox distinctionem determinant.

1. **Ps. hypnorum** (Hffm.) Fr. *L. E.* p. 98; *Lecanora hypnorum* Ach. *Syn.* p. 193 (*lepidora* ante), Flk. *D. L.* 150.

Thallus flavido-fuscescens vel brunneo-flavidus squamuloso-granulatus, squamulis crenatis aut subgranulosis; apothecia rufa vel fuscescentia mediocria vel majuscula (latit. 1—6 millim.), margine thallino granuloso-crenato cincta; sporæ ellipsoideæ (utroque apice sæpe parum acutiusculo), longit. 0,016—21, crassit. 0,008—0,011 millim.

Supra muscos et terram in alpinis et in Lapponia frequenter, alibi in campestribus omnino rarescens.

Nomine *deaurata* Acharius designavit formam thallo magis flavescente et apotheciis majoribus, at est parum constans et præcipue in alpinis vigens. Variat thallo cervino. *Parmelia Femsjonensis* Fr. *L. E.* p. 98 est

(ut jam in scriptis meis ante animadverti) forma ejusdem thallo magis evoluto, "squamulis adscendentibus imbricatis crenatis" (apotheciis rarioribus); vix nomine proprio mereatur, et quæ in *L. S. exs.* 339 datur non distinguenda a *Psoromate hypnorum* solito.

* Ps. PALEACEUM (*Parmelia paleacea* Fr. *L. E.* p. 97). — Simile est *Psoromati hypnorum*, sed margine receptaculari albido-ciliato (ciliis inferius dispositis, nec undique insitis). — In Dania ex hb. Ach. (nomine "Lecanora ciliata").

SUBTRIB. II. — *PANNARIEI.*

Thallus squamulosus (apud unicam speciem submonophyllus, raro laciniato-radiatus) vel granulosus, textura cellulosa, granula gonima exhibens (loco gonidiorum). Apothecia lecanorina aut biatorina; sporæ 8næ incolores, fere omnibus simplices. Spermogonia arthrosterigmatibus munita.

II. — **PANNARIA** Del.

Thallus laciniato-radiatus vel squamulosus aut granulosus. Cetera ut in definitione subtribus.

A. — *Apothecia typice lecanorina. Sporæ simplices.* — Species *1—4.*

1. **P. rubiginosa** (Thunb.) Del.; *Parmelia rubiginosa* Ach., Fr. *L. E.* p. 88.

Thallus livido-glaucescens vel pallidus, ambitu laciniatus, laciniis planiusculis inciso-lobatulis et nonnihil crenatis; apothecia rufa, margine thallino crenulato cincta; sporæ ellipsoideæ (utroque apice acutiusculæ), longit. 0,017—25, crassit. 0,007—0,010 millim.

Ad rupes (præsertim muscosas) atque ad truncos arborum in Scandinavia occidentali passim et usque in Nordlandia copiose (Wahlenberg).

Thallus plerumque adpressus latit. 1—2-pollicaris. Var. *conoplea* (Ach.) Fr. differt centro thalli æque ac sæpe marginibus laciniarum cæsio-pulverulentis (sorediosis), apotheciis biatorinis; nonnisi sterilis e Suecia occidentali a me visa.

2. **P. elæina** (Whlnb.) Nyl. *Classif.* p. 176; *Lichen elæinus* Whlnb. *Lapp.* p. 425, t. 28, f. 3; *Lecanora elæina* Ach. *L. U.* p. 429, *Syn.* p. 200.

Thallus umbrino-olivaceus vel cinereo-umbrinus (vel centro obscurior) adnatus orbicularis ambitu radiatus vel plicato-radiatus crenatusque, fere mediocris (circiter pollicaris latitudinis vel major); apothecia fusca vel nigricantia, margine thallino integro cincta; sporæ parvæ, longit. circa 0,008, crassit. circa 0,005 millim.

Ad saxorum latera occulta in Finmarkia (Wahlenberg).

3. **P. leucolepis** (Whlnb.); *Lecanora leucolepis* Ach. *Syn.* p. 194.

Thallus albo-cinerascens vel livido-cinerascens squamulosus, squamulis fere imbricatis subcrenatis, interdum leviter striatis (versus ambitum); apothecia nigra plana (latit. circa 1 millim.), margine thallino subintegro (aut demum subcrenato) cincta; sporæ ellipsoideæ, longit. circa 0,015—17, crassit. 0,009—0,010 millim.

"Supra muscos putrefactos ad latera subirrigata rupesque montium inferalpinorum Nordlandiæ rarius" (Whlnb. *Lapp.* p. 420).

Huc pertinet *Parmelia Hookeri* Fr. *L. E.* p. 94 pr. p. (scilicet quoad sola specimina Wahlenbergiana) et *Lichen Hookerii* Sm. E. *Bot.* t. 2283 certe valde affinis, ita ut *leucolepis* esse possit varietas *Pannariæ Hookerii;* hæc insignior, typi superioris stellato-radiati adpressi. Granula gonima parva. Fries l. c. de "hypothallo fibrilloso-nigro" loquitur, at quod pro hypothallo ita sumsit auctor accuratius inspectum esse invenitur *Racodium rupestre* Pers. (Nees. *Syst.* p. 76, t. 73), nil commune habens cum ullo Lichene, sed accidentale in specimine examinato fuit. *P. Hookerii* apud Lichenologos Britannicos (Jones, Carroll, &c.) *leucolepis* dicitur.

4. **P. brunnea** (Sw., Ach.) Mass.; *Lecanora brunnea* Ach. *L. U.* p. 419; *Parmelia brunnea* Ach., Fr. *L. E.* p. 93.

Thallus brunneus, cervinus vel cinereo-fuscescens e crusta granulato-squamulosa dense imbricata constans, squamulis parvis crenatis; apothecia testaceo-rufa vel rufo-fuscescentia, margine thallino crenulato cincta; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,016—27, crassit. 0,007—0,010 millim.

Supra terram, muscos vetustos et ad truncos putridos in Scandinavia tota passim sat frequenter.

Var. *coronata* (Ach.) dicta fuit forma thallo magis cinerascente, apotheciis testacco-rufis. Apothecia sæpius conferta vel contigua mediocria (latit. 2—3 millim.). Gelatina hymenea iodo insigniter cœrulescens. Sed nomen "coronata" etiam affini *P. nebulosæ* datum fuit. Variat quoque typus *brunneæ* thallo obscuriore.

B. — *Apothecia biatorina.* — Species *5—12.*

5. **P. prætermissa** Nyl. in his *Notis.* IV, p. 97.

Thallus luridus vel cervinus vel lurido-fuscescens microlepideus vel e squamulis constans imbricato-congestis mediocribus firmulis (seu crassiusculis) crenulatis, sæpe margine nonnihil adscendente et sæpe obsolete cæsioalbido-suffuso (infra albidis), centralibus magis congestis minoribus et granulato-crenulatis (interdum iis in centro fere granuliformibus), magis evolutus pulvinato-acervulatus (sæpius depressiusculus); apothecia fusca vel rufescentia biatorina plana mediocria (latit. circa 1,5—2 millim.), interdum granulis thallinis coronata (ita faciei lecanorinæ); sporæ ellipsoideæ, longit. 0,018—23, crassit. 0,009—0,011 millim.

Supra muscos in Finlandia orientali (sterilis) et in Norvegia (fertilis lecta a cel. W. P. Schimper). Etiam in Helvetia (ex hb. Ach.).

Affinis est *P. microphyllæ*, sed major, insignior, muscicola vel terrestris, facile propria species. Gelatina hymenea iodo vinose rubens præcedente cœrulescentia, æque ac in sequente.

6. **P. microphylla** (Sw.) Mass., Nyl. *Prodr.* p. 68; *Lichen microphyllus* Sw. in *V. Ac. H.* 1791, p. 301, Ach. ibid. 1795, t. 5, f. 3; *Lecidea microphylla* Ach. *Syn.* p. 53 (excl. varr. *β* et *δ*), Schær.; *Parmelia microphylla* Fr. *L. E.* p. 90, *L. S. exs.* 158.

Thallus cervinus vel livido-cinerascens e crusta constitutus minute squamulosa, squamulis crenatis arcte imbricatis, infra nigricans; apothecia fusca vel rufescentia sæpius convexiuscula (latit. circa 0,6—0,75 millim.), intus pallida vel albida; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,010—17, crassit. 0,005—8 millim.

Ad latera saxorum humida passim in pineto-montanis sylvaticis totius Scandinaviæ (exceptis forsan regionibus calcareis). Rarius supra muscos minores.

Accedens ad præcedentem, sed thallo minute crebre crenato-microlepideo imbricato, sæpe diffracto, apotheciis convexis minoribus. Var. *picina* (Ach.) formam sistit thallo obscuriore fusco-nigrescente. — Quid sit *Lecidea microphylla* var. *radiata* Whlnb. *Lapp.* p. 478, nescio. Dicitur de ea "crusta ad ambitum radiata foliolosa, scutellis concavis marginatis". Forsan sistat *Pterygium* vel varietatem *Pannariæ nigræ*, quod specimina auctoris decidant.

7. **P. nebulosa** (Hffm. *Fl. Germ.* p. 166 sub Psora) Nyl. *Prodr.* p. 67; *Lecanora brunnea* DC.

Thallus cinereus vel obscure cæsio-cinerascens granulato-crustosus, granulis tenuibus imbricato-congestis crenatis crustam tenuem formantibus; apothecia biatorina rufa vel rufo-fuscescentia minora (latit. 0,5—1 millim.), plana, aut convexiuscula et thallo coronata; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ, longit. 0,015—24, crassit. 0,006—9 millim.

Supra terram in Suecia magis meridionali rara, ut videtur. In Gallia sat frequens.

Thallus laxe cohærens valde friabilis. Apothecia superficialia vel innata biatorina, sæpius (in Suecia quoque) margine tenui pallidiore. Gelatina hymenea iodo e leviter cœrulescente vinose rubens. Variat apotheciis lecanoroideis, margine thallino granuloso-coronatis (huc pertinet *Lecanora coronata* Flk. D. L. 151).

8. **P. triptophylla** (Ach.) Nyl. *Prodr.* p. 67; *Lecidea microphylla* var. *triptophylla* Ach. *Syn.* p. 53; *Parmelia triptophylla* Fr. *L. E.* p. 91 pr. p., *L. S. exs.* 43.

Thallus fusco-cinerascens vel obscure plumbeo-cinereus tenuiter microlepideo-granulosus vel minute conferte coralloideo-squamulosus, crustam tenuem vel parum crassam (demum diffractam) sistens, hypothallo cœrulescenti-nigro vel nigricante; apothecia fusca vel rufo-fuscescentia vel sordide rufa plana vel planiuscula, margine sæpe nonnihil pallidiore, sat parva (latit. circa 0,75—1 millim.), intus hypothecio (saltem pro parte) fusco-nigricante; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,012—19, crassit. 0,006—8 millim.

Ad corticem arborum vetustiorum septentrionem versus usque in Ostrobottnia boreali (Edwin Nylander) rarius obvia; raro ad saxa.

Thallus tenuior squamulas tenues offert in hypothallo adnatas planas. Vetustior crassiusculus microphyllino-granulosus vel corallinoideo-granulosus (crassit. 1—2 millim.), demum crustam diffractam formans. Apothecia interdum convexiuscula. Gelatina hymenea iodo cœrulee intense tincta, qua re æque ac colore hypothecii mox differt a *microphylla* affini, quæ etiam thallo firmiore est nonnihil dissimilis et distinguenda.

9. **P. nigra** (Huds.). — *Lichen niger* Huds., Sm. *E. Bot.* t. 1161; *Lecidea nigra* Ach. *Meth.* p. 76; *Collema nigrum* Ach. *L. U.* p. 628, *Syn.* p. 308, Fr. *L. S. exs.* 419; *Lecidea corallinoides* Flk.; *Lecothecium corallinoides* Krb. *S. L. G.* p. 398.

Thallus obscure cinereo-nigricans vel fusco-niger vel fere niger minute granuloso-crustosus plerumque diffractus sat tenuis (crassit. circa 0,6 millim.), hypothallo cœrulescenti-nigro limitatus; apothecia nigra plana vel convexiuscula (latit. 0,5—1 millim.), intus saltem hymenio pallide albido; sporæ ellipsoideæ 1-septatæ (vel simplices), longit. 0,011—16, crassit. 0,005—7 millim., hypothecium fuscum (vel infra nigrum) aut fusco-pallescens.

Ad saxa calcarea (vel etiam granitica in regionibus calcareis, vel calce inspersis, ut prope Helsingfors). Quoque ad schistos argillaceos.

Vix specie differt a *triptophylla*,, quacum ante (æque ac plurimi alii auctores) eam junxi tamquam varietatem (Nyl. *Prodr.* p. 67); sed satis constans videtur plurimis notis, præsertim sporis non definite simplicibus. Accedere quoque videtur versus *Pterygia*, at apud hæc nullum adest substratum hypothallinum. Variat vero apotheciis intus albidis (hypothecio parum fuscescente), f. *psotina* (Ach. hb.) forte dicenda; sunt ei sporæ rarius 3-septatæ (septis tunc tenuibus). Variat adhuc thallo minus distincte ab hypothallo limitato. Variat simul apotheciis aliquando fuscis (vel obsure fusco-rufescentibus, aliis in eodem specimine nigris), sporis majoribus 3-septatis (long. 0,016—20, crass. 0,006—8 millim.), hypothecio nigricante vel fusco; talis ex. gr. in Dovre obvia, dicaturque, si placet, f. *tri-septata*. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens. — In fig. 2 dantur sporæ 3, auctæ diametris 275, speciminis Helsingforsiensis (ad rupes graniticas).

10. **P. dolichotera** Nyl.

Similis *Pannariæ nigræ*, sed thallo nullo limite hypothallino cincto, sporis cylindraceis 3-septatis (vel simplicibus, guttulis oleosis varie dispositis), longit. 0,027—30, crassit. 0,0045—0,005 millim.

Supra saxa schistosa in Dovre Norvegiæ (Torsell).

Certe si sporæ non examinantur confunditur cum *P. nigra*. Thallus obscure fusco-cinereus vel fusco-niger minute granulosus vel subtiliter granuloso-coralloideus. Apothecia nigra plana (marginata) vel convexiuscula (immarginata), latit. 0,75—1 millim., hypothecio fuscescente. Gelatina hymenea iodo cœrulescens. — In fig. 3 sporæ quattuor dantur auctæ diametris 275.

11. **P. rudeta** (Ach.) Nyl. in *Ann. Sc. nat.* 4, XII, p. 295; *Lecidea rudeta* Ach. *Syn.* p. 338.

Thallus cinereus vel passim cinereo-cæsius granulose crustosus sat crassus (crassit. fere 3 millim. adtingens), superficie scabriusculus et sub lente plerumque quasi nigro-adspersus; apothecia nigra parva (latit. 0,25—0,3 millim.) plana margine quoque demum explanato, intus nigra medio albo; sporæ oblongæ, sæpius tenuiter 1-septatæ, longit. 0,012—16, crassit. 0,005—6 millim., hypothecium nigricans (subhymeniale rufescens).

Supra "terram glareosam montanam in Suecia" ex Achario l. c.

Affinis *Pannariæ nigræ*, sed colore thalli crassioris obscure cæsio-cinereo mox dignota. Granula gonima sæpe 3 moniliformi-juncta. Thallus intus tartareus. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

12. **P. muscorum** (Ach.) Del.; *Lecanora muscorum* Ach. *Syn.* p. 193; *Parmelia muscorum* Fr. *L. E.* p. 95; *Parm. carnosa* (Dicks.) Schær.

Thallus livido-fuscescens vel cervino-fuscescens squamuloso-lobatus, lobis varie divisis vel crenato-incisis, margine sæpissime granuloso-crenatis, imbricatis aut adscendenti-congestis, subtus albicantibus; apothecia fusca vel fusco-rufescentia (margine pallidiore vel rufo-testaceo) plana vel concaviuscula (latit. 1—2 millim.); sporæ oblongæ vel oblongo-fusiformes aut ellipsoideæ simplices (aut raro obsolete 1-septatæ), longit. 0,016—31, crassit. 0,005—8 millim.

Ad saxa granitica inter muscos (*Andreæas, Grimmias, Racomitria,* &c.) in Scandinavia sat frequens.

Omnino *Pannaria*, licet sporologi pro ea novum genus "Massalongiam" confecerunt, ob sporas sæpe nonnihil angustiores quam vulgo apud Pannarias. In *P. dolichotera* multo sunt angustiores, atque ex. gr. in *P. nebulosa* haud raro æque angustæ conspiciuntur ac in *P. muscorum;* differentia igitur nulla. Auctores idem ad Collemaceos rejiciunt *Pannariam nigram*, quæ quidem ægre specie distinguitur a *P. triptophylla* (nisi nota levi et fere instabili sporarum). Talia adhuc titulo ornantur reformationis lichenographiæ! — Forte in Scandinavia obveniat quoque var. *determinata* Nyl. sporis sat determinate 1-septatis (globulis oleosis interdum septa plura simulantibus), lecta supra terram humosam in Hibernia (Jones). Differt hæc præterea thallo minus evoluto microphyllino, apotheciis margine testaceo-luteo. Sporæ variant dilute fuscescentes (in memoriam revocant *Nephromia*). Gelatina hymenea hujus speciei quoque iodo cœrulescens (præsertim thecæ). Thallus interdum subeffusus. Nomen "carnosa" nimis inconveniens videtur, quum nihil adest carnosum, et aliud nomen jam diu huic adscriptum fuit.

III. — **COCCOCARPIA** Pers.

Thallus typice monophyllus. Apothecia constanter biatorina adnata. — Parum ita et vix differt *Coccocarpia* a *Pannaria*.

1. **C. plumbea** (Lightf.). — *Parmelia plumbea* Ach., Fr. *L. E.* p. 87; *Pannaria plumbea* Del.

Thallus livido-cinerascens submonophyllus adnatus ambitu radiato-inciso et radiatim nonnihil plicato-rugoso, margine ambitus crenato, hypothallo obscure pumbeo-cœrulescente (passim pallescente vel albido) tomentoso-filamentoso; apothecia rufa vel testaceo-rufa aut fuscescentia plana (vel convexiuscula) mediocria (latit. 1—2 millim.); sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,014—22, crassit. 0,007—9 millim.

In Suecia occidentali-maritima et in Norvegia ad truncos arborum vigens usque in Nordlandiam (ibi adhuc satis frequenter, ex Wahlenberg). Quoque ad rupes.

Var. *myriocarpa* (Del., Dub., Desm. *Cr. Fr.* éd. 1, 1938, éd. 2, 1588) differt thallo centro granuloso-rugoso vel microphyllino; occurrit adhuc in Nordlandia (ex hb. Ach.), et vix distinguenda a typo. Typus optime evolutus thallo concentrice versus ambitum arcuato-rugulosus sicut in

C. molybdæa exotica, quacum jam in Lusitania confluere videtur nostra *plumbea*.

Subtrib. III. — *AMPHILOMEI.*

Thallus monophyllo-lobatus submembranaceus mollis, superficie pulverulentus; granula gonima vera continens. Apothecia haud rite cognita.

IV. — **AMPHILOMA** (Fr. pr. p.) Nyl.

Unicum genus suæ subtribus, quare definitione data exprimitur; sed ob apothecia non analytice examinata hocce genus non omnino est certum.

1. **A. lanuginosum** (Fr. *L. E.* p. 88, *L. S. exs.* 74) Nyl. *Prodr.* p. 69; *Parmelia lanuginosa* Ach.

Thallus albus vel albo-flavescens lobato-dilatatus (latit. 1—2-pollicaris et ultra), lobis subimbricatis adnatus, hypothallo tomentoso cœrulescenti-nigricante.

Ad latera rupium locis subumbrosis passim; sæpe ibi quoque supra muscos vetustos.

"Apothecia rarissima minuta e thallo elevata, disco obscure fusco, margine inflexo pulverulento subintegro", ex Ach. *L. U.* p. 465. An hujus respiciant illa verba apothecia vera nescio, quum nulla talia vidi. Facile accidere possit, ut sit noster lichen status deperditus typi quem nondum cognitum habemus. In *Amphilomate cineritio* (Parmelia cineritia Ach., Lichene gossypino Sw.) americano apothecia lecanorina nigricantia, sporæ breviter fusiformes 1-septatæ.

Subtrib. IV. — *SQUAMARIEI.*

Thallus radioso-laciniatus vel cartilagineo-squamosus, sæpe ambitu radians. Apothecia typice lecanorina; sporæ incolores simplices ellipsoideæ, paraphyses discretæ gracilescentes, gelatina hymenea iodo cœrulescens. Spermogonia immersa (ostiolis plerumque thallo concoloribus) spermatiis aciculari-cylindricis longissimis arcuatis (vel interdum subrectis).

V. — SQUAMARIA DC.

Unicum est genus hujus subtribus, cur characteribus pro ea datis jam definitur. Conferatur subgenus Parmeliopsis supra p. 105.

1. **Squ. crassa** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 175; *Lecanora crassa* Ach.; *Parmelia crassa* Ach., Fr. *L. E.* p. 101.

Thallus pallido-lividus vel flavido-pallescens (vel hinc inde albicans) squamoso-imbricatus (interdum suborbicularis), squamis compositus imbricatis lobato-crenatis depressiusculis; apothecia testaceo-rufa plana (vel convexiuscula), margine thallino integro demum excluso; sporæ longit. 0,011—14, crassit. 0,005—6 millim.

Supra terram in regionibus calcareis Sueciæ (ut in Gottlandia, Sudermannia, etc.).

Est inter species maximas hujus generis. Nonnihil variabilis in terris calidioribus (sic var. *periculosa* Del. thallum habet totum albo-pruinosum, var. *Dufourei* Fr. squamas magis concrescentes et ambitu effiguratas subadscendentes). Var. *melaloma* (Ach.) differt a typo solum squamis minus crenatis (vel subintegris) et hinc inde margine nigricantibus, parum conspicua.

2. **Squ. gypsacea** (Sm.) Nyl. *Prodr.* p. 69; *Lichen gypsaceus* Sm.; *Parmelia gypsacea* Fr. *L. E.* p. 101; *Lecanora Smithii* Ach.

Similis præcedenti, sed thallo pallido (vel pallide vel sordide livido-lutescente) areolato-squamoso crassiore, squamis margine albo-pulverulentis; apothecia pallido-testacea sat magna (latit. 3—7 millim.).

Supra terram in Œlandia (ex rev. Stenhammar).

Sporæ fere ut in præcedente (long. 0,012—15, crass. 0,006—7 millim.). — Huic affinis (et adhuc magis var. *periculosæ* Del. præcedentis) est *Squ. Lamarckii* (DC.), in Helvetia et Europa meridionali obveniens. *Lecanora Lagascæ* Ach. *L. U.* p. 423 (quoad lichenem Hispanicum a Lagasca missum, ex hb. Ach.) est species insignis e stirpe *Lecanoræ cervinæ*, thallo intus citrino, apotheciis rufo-fusco, thecis polysporis, etc., quæ confusa fuit cum Squamaria Lamarckii.

3. **Squ. lentigera** DC.; *Lecanora lentigera* Ach.; *Parmelia lentigera* Fr. *L. E.* p. 103.

Similis omnino *Squamariæ crassæ*, at minor, thallo albido-pallido vel (plus minus) albo-pruinoso, apotheciis (pallido-testaceis) minoribus (latit. circa 1—2 millim.).

Supra terram in iisdem regionibus ac *Squ. crassa*, sed in Norvegia adhuc procedit usque in Nordlandiam et Finmarkiam (ex Sommerfelt).

Fere nimis affinis est *Squamariæ crassæ* var. *Dufourei*, in quam transire videtur in Gallia meridionali, sed sæpius duplo minor. Apothecia demum subbiatorina. Sporæ oblongæ, longit. circa 0,012, crassit. 0,005 millim.

4. **Squ. chrysoleuca** (Sm.). — *Parmelia chrysoleuca* Ach., Fr. *L. E.* p. 113 pr. p.; *Lichen rubinus* Vill.; *Squamaria rubina* Hffm., DC.

Thallus ochroleucus vel albido-stramineus lobato-squamosus, squamis firmis imbricatis variis et ambitu lobatis planioribus crenatis vel crenato-incisis, subtus sordide pallidus versus ambitum late nigricans, peltato-adfixus; apothecia carneo-rubina (carneo-rubescentia, aut pallidiora aut intensius rubentia) mediocria, sæpe conferta; sporæ longit. 0,009—0,011, crassit. 0,005—6 millim.

Supra saxa in alpibus Scandinaviæ (in Dovre saltem). Deinde in America arctica.

In Scandinavia simplicior, minor adest, et interdum thallo monophyllo (huc *peltata* Fr., Torss., non DC.). Sæpius thallus magis evolutus et pulvinato-complexus adest in alpibus Europæ mitioris (ubi hæc species copiose obvenit), et simul apothecia sæpe intensius tincta. Var. *complicata* (Ach. *L. U.* p. 41) respicit formam in alpibus his frequentem thallo crustose compacto, apotheciis sæpius confertis flexuosis difformibus vel subcomplicatis. Epithecium *Squamariæ chrysoleucæ* interdum invenitur parasita *Phacopsi clemente* Tul. *Mém. Lich.* p. 124 nigro-maculatum. Etiam aliæ parasitæ cum spermogoniis extus nigris in thallo inveniuntur; spermogonia autem ipsa *Squamariæ* hujus (æque ac in congeneribus) incoloria, ostiolis non (vel obsolete) obscuratis, spermatiis gracillimis (long. circa 0,030, crass. 0,0005 millim.). Variant squamæ nostræ Squamariæ margine nigricante (sicut pagina infera plus minus late versus ambitum).

5. **Squ. melanophthalma** (Ram.) DC. *Fl. Fr.* 2, p. 376; *Lecanora chrysoleuca* var. *opaca* Ach. *L. U.* p. 411.

Similis præcedenti, sed apotheciis glauco-nigricantibus vel glauco-olivaceis (fusco-pallidis glauco-pruinosis).

In alpibus Norvegiæ (rar. ex Torssell *Enum.* p. 15).

Thallus plerumque magis adnatus quam in *Squ. chrysoleuca* affini et plerumque (sin semper) socia ejusdem. Perperam huc ducitur *Parmelia liparia* Ach. *Meth.* p. 182 (*Lecanora rubina* var. *liparia* Ach. *L. U.* p. 413), quæ ex typis hb. Ach. pertinet ad *Squamariam crassam* et f. *Dufourei.* Apothecia variant olivaceo-nigra vel rarius fusco-nigra, in alpibus Europæ mitioris, ubi frequentissima est et formis plurimis (etiam effusa) ludens ut *chrysoleuca;* variat ibi quoque squamis adscendentibus. — Ibidem occurrit etiam frequenter *Squamaria peltata* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 377 (*Lecanora rubina* var. *heteromorpha* Ach. *L. U.* p. 412), mox distincta thallo rugoso (vel subrimose conferte insculpto-inæquali), apotheciis pallido-testaceis (vel interdum testaceo-rufis vel testaceo-badiis), juvenilibus urceolatis (sporis long. 0,010—15, crass. 0,007—9 millim.). Ex alpibus Scandinavicis haud visa. Thallus ei sæpe monophyllus crassus; variat autem hæc quoque thallo subeffuso-squamoso. Accedit ita ad *Squamariam disperso-areolatam* (Schær.), quæ thallum plus minus effusum habet squamis areolatis contiguis vel subdispersis ochroleucis (vel interdum albo-suffusis) adnatis rugosis, apotheciis testaceo-pallidis vel carneo-flavidis, sporis oblongis (long. 0,012—18, crass. 0,005—7 millim.); cum præcedentibus in alpibus Helvetiæ et Galliæ, passim frequens. Pyrenaicæ *Squ. albula* et *Squ. phæocarpa* Nyl. ad *disperso-areolatam* accedunt.

6. **Squ. cartilaginea** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 376; *Lecanora cartilaginea* Ach.; *Parmelia cartilaginea* Ach. Fr. *L. E.* p. 112.

Thallus ochroleucus vel albido-stramineus imbricato-laciniatus, laciniis angustis linearibus vel sublinearibus subtus albidis apice dichotome divisis vel lobato-incisis vel crenatis; apothecia carneo-testacea vel fulvo-testacea, margine thallino integro vel crenulato vel crenato cincta; sporæ oblongæ vel oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,011—16, crass. 0,005—6 millim.

Supra saxa in maritimis Finlandiæ meridionalis, Sueciæ mediæ et meridionalis, atque Norvegiæ usque in Nordlandiam (Sommerfelt).

Sommerfelt (in *Suppl. Fl. Lapp.* p. 108) varietatem affert *latifoliam*, qualis rarius occurrit, laciniis minus linearibus latioribus apice crenatis. Thallus hujus speciei plerumque pulvinatus, interdum vero planius (et minus conferte) imbricatus. Apud nos accedit (quod res est sane notanda et adtendenda) ad *saxicolam*, in Pyrenæis autem vergit ad

chrysoleucam (quacum fere etiam sæpe ibi colore convenit apotheciorum).

7. **Squ. saxicola** (Pollich.) Nyl. *Prodr.* p. 70; *Parmelia saxicola* Ach., Fr. *L. E.* p. 110; *Lecanora muralis* Schær.

Thallus ochroleucus (vel pallidus) radiosus adpressus, centro areolato-crustaceus, versus ambitus radians, radiis contiguis planiusculis (vel subplicato-inæqualibus) apice crenatis, mediocris vel major; apothecia pallido-testacea (vel testaceo-rufescentia), margine thallino integro vel crenulato cincta; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,010—16, crassit. 0,006—7 millim.

Supra saxa in Scandinavia vulgaris; tamen in Lapponia minus frequens. Rarius ad ligna vetusta adnascitur; interdum supra vel inter muscos.

Variabilis est ut fere omnes species communes. Variat thallo non adpresso et crustam crassiorem formante; muscicola præsertim magis imbricata evadit, thalli laciniis magis liberis. Variat contra thallo typico fere toto areolato-diffracto (areolis sæpius tenuiter nigro-marginatis contiguis), ambitu minus late radiante: est var. 1) *diffracta* (*Lecanora diffracta* Ach. *L. U.* p. 432, *Syn.* p. 180). Variat dein typus thallo subeffuso et subdisperso. Variat adhuc apotheciis margine thallino magis crenato vel crebre minute flexuoso-crispo. — Var. 2) *versicolor* (*Lichen versicolor* Pers. in Uster. *N. Ann. Bot.*, St. 1, p. 24; *Lecanora versicolor* Ach. *L. U.* p. 426, *Syn.* p. 184; *L. muralis* var. *albo-pulverulenta* Schær.) differt a typo, thallo albo-flavescente plus minus albo-suffuso: ad saxa calcarea, vel alia (in locis ubi solum est calce immixtum), rarius. Interdum observatur radiis angustioribus, aut deplanatis, aut convexioribus, qualis saltem in alpibus Pyrenæorum adest (fere separanda). Variat vero ut typus apotheciis pallidis vel rufo-fuscescentibus. — *Squamaria pruinosa* (Chaub., *Parm. incisa* Fr. *L. E.* p. 103) facile ut propria species distinguenda; at in Scandinavia non obvia, quantum scio. Eidem accedit *Squ. galactina* Ach. (excl. var.), cui admiscuit Ach. *saxicolam* var. *versicolorem*. Dubia stirps hujus forte loci est *Lecanora livida* Ach. (excl. var. alpigena), in Helvetia ad saxa calcarea alpina, investiganda, thallo livido vel albido-pallido squamuloso-diffracto, squamulis adnatis margine sæpius crenulatis contiguis mediocribus (latit. circa 1,5 millim.), squamulis singulis plerumque apothecia plura parva fere immersa concoloria (vel livido-carnea) ferentibus margineque thallino integro parum prominulo cincta (sporis long. 0,010—12, crass. 0,005—7 millim.). — In *Squamaria saxicola* typica sat sæpe observantur (saltem in Fennia) puncta nigra minuta e *Sphæria* parasita (eadem ac in *Squ. chrysoleuca* nascens) in thallo immersa, conceptaculo nigro, sporis fusiformibus inco-

loribus (long. circa 0,023, crass. 0,006 millim.): spermogonia ei quoque nigra spermatiis minutis rectis.

8. **Squ. galactina.** — *Lecanora galactina* Ach. *L. U.* p. 474, *Syn.* p. 170 (excl. var.).

Thallus albidus opacus (superficie subpulverulentis) suborbicularis (latit. fere pollicaris vel sæpe longe minor) adpressus diffractus ambituque effiguratus lobatulo-crenatus; apothecia testaceo-pallida (tenuiter albopruinosa aut nuda) vel testaceo-fuscescentia, versus centrum thalli conferta (latit. circa 1 millim.), margine thallino crenulato et sæpe flexuoso; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,009—0,012, crassit. 0,005—7 millim.

Ad muros calcareos (præsertim cimentum murorum) in Suecia, ex hb. Ach.

9. **Squ. stramineа.** — *Lecanora straminea* (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 432 (excl. var.), *Syn.* p. 180; *Parmelia straminea* Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 47 (et *L. U.* l. c.), Fr. *L. E.* p. 109.

Thallus stramineus radioso-crustaceus, radiis constans turgidulis convexis contiguis, hinc inde nonnihil imbricatis, obsolete rugulosis, centro confusis, ambitu lobatulis vel lobatulo-incisis; apothecia fusco-rufa vel fusco-rubescentia (versus centrum sita) fere mediocria, margine thallino integro vel subintegro; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,012—15, crass. 0,006—8 millim.

Ad saxa in alpibus Norvegiæ et secus Mare Glaciale.

Variat thallus (latit. pollicaris et ultra) pallidus et ambitu leviter fuscescens. *Squamaria concolor* (Ram.), frequens in alpibus summis Pyrenæorum et Delphinatus, comparanda, mox distat apotheciis thallo intense stramineo subconcoloribus vel pallido-flavidis, (et totius Lichenis habitu *Lecanoræ chlorophanæ* f. *oxytonæ* Ach., sed colore valde diverso).

10. **Squ. gelida** (L., Sm. *E. Bot.* t. 699) Nyl. *Prodr.* p. 71; *Lecanora gelida* Ach.; *Parmelia gelida* Fr. *L. E.* p. 104.

Thallus sordide albidus vel dilute pallido-cinerascens crustaceo-adnatus sat planus radiosus (quasi laciniato-radiosus), centro areolato-diffractus (vel inæqualis vel subgranulatus), ce-

teroquin radiose diffractus, ambitu planior crenatus, in centro unicum vel nonnulla cephalodia carneo-cinerascentia vel carneo-fuscescentia depresso-verrucarioidea radiose rimosa; apothecia testaceo-pallida, margine thallino tumidulo integro cincta; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,014—18, crass. 0,006—8 millim.

Ad saxa in alpinis et frigidis Norvegiæ; deinde usque in Smolandia occidentali (Fr. *L. S. exs.* 361).

Auctores de "verruca centrali" thalli loquentes non observarunt eam cephalodium constituere insigne formam thalli quodammodo imitans; granula gonima glomerulose disposita offert glauca vel glauco-cœrulescentia sæpe plura moniliformi-juncta, omnino dissimilia gonidiis veris fere mediocribus strati gonidialis thalli. In speciminibus magis evolutis plura talia cephalodia supra thallum adnata sparsa conspiciuntur.

Subtrib. V. — *PLACODEI.*

Thallus radiosus (vel ambitu radians), vel raro laciniato-radiosus, aut exceptione ambitu vix effiguratus. Apothecia lecanorina vel sæpe demum sub-biatorina; sporæ 8^{næ} incolores ellipsoideæ utroque apice loculum præbentes (sæpius loculis his ambobus tubulo invicem conjunctis), raro simplices, paraphyses discretæ mediocres, gelatina hymenea iodo cœrulescente. Spermogonia ostiolis extus coloratis (in sectione A. plerumque prominulis aurantiaco-flavicantibus, in sectione B. nigricantibus), spermatiis breviuscule cylindricis tenellis arthrosterigmatibus infixis. — Sunt *Placodiei* analogi *Physciis* in tribu præcedente.

VI. — **PLACODIUM** DC., Nyl.

Unicum hujus subtribus genus, quare definitione nulla alia eget, quam jam data. Arcte accedit ad Physcias (præsertim *Placodium elegans* ad certas formas *Physciæ parietinæ)* et aliunde ad Lecanoras sectionis primæ *(Lecanora aurantiacæ* etc.). Sporæ variant simplices vel 1-septatæ (septo sat tenui), hoc vero vix typice obvenit (in speciebus Scandinavicis); at in *Placodio fulgente* sporæ sunt constanter simplices (quantum vidi).

A. — *Species thallo flavo vel fulvo, raro albicante, apotheciis omnium aurantiacis vel croceis.* — Species *1—3.*

1. **Pl. murorum** (Hffm.) DC. *Fl. Fr.* 2, p. 378; *Parmelia murorum* Ach. *Meth.* p. 195, Fr. *L. E.* p. 115; *Lecanora murorum* Ach. *L. U.* p. 433, *Syn.* p. 181, Schær. *Enum.* p. 63 (excl. varr.).

Thallus vitellino-flavus (interdum citrinus) rugosus versus ambitum plicato-radiosus vel quasi radiose diffractus, radiis turgidulis apice crenatis (et sæpe simul inciso-plicatis); apothecia fulva vel aurantiaca (interdum thallo fere concoloria); sporæ longit. 0,010—15, crassit. 0,006—8 millim.

Supra saxa in maritimis frequens; alibi ad muros passim frequens. Corticola e Scandinavia mihi haud visum.

Admodum polymorpha. Vulgo latit. 1—2-pollicaris, apotheciis latit. 1 millim. (vel interdum minoribus) demumque fere biatorinis. Spermatia long. 0,004—5, crass. 0,001 millim. Variat sat sæpe minor vel diminuta (var. *tegularis* Ehrh., Ach. *Syn.* p. 181), ad muros et supra tegulas lateritias tectorum. Locis minus apricis thallus pallidius flavus vel citrinus evadit. Var. *miniatum* (Hffm., Ach.) est typus (vel forma ejus minor) thallo miniato-fulvescente et apotheciis intensius coloratis, supra rupes apricas passim crescens. Var. *obliteratum* (Pers., Ach. *Syn.* p. 182, Smmrf. *Lapp.* p. 104) est *miniatum* macrum thallo subeffuso-areolato, ambitu subeffigurato vel squamis crenato-lobatulis constante, apotheciis plerumque confertis. Sporæ in eodem sæpe minores (in specimine suecico hb. Ach. long. 0,010—12, crass. 0,0045—0,0055 millim.). Variat hæc varietas thallo coloris typici (vitellini) vel interdum citrini et est tum *Lecanora lobatula* Smmrf. *Lapp.* p. 87 (Fr. *L. E.* p. 115), excl. syn. Flk. — Accedit var. *steropeum* (Ach. sub *Lecan. vitellina)*, quasi intermedium inter *obliteratum* et *citrinum;* ad calcem in Suecia.

* Pl. citrinum (Ach.) Flot., Nyl. *Prodr.* p. 74, thallo flavo tenuiter granuloso vel leprose dissoluto flavo effuso, vix nisi status leprosus et plerumque sterilis *Placodii murorum* licet sit faciei recedentis; ad basem murorum etiam in Suecia (ad lapides, tegulas lateritias et cimentum); in Norvegia usque in Nordlandia (Smmrf. *Lapp.* p. 88) ad saxa („et ligna"). In Gallia vulgaris (est *Lecanora incrustans* Ach. *Syn.* p. 174, ex. specim. hb. Ach.).

2. **Pl. elegans** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 379; *Lecanora elegans* Ach.; *Parmelia elegans* Ach., Fr. *L. E.* p. 114; *P. diversicolor* Ach. *Syn.* p. 210.

Simile varietati *miniato* præcedentis, sed thallo aurantiaco vel fulvo-miniato radiis magis discretis; sporæ longit. 0,011—16, crassit. 0,006—9 millim.

Supra saxa granitosa in regionibus frigidis. In alpibus et ad Mare Glaciale frequenter (Wahlenberg). Alibi passim rarum (in Walamo ad littus frequens).

Var. *tenue* (Whlnb., Ach. *Syn.* p. 183) parum differt, minus vel minutum, radiis discretis gracilibus. Sæpe *Pl. elegans* ita accedit ad *Pl. murorum*, ut ægre distinguantur; credere igitur fas sit, ut specie haud revera separanda sint. Sed *Pl. cirrochroum* (Ach. *Syn.* p. 181) Hepp *Flecht.* 398, in Helvetia ad rupes et corticem pini obveniens, distincta videtur species a *Pl. murorum*, thallo intus citrino vel superficie hinc inde citrino-sorediosa. In *Placodio elegante* spermatia long. 0,003—4, crass. 0,001 millim. Variant apothecia ejus margine thallino crenulato (præsertim in Walamo). De "Lecanora callopisma" sua Sommerfelt (*Lapp.* p. 104) dicens "media inter *L. murorum* et *elegantem*", prodit se verum *Pl. callopismum* (Ach.) non cognitum habere, quod in Europa mitiore ad calcem frequens adest thalloque applanato continuo, ambitu radiato-plicato effigurato, dignoscitur a *Pl. murorum*.

3. **Pl. fulgens** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 378; *Lecanora fulgens* Ach.; *Parmelia fulgens* Ach., Fr. *L. E.* p. 119.

Thallus albido-flavescens vel albo-citrinus opacus submonophyllus, versus ambitum laciniato-divisus adnatus, laciniis crenatis vel crenato-lobatulis, mediocris (latit. 1-pollicaris vel ultra); apothecia aurantiaca vel aurantiaco-rubentia, demum sub-biatorina; sporæ ellipsoideæ simplices, long. 0,009—0,012, crass. 0,005—6 millim.

Supra terram calcaream vel supra muscos in Gottlandia et Œlandia.

Thallus sæpe quasi leviter albo-pruinosus, humectatus tum citrinus evadit. Variat minor (saltem in Europa media).

* **Pl. bracteatum** (Hffm.; *Lecanora fulgens* var. *bracteata* Ach.) differt thallo granuloso, granulato-areolato vel granuloso-lobatulo subincrustante, ambitu vix effigurato; apothecia crocea vel croceo-rubra; sporæ longit. 0,008—0,012, crassit. 0,005—6 millim. — Supra terram et muscos in alpinis Nordlandiæ (Wahlenberg) et Dovrensibus; deinde in Suecia (ex hb. Ach.) et in insula Jurmo tæniarum Aboënsium (Edwin Nylan-

der). Spermatia long. circa 0,003, crass. 0,001 millim. Non differt a *bracteato* Lichen citrinus Schrad. Kr. S. 152.

B. — *Species thallo cinerascente (obscuro aut albido), apotheciis nigricantibus.* — Species 4—5.

4. **Pl. chalybæum** (Duf.) Næg. in Hepp *Flecht.* 204; *Parmelia chalybæa* Fr. *L. E.* p. 125; *Lecanora chalybæa* Schær.

Thallus plumbeo-albicans vel cinereo-albescens lævigatus diffracto-areolatus, ambitu radioso-diffractus et effiguratus (nonnihil lobatus vel lobato-crenatus); apothecia nigra innata (vel immersa) plana (sæpe in integris leviter cæsio-pruinosa), latit. 1 millim. vel minora, margine thallino integro depresso cincta; sporæ longit. 0,011—15, crassit. 0,006—8 millim.

Supra saxa calcarea in Gottlandia (Lönnroth, Stenhammar).

Thallus latitudinis 1-pollicaris vel ultra, faciei fere *Lecanoræ cinereæ* vel *calcareæ*, sed sæpius ambitu effiguratus, et sporæ utroque apice loculum offerentes (ambos sæpe tubulo in axi sporæ junctos) atque spermogoniis Placodiorum. Thallus ambitu summo leviter sæpius nigrescens; variat thallus aut obscurior aut contra albicans (calce perfusus).

5. **Pl. variabile** (Pers.); *Lecanora variabilis* Ach. *L. U.* p. 369, *Syn.* p. 165; *Parmelia circinata* var. *variabilis* Fr. *L. E.* p. 124.

Simile præcedenti, sed thallo lurido-cinereo tenuiore areolato hypothallo tenui nigricante (excedente) instrato; apothecia nigra magis prominula, margine thallino tenui (sæpius albo-suffuso) cincta; sporæ ut in præcedente vel paullo majores, longit. 0,013—16, crassit. 0,007—0,010 millim.

Supra saxa in Gottlandia, Œlandia et ad calcifodinas alibi in Suecia (Stenhammar).

Forte nonnisi varietas præcedentis. Variat depauperatum, thallo fere evanescente, et est tunc *Lecidea percœna* Ach. *Syn.* p. 29 (ex specimine archetypo helvetico hb. Ach.), sed tale (var. *percœnum* dicendum) e Scandinavia a me haud visum. — *Urceolaria ocellata* var. *ocellulata* Ach. *L. U.* p. 332 (*Lecanora alpestris* ibid. p. 679, *Syn.* p. 152) videtur alia esse varietas *Placodii variabilis* hypothallo non visibili, thallo sordide cinereo vel griseo sat tenui areolato-rimoso; quoque hæc ex Helvetia (commiscuit cum ea postea Acharius in hb. suo "Lecanoram Agardhianam" Ach., quæ thallo alio aut nullo distincto et sporis simplicibus

mox distat atque sub *Lecanoræ subfuscæ* varietatibus subsumenda sit); apothecia (latit. 0,5—0,8 millim.) nigricantia vel fusca. Var. *ocellulatum* dicendum; facie *Lecanoræ cinereæ* obscurioris vel fere *sophodis*. — Var. *ecrustaceum* Nyl. (*Placodium Agardhianum* Hepp *Flecht*. 407; *Biatora albopruinosa* Arn. in *Flora* 1859, p. 152, Exs. 50) est *variabile* absque thallo ullo distincto; saltem satius huc referendum sit quam ad speciem præcedentem, et adhuc satius quam ut sicut propria species concipiatur.

Subtrib. VI. — *EULECANOREI.*

Thallus crustaceus granulosus (raro radiatus), lævigatus aut leprosus. Apothecia lecanorina (exceptione biatorina), paraphysibus discretis, sporæ simplices (raro septatæ), incolores vel paucis fuscæ. Spermogonia aut (in sectione *A.* generis Lecanoræ) sicut in Placodiis (arthrosterigmatibus instructa), aut ut in Squamariis (spermatiis longissimis filiformi-acicularibus arcuatis), aut deinde bacillaribus rectis sterigmatibusque simplicibus, aut denique brevioribus ellipsoideo-oblongis.

VII. — **LECANORA** (Ach.) Nyl.

Definitione data agnoscitur. Genera cetera hujus subtribus parum invicem differunt, quare definitiones eorum propriæ sunt consulendæ ne misceantur cum Lecanoris quibus hoc nomen speciatim retinetur. Thecæ aut 8-sporæ aut polysporæ. In Scandinavia adest modo alterum genus Eulecanoreorum *Urceolaria*, differens apotheciis suburceolatis, sporis fuscis 3—5-septatis et gelatina hymenea iodo haud cœrulee tincta.

Conspectus sectionum et specierum.

A. — Stirps *Lecanoræ cerinæ*. — *Species* 1—9.

1. L. crenulata. — 2. L. vitellina. — 3. L. phlogina. — 4. L. aurantiaca. — 5. L. ferruginea. — 6. L. cerina. — 7. L. fulvo-lutea. — 8. L. leucoræa. — 9. L. calva.

B. — Stirps *Lecanoræ sophodis*. — *Species* 10—16.

10. L. oreina. — 11. L. nimbosa. — 12. L. sophodes Ach. — 13. L. milvina. — 14. L. turfacea. — 15. L. badiella. — 16. L. pyreniospora.

C. — Stirps *Lecanoræ alphoplacæ.* — *Species* 17—18.

17. L. alphoplaca. — 18. L. circinata.

D. — Stirps *Lecanoræ cinereæ.* — *Species* 19—22.

19. L. cinerea. — 20. L. pelobotrya. — 21. L. verrucosa. — 22. L. oculata.

E. — Stirps *Lecanoræ tartareæ.* — *Species* 23—24.

23. L. parella. — 24. L. tartarea.

F. — Stirps *Lecanoræ subfuscæ.* — *Species* 25—44.

†. — 25. L. aipospila. — 26. L. poliophæa. — 27. L. helicopis. — 28. L. glaucoma. — 29. L. subfusca. — 30. L. varia. — 31. L. argopholis. — 32. L. frustulosa. — 33. L. atrosulphurea. — 34. L. epanora. — 35. L. erysibe. — 36. L. pupillaris. — 37. L. crenulata. — 38. L. athroocarpa. — 39. L. rhypariza.

††. — 40. L. nephæa. — 41. L. badia. — 42. L. atriseda. — 43. L. atra.

†††. — 44. L. granatina.

G. — Stirps *Lecanoræ rubræ.* — *Species* 45.

45. L. rubra.

H. — Stirps *Lecanoræ ventosæ.* — *Species* 46—48.

46. L. hæmatomma. — 47. L. elatina. — 48. L. ventosa.

I. — Stirps *Lecanoræ cervinæ.* — *Species* 49—52.

49. L. chlorophana. — 50. L. molybdina. — 51. L. badio-fusca. — 52. L. cervina.

A. — *Stirps* Lecanoræ cerinæ, *accedens ad Placodium. Apothecia interdum biatorina, sporis ellipsoideis incoloribus, aut loculo in utroque apice aut simplices. Spermogonia arthrosterigmatibus munita.* — Species *1—9.*

1. **L. crenulata.** — *Lichen murorum* var. *crenulatus* Whlnb. *Lapp.* p. 416; *Lecanora murorum* var. *crenulata* Ach. *Syn.* p. 181.

"Lobis angustissimis granulatis flavis, scutellis planis margine elevato crenulato" (Wahlenberg).

Supra petras ad Mare Glaciale in Nordlandia et Finmarkia "adeo juxta aquam, ut sub procellis semper irrigantur, fere ubique" (Wahlenberg).

Sine dubio species propria ob marginem apotheciorum crenulatum discedens a Placodiis. Affinis forte sequenti; sed thallo tenui typi radiati (radiis gracillimis) ab eadem distat et sub *Placodio murorum* tamquam varietas subsumta fuit a Wahlenberg. Lichenem hunc nondum vidi.

2. **L. vitellina** Ach. *L. U.* p. 403, *Syn.* p. 174; *Parmelia vitellina* Ach., Fr. *L. E.* p. 162.

Thallus vitellinus granulosus effusus opacus, granulis typice confertis parvis crenatis vel sublobatulis vel verrucuso-glomeratis crustam sat tenuem parum continuam vel subdiffractam formans; apothecia concoloria vel subconcoloria (obscuriora et flavo-suffusa) plana (plerumque conferta), margine thallino integro vel sæpius crenulato; sporæ (8) 12—32 (rarius adhuc plures) in thecis, simplices (vel obsolete 1-septatæ vel adhuc rarius loculo in utroque apice), longit. 0,008—15, crassit. 0,004—6 millim.

Ad ligna vetusta et saxa in Scandinavia vulgaris.

Parum varians, nisi thallo plus minus depauperato. Apotheciis margine thallino crenulato vel crenato est var. *corruscans* Ach., lignicola et saxicola, sed confluit omnino in iisdem speciminibus cum forma margine hoc fere integro. Variant quoque apothecia frequenter angulosodifformia (e pressione mutua); variant simul flavido-olivacea vel obscuriora (minus flavo-suffusa) et est tunc var. *arcuata* (Hffm.) Ach. confluens cum *corruscante*, quæ forma typica habenda sit. Variat deinde thallo disperso macro vel fere evanescente, saxicola; est var. *aurella* Ach. Verisimiliter dein est *Lecidea epixantha* Ach. *L. U.* p. 208, quæ (sat raro in Scandinavia) supra terram vel muscos crescit (licet sub eodem nomine in herbariis quoque occurrit *Placod. citrinum* (terrestre), thallo flavo vel flavo-cinerascente. Variat tandem *vitellina* thallo subareolato-granuloso (var. *areolata* Schær.). Thallo subleproso, minutissime granuloso (*xanthostigma* Ach. sub *Lecan. citrina*), ad cortices in Suecia occurrit (ex Ach. *L. U.* p. 403).

3. **L. phlogina** (Ach.) Nyl. *L. P.* 121, *Prodr.* p. 78; *Parmelia citrina* var. *phlogina* Ach. *Meth.* p. 180; *Lecanora citrina* var. *xanthostigma* Ach. pr. p.; *Parmelia parietina* var. *citrinella* Fr. *L. E.* p. 73 pr. p.; *Placodium citrinellum* Hepp *Flecht.* 395.

Thallus citrinus (vel interdum flavo-virescens) tenuissimus subtiliter granulosus effusus, granulis sæpe subdispersis globulosis, leprosus; apothecia flavo-aurantiaca biatorina (latit. circa 0,5 millim.), demum convexiuscula; sporæ (8^{nae}, apice utroque loculum offerentes tubulumque in axi loculos eos singulos jungentem) longit. 0,011—15, crassit. 0,006—9 millim.

Ad corticem arborum in Suecia magis meridionali.

Lichen apud auctores commixtus. *Lichen xanthostigma* Pers. huc ductus est *L. vitellina* corticola (ad quercus præsertim in Gallia sat frequenter obvia). Sic *Lecanora citrina* var. *xanthostigma* Ach. pro maxima parte pertinet ad *vitellinam*, pro minima ad *phloginam* nostram. Recentiores eam cum *Placodio citrino* conjunxerunt, at ni fallor non omnino fauste. *Lecidea epixantha* var. *lutea* Ach. *L. U.* p. 209 est *phlogina* terrestris (supra detritus vegetabiles crescens) "in sylvis propre radices arborum in Suecia", thallo tenui pulvereo-leproso albido-citrino vel pallido-luteo, apotheciis pallide aurantiacis, sporis long. 0,011—12, crass. 0,006—7 millim.

4. **L. aurantiaca** (Lightf.) Nyl. *Prodr.* p. 67; *Lecidea aurantiaca* Ach., Schær.; *Parmelia aurantiaca* Fr. *L. E.* p. 165; *Lecanora salicina* Ach.

Thallus flavescens vel fere citrinus granulatus, rugosus, vel minus inæqualis, in integris hypothallo obscure cinereo-limitatus; apothecia aurantiaca plerumque biatorina (margine scilicet thallino obtuso cito excluso); sporæ (ut in *cerina)* longit. 0,012—0,018, crassit. 0,007—0,010 millim.

Ad cortices, præsertim populi (sed etiam fraxini, salicis, etc.) in Scandinavia sat frequens.

Thallus sæpe rimosus vel rimose diffractus, interdum nigricanti-limitatus, raro albicans. Var. *microthelia* Ach. respicit specimina incompleta spermogoniophora. Spermatia long. 0,003—4, crass. haud 0,001 millim. — Var. 1) *erythrella* (Ach.) Nyl. l. c., thallo flavido tenui areolato-diffracto vel rugoso et rimoso, apotheciis biatorinis (raro lecanorinis) croceis vel fulvo-aurantiacis; saxicola, rarius obvia, sed adhuc "in rupibus calcareis et schistosis passim in inferalpinis circa sinum Saltensem Nordlandiæ" (Smmrf. *Lapp.* p. 86). Insignis in Gottlandia (rev. Stenhammar). Occurrit etiam apotheciis lecanorinis. Quoque in montibus Scandinaviæ thallus variat pallidior vel albicans (f. *inalpina* Ach. *L. U.* p. 388, *Syn.* p. 178). Variat hæc varietas forma thallo pallidiore (interdum albido) et simul apotheciis croceo-rubricosis convexis (var. *rubescens* Ach. *L. U.* p. 402), in Scandinavia raro obvia (e Dovre et Walamo eam habeo); confluit cum *erythrella.* — Status *erythrellæ* thallo deliquescente (ex hypothallo verisimiliter) cinerascente vel subcæsio, apotheciis (solitis typi *aurantiacæ)* biatorinis, marginis thallini flavi vestigiis cinctis (quasi margine hoc tenui crenulato), ad saxa calcarea prope Salam Sueciæ crescens, est forte *Lichen cæsio-rufus* Whlnb. *Fl. Suec.* p. 801 (ex loco vel saltem exclus. var.), non vero identicus est cum *Lecidea cæsio-rufa* Ach. — Typus *aurantiacæ* occurrit rarius in Scandi-

navia adhuc forma *lignicola*, interdum thallo depauperato et tunc apotheciis confertis faciei *holocarpæ* (Ach.), sed thallo distincte flavo; sporæ long. 0,011—15, crass. 0,005—7 millim. Raro typus ecrustaceus.

5. **L. ferruginea** (Huds.) Nyl. *Prodr.* p. 76; *Lecidea ferruginea* Smmrf. *Lapp.* p. 168; *Parmelia ferruginea* Fr. *L. E.* p. 170; *L. cinereo-fusca* Ach.

Thallus cinerascens granuloso-inæqualis (in integris ab hypothallo obscure limitatus) tenuis vel sublævigatus et interdum fere evanescens; apothecia læte ferruginea vel ferrugineo-rubricosa plana biatorina (latit. 1 millim. vel paullo minora), margine proprio (sæpe flexuoso) distincto; sporæ (solitæ hujus sectionis) longit. 0,011—16, crassit. 0,006—9 millim.

Ad corticem arborum variarum saltem in Sueciam mediam septentrionem versus procedit, et in Norvegia usque in Nordlandiam (ex Sommerfelt l. c.) Saxicola passim (sed minus typica). Raro muscicola (in Dovre lecta a cel. Schimper).

Variat thallo albo-cinerascente vel sordide albicante. Saxicola typus est frequentior et latius distributus, sed plerumque thallo minus evoluto aut sæpe nullo (hæc saxicola var. *festiva* dicta fuit apud Ach. et auctores, nec differt *L. Turneriana* Ach., nec *Patellaria lamprocheila* Ach.); adest adhuc in Lapponia ad Mare Glaciale, variatque thallo albo subgranuloso. Raro apotheciis absque margine conspicuo et sporis simplicibus, ex. gr. in Satakunta (A. J. Malmgren). — Var. 1) *fusco-atra* (Bayrh., Zw. *Exs.* 96) saxicola, thallo cinereo-nigricante areolato-granuloso vel rimoso-areolato tenui, apotheciis (sæpe obscure) ochraceo-ferrugineis aut ferrugineo-fuscis, margine thallino distincto cinctis (facie *Lecanoræ cinereæ* f. *obscuratæ*, sed colore apotheciorum omnino diverso); in petris ventis marinis maxime expositis in Hogland et Hangöudd (Edwin Nylander). Thallo firmiore parum differt a typo Bayrhofferiano. In Suecia quoque adest ex hb. Ach. (ubi nomen habet "Lecidea cæsio-rufa var. marginalis"). Proxima f. *obscuratæ Lecanoræ cerinæ*, colore autem apotheciorum magis ferrugineo. Intermediam quasi, saxicolam, inter f. *festivam* et var. *fusco-atram* in Norvegia legit cel. Schimper, thallo (obscure) cinerascente granuloso-areolato, apotheciis ferrugineo-fuscis vel fusco-nigris lecanorinis vel demum biatorinis (dicatur f. *concilians* Nyl., si placet). Occurrit quoque in terris calidioribus *ferruginea* (sat typica) apotheciis fuscescentibus (est var. *polypæna* Ach. mscr.). Var. *nigricans* Tuck., affinis, apotheciis fusco-nigris vel nigricantibus, vulgaris ad cortices in Nova Anglia. — At quoque in Scandinavia adhuc memoranda sit varietas 2) *ammiospila* (*Lichen ammiospilus*

Whlnb. *Lapp.* p. 407; *Lecidea cinereo-fusca* var. *ammiospila* Ach. *L. U.* p. 203; *L. ammiospila* Ach *Syn.* p. 44), quæ est *ferruginea* lignicola thallo sordide albido tenui ruguloso, apotheciis rufis confertis; ad asseres ligneos in Finmarkia (Wahlenberg). Analoga omnino est hæc *ammiospila* f. *lignicolæ* præcedentis et parum notabilis, vix a typo *ferrugineæ* nomine separanda. — Observetur adhuc f. *festivam* aliquando occurrere apotheciis margine conferte crenulatis; talis est *Lichen crenularius* With. anglicus qui omnino ceteroquin est *festiva*, apotheciis ferrugineo-rufis, sporis paullo majoribus (long. 0,014—20, crass. 0,008—0,010 millim.). Nomen "cæsio-rufa" Ach., utpote quoque *Plac. teicholytum* DC. var. respiciens, ægre pro *festiva* denuo adhibendum sit.

6. **L. cerina** (Ehrh.) Ach. *L. U.* p. 390, *Syn.* p. 173; *Parmelia cerina* Ach., Fr. *L. E.* p. 168.

Thallus cinereus inæqualis tenuis, vel sublævis aut granulato-inæqualis, in integris sæpe linea hypothalli cœrulescenti-obscura vel nigricante limitatus; apothecia cerino-flava (sat elevata) fere mediocria (latit. circa 1 millim.) lecanorina, margine thallino distincto integro tenui cincta; sporæ long. 0,012—18, crass. 0,006—9 millim.

Ad corticem arborum, præsertim populi, in Scandinavia frequens.

Variat thallo fere evanescente, sed margo thallinus apotheciorum persistit. Hæc variant pallidiora vel diluta. Sporæ variant interdum brevius vel crassius ellipsoideæ et usque crassitiem 0,011 millim. attingentes. Variat hypothallo magis dominante, inde thallo (tenui) cinereo-cœrulescente; est var. *cyanolepra* (DC.), sat frequens in Scandinavia, usque in boreali, ad cortices, raro ad saxa. Hæc thallo granulato, magis evoluto, cinereo vel obscure cinereo est f. *obscurata* Nyl. in Mus. Fenn. Accedit ad var. *fusco-atram* præcedentis. Var. *gilva* Ach. *L. U.* p. 391, "ad asseres vetustos Germaniæ", thallo sordide cinereo depauperato vel evanescente, apotheciis sordide cerino-flavis confertis planis (latit. circa 1 millim.), demum nonnihil difformibus (pressione mutua), margine thallino demum subexcluso vel excluso (inde apothecia vetusta faciei biatorinæ). Hæc varietas peculiaris e Scandinavia mihi haud visa. Sporæ in ea sicut in typo. Occurrit autem etiam forma peculiaris typi lignicola (saltem in Helvetia) thallo tenuissimo albo (vel macula alba indicato), apotheciis læte flavis margine thallino tenui albo cinctis (dicatur *albiseda*, si placet). — Var. *stillicidiorum* (Œd. *Fl D.* t. 1063, f. 2) Ach. est *cerina* muscicola (vel raro terrestris), thallo cinerascente vel albicante granuloso, apotheciis coloris flavo-cerini vel sordidi vel cerino-fuscescentis; passim parce obvia in Scandinavia. Rarius

observatur apotheciis olivaceo-fuscis (cerino-suffusis) vel nigrescentibus (nudis). Saltem in Helvetia obvenit forma similis *gilvæ* Ach. (vel formæ ejus *albisedæ*). Terrestris, qualis in hb. Ach. e Suecia adest (sub "cerina var. gilva", cf. *Syn.* p. 273), thallo pallide albido tenuiter crustaceo-continuo (incrustante). Forma hæc, æque ac *gilva*, transit in *luteo-albam*.

* **L. pyracea** (Ach.) *L. U.* p. 207, *Syn.* p. 49, sub *Lecidea luteoalba; Parm. cerina* varr. *gilva* et *pyracea* (Ach.) Fr. *L. E.* p. 168; *Lecidea aurantiaca* (Hffm.) Flk. D. L. 185, Smmrf. *Lapp.* p. 169. — Thallus obsoletus vel tenuissimus albidus vel evanescens; apothecia flavo-aurantiaca minora (latit. circa 0,5 millim. vel sæpe minora) biatorina plana marginata vel demum convexiuscula; sporæ longit. 0,011—16, crassit. 0,005—8 millim., interdum simpliciter uni-septatæ (septo mediocri vel sat tenui), alioquin formæ solitæ in *cerina* (scilicet solidæ et utroque apice loculum continentes, plerumque loculis his binis inter se tubulo angusto junctis). — Ad cortices, præsertim populi, in Scandinavia vulgaris.

Variat apotheciis paullo majoribus (latit. 0,6 usque 1 millim.) et junioribus lecanorinis, ita transiens in *gilvam* Ach. Variat thallus subeffusus. Nostra scandinavica est *Verrucaria aurantiaca* Hffm. vel *Lecidea luteo-alba* var. *pyracea* Ach. (bene in *Meth.* p. 176 dicta *Parm. cerina* var. *pyracea*). At *luteo-alba* Turn. (ex speciminibus ipsius) est eadem ac *Pat. ulmicola* DC. (*Lichen lateritius* Pers.; *Gyalecta Persooniana* Ach. *Syn.* p. 10), parum differens, thallo vix ullo effuso (albido), apotheciis sæpius convexiusculis, sporis vulgo paullo minoribus, in Gallia Angliaque ad cortices inæquales (ut ulmi, salicis) frequenter obvia; in hac sporæ sæpissime septo tenui (in *pyracea* contra sæpissime septo crasso divisæ vel loculum solum utroque apice exhibentes). Occurrit etiam hæc f. *luteo-alba*, in Europa mitiore saltem, calcicola (*rupestris* Scop., Ach. pr. p.), omnino similis corticolæ. Sed adest quoque *pyracea* calcicola saltem in Gallia (quoque inde in hb. Ach., missa a Persoon, et est *L. rupestris* var. *pyrithroma* Ach. *L. U.* p. 206, quoad specimen gallicum ibi citatum).

* L. HOLOCARPA (Ehrh.). — *Lecidea luteo-alba* var. *holocarpa* Ach. *L. U.* p. 207, *Syn.* p. 49; *Lecidea aurantiaca* var. *holocarpa* Flk. D. L. 186, Sommrf. *Lapp.* p. 170; *Parm. vitellina* var. *holocarpa* Ach. *Meth.* p. 177, Fr. *L. E.* p. 162. — Est *pyracea* lignicola ecrustacea apotheciis confertis contiguis (inde pressione sæpe nonnihil angulosis) vitellinis vel flavo-aurantiacis; sporis ut in eadem (long. 0,010—14, crass. 0.006—0,010 millim.), raro simpliciter 1-septatis (in iisdem apotheciis ac sporæ so-

litæ, æque ac ambæ interdum conspiciuntur in *pyracea*). — Ad ligna fabrefacta vetusta in Scandinavia passim, usque in Lapponiam. Inter hanc et *pyraceam* intermedia est forma data in Hepp *Flecht*. 373.

7. **L. fulvo-lutea** Nyl. in Mus. Paris.; *Lecidea fusco-lutea* Ach. et auctt. pro max. p. (non vero *L. fusco-luteus* Dicks.).

Thallus albidus tenuis granulosus vel subgranulosus vel saltem inæqualis; apothecia aurantiaca vel ochraceo-aurantiaca opaca biatorina (latit. circa 0,75—1,5 millim.) plana marginata, margine distincto integro (vel rarius obsolete crenulato); sporæ solitæ in hac sectione (sed variant in iisdem apotheciis haud raro simpliciter 1-septatæ), longit. 0,014—21, crassit. 0,007—0,011 millim., paraphyses gracilescentes.

Supra muscos terrestres in regionibus frigidis Scandinaviæ passim vel rarius. Adhuc prope Upsaliam eam legi.

Lichen est affinis *cerinæ* f. *gilvæ*, et ab eadem vix rite separandus. Apothecia plerumque conferta, interdum convexiuscula (cui formæ convenit *L. fusco-lutea* var. *Jungermanniæ* Smmrf. *Lapp.* p. 166, sed an huc primitus pertineat "Lichen Jungermanniæ" *Fl. D.* t. 1063, f. 1, vel *Lecidea Jungermanniæ* Ach. danica, valde dubium est). Variant deinde apothecia margine flexuoso vel sublobatulo-crenata conferta (demum convexiuscula) et margine thallino (albido) in junioribus basi vel strato thallino tenui extus sæpe induta; talis ex. gr. in Kiiminki in Finlandia boreali (Edwin Nylander). *L. fusco-luteam* Smmrf. l. c. huc referrem, sed obstat nota: apothecia ampla "strato proligero intus fusco". An typicum characterem exprimat auctor his verbis? — In Dovre (Schimper) occurrit f. *jungens* Nyl., apotheciis planis vel leviter convexiusculis sordide ochraceis (ochracee subpruinosis), margine tenui nigricante proprio (tritis ipso disco obscuro vel nigricante), thallo tenui cinerascente. Sporæ ejus long. 0,016—21, crass. 0,008—9 millim. (Fig. 4).

8. **L. leucoræa** (Ach.); *Lecidea fusco-lutea* var. *leucoræa* Ach. *L. U.* p. 198, *Syn.* p. 42, Smmrf. *Lapp.* p. 167; *Patellaria sinapisperma* DC.

Similis præcedenti, sed apotheciis obscurioribus (sæpius minoribus, vulgo latit. 0,5—0,75 millim.), obscure ferrugineis vel fusco-ferrugineis, convexis immarginatis; sporæ (solitæ hujus sectionis) longit. 0,012—18, crassit. 0,008—0,013 millim.

Supra muscos cum præcedente et supra lapides muscosos in regionibus frigidis. In inferalpinis et subalpinis Nordlandiæ fre-

quentissime, secundum Sommerfelt. Adhuc in Finlandia boreali (Edwin Nylander), et in Suecia usque in media et in Gottlandia.

Differt a *fulvo-lutea* fere ut *calva* a *pyracea* rupestri, quoad faciem externam. Apotheciis margine proprio destitutis convexis dignoscitur a *L. ferruginea* muscicola (apotheciisque typice obscurioribus). Forte species autonoma. Accedit tamen arcte ad *fulvo-luteam* et nonnihil ad *ferrugineam*.

9. **L. calva** (Dicks.); *Lecidea rupestris* var. *calva* Ach. *Meth.* p. 70; *Parmelia cerina* var. *calva* Fr. *L. E.* p. 167 pr. p.; *Biatora rupestris* Krb. *S. L. G.* p. 207.

Thallus albidus tenuissimus vel vix ullus; apothecia vitellino-aurantiaca vel rufescentia convexa, parva vel fere mediocria, biatorina, margine proprio nullo; sporæ ellipsoideæ vel ovoideæ simplices, longit. 0,009—0,014, crassit. 0,005—8 millim., paraphyses crassæ.

Supra saxa calcarea aprica in regionibus calcareis Scandinaviæ; adhuc in Lapponia Kemensi (Edwin Nylander).

Nonnihil recedens, apotheciis omnino biatorinis et sporis simplicibus. Gelatina hymenea iodo cœrulescens (præsertim thecæ), dein sordide tincta. Forsan nomen "calva" non bene huic speciei adtribuatur, nam *calva* nostra nonnisi statum calcareum ecrustaceum lichenis typici sistit. Longe magis evolutus, quoad thallum, status ejusdem est *Lecidea rupestris* var. *irrubata* Ach. *L. U.* p. 206, thallo (sat tenui) sordido vel cinerascente determinato rimoso vel rimoso-areolato, apotheciis (latit. circa 0,5 millim.) planiusculis vel convexis, sporis long. 0,009—0,011, crass. 0,005—6 millim., paraphysibus parcioribus; supra schistos calcareos in Helvetia. In eadem *(irrubata)* spermogonia innata, extus puncto parum obscuro indicata facile inveniuntur; arthrosterigmata habent crass. circa 0,004 millim., spermatia cylindrica long. circa 0,005—6, crass. 0,001 millim. Ob naturam spermogoniorum hic locum suum naturalem occupet (æque ac *Placodium fulgens* inter Placodia), etiamsi sporæ sint simplices et apothecia in formis cognitis mere biatorina.

B. — *Stirps* Lecanoræ sophodis. *Thecæ 8-sporæ, sporæ ellipsoideæ fuscæ 1-septatæ, in unica specie* (16) *4-loculares. Spermatia cylindrica recta mediocria vel satis brevia, sterigmatibus simpliciusculis infixa.* — Species *10—16.*

a. — *Thallus flavescens vel flavus.* — Species *10.*

10. **L. oreina** Ach. *Syn.* p. 181; *Parmelia oreina* Fr. *L. E.* p. 113.

Thallus stramineus sat tenuis planus areolatus, ambitu radiosus (lobato-radiosus), hypothallo nigricante; apothecia nigra plana (interdum fere lecideina); sporæ long. 0,009—0,012, crass. 0,005—8 millim.

Supra saxa in alpibus Norvegiæ et supra scopulos marinos saltem in Sinu Fennico. Etiam in America arctica.

Est mediocris, thallo circa latitudinis pollicaris. Bene evolutus thallus insigniter contigue radiosus et centro areolato-diffractus (rimis ab hypothallo nigricantibus); ambitu radiis planis paullo latioribus et sæpe bis crenatis (vel inciso-plicatis). Variat thallo macriore ambitu parum effigurato (talem in Sinu Fennico et in tæniis Aboënsibus legit Edwin Nylander).

b. — *Thallus cinerascens vel nigricans.* — Species *11—16.*

11. **L. nimbosa.** — *Parmelia nimbosa* Fr. *L. E.* p. 129; *P. amniocola* var. *nimbosa* Schær. *Enum.* p. 54.

Thallus pallido-flavidus opacus nudus vel cæsioalbido-pruinosus squamulosus crustaceo-adnatus, squamulis constans lobatis vel inciso-crenatis (ambitu distinctioribus) parum crassis; apothecia nigra opaca (nuda vel) pruinosa (latit. circa 0,6 millim.), margine thallino tumidulo integro cincta; sporæ longit. 0,018—23, crassit. 0,007—0,010 millim.

Supra terram nudam in alpibus Dovrensibus (Blytt, Schimper), et verimiliter quoque in aliis.

12. **L. sophodes** Ach. *L. U.* p. 356, *Syn.* p. 153, Nyl. *Prodr.* p. 94; *Parmelia sophodes* Fr. *L. E.* p. 149.

Thallus griseus vel cinereo-fuscescens granulatus vel granulato-areolatus sat tenuis subdeterminatus vel determinatus, hypothallo tenuissimo nigricante (vel obsoleto); apothecia fusco-nigra plana sat parva (latit. 1 millim. vel minora), margine thallino integro cincta, sæpius conferta et haud raro nonnihil angulosa; sporæ long. 0,011—22, crass. 0,007—0,011 millim.

Ad cortices læves passim, usque in Lapponiam.

Thallus plagulas tenues latit. 1-pollicaris vel minores format. Variat hypothallo vix conspicuo (talis est var. *pyrina* Ach., ex hb. Ach.). Variat dein thallo depauperato, var. 1) *lævigata* Ach., apotheciis tum sæpe sublecideinis (var. *lecideina* Nyl. in *Hrb. Mus. Fenn.* p. 87), ad cortices lævigatos usque in Lapponia, ad betulas, obvia (Edwin Nylander);

sporæ in specimine Silesiaco (hb. Ach.) long. 0,016—20, crass. 0,008—10 millim., in lapponico long. 0,014—18, crass. 0,007—8 millim. — Var. 2) *submilvina* Nyl. est saxicola, ad scopulos marinos prope Helsingfors vigens, thallo obscuro fusco-griseo vel fusco-nigrescente areolato-granulato, sporis long. 0,017—20, crass. 0,009—0,011 millim. (vel interdum paullo minoribus); nimis forte accedens ad *milvinam*. Margo thallinus apotheciorum integer, sæpe parum prominulus. — Var. 3) *confragosa* (Ach. *Meth.* suppl. p. 33, sub Parmelia); *Lecanora atra* var. *confragosa* Ach. *L. U.* p. 345, *Syn.* p. 146; *Parm. atrocinerea* Fr. *L. E.* p. 151; *Rinodina cæsiella* Krb. *S. L. G.* p. 126. Thallus ei albidus vel albido-cinerascens granulosus vel granuloso-areolatus, granulis vel areolis interdum subdispersis, aliquando subeffusus; apothecia fusco-nigricantia vel nigra; sporæ long. 0,015—23, crass. 0,008—0,011 millim. Ad saxa granitosa in Scandinavia rarius (adhuc in Nordlandia, si *Lecanora exigua* Smmrf. *Lapp.* p. 98 huc pertinet, quod credere licet). Occurrit in Alandia (Edwin Nylander) forma apotheciis convexis, sæpe sublecideinis, thallo disperso et hypothallo minus distincto, sed sporis omnino conveniens cum *confragosa*. Quæ in Gallia sæpe occurrit *confragosa* (Nyl. *L. P.* 143) parum differt a typo Achariano thallo distinctius areolato (areolis sæpe contiguis). Parum quoque a *confragosa* differt var. *roboris* (Duf.), in Gallia passim ad quercus, thallo continuo albido effuso tenui inæquali vel interdum fere evanescente; e Scandinavia mihi haud visa. L. *colobina* Ach. *L. U.* p. 358 (non *colobina* Ach. *Syn.* p. 153) ab ea vix distinguenda thallo subleproso. — Var. 4) *lecideoides* Nyl. descendere videtur e *confragosa*, cujus est quasi status ecrustaceus, thallo macula albido-cinerascente indicato, apotheciis fere minoribus lecideinis nigris vel nigricantibus, margine sæpe badio; ad juniperos in Ostrobottnia boreali, Kiiminki (Edwin Nylander). Obiter visa pro *Lecidea myriocarpa* sumta, sed apotheciis margine proprio sæpe badio-tincto (et subthallino) et intus albidis (nec hypothecio obscurato). Sporæ long. 0,016—20, crass. 0,008—0,011 millim., ergo ut in var. *confragosa*. — Var. 5) *archæa* Ach. *L. U.* p. 357 (et var. *crenata* ibid. p. 358) differt a *sophode* typica thallo griseo-fuscescente aut cinereo-nigricante, sæpe sat effuso, granuloso, hypothallo non vel vix visibili, apotheciis fusco-nigris vel nigris, margine thallino crenato (vel granulose crenato) cinctis; sporæ long. 0,016—30, crass. 0,008—0,016 millim. Ad corticem betulæ et ligna vetusta in Scandinaviæ regionibus præcipue borealibus, nec rara. Est *Lichen sophodes* Whlnb. *Lapp.* p. 410, ex ipsius specimine in hb. Ach. Saxicolam eam legit in Savolaxia, Luumäki, Edwin Nylander. — Sub nomine var. *scopulina* in Mus. Fenn. designavi formam thallo fusco-cinerascente conferte areolato-granuloso, areolis verruculoso-granulatulis, tamen sat æquabilis; apotheciis nigris planis, margine thallino (saltem obsolete) crenato depresso cinctis; sporis long. 0,017—24, crass. 0,011—12 millim. Supra scopulos insulæ Mjölö ad Helsingfors. Acce-

dit ad *archæam.* — Var. 6) *exigua* (*Lecanora periclea* var. *exigua* Ach. *L. U.* p. 356, *Syn.* p. 151) thallum habet albidum vel pallido-cinerascentem vel obscurius cinerascentem tenuem inæqualem vel subgranulatum (vel dispersum), sæpe subeffusum, hypothallo non visibili; apothecia conferta nigra vel subnigra sat parva, plana vel convexiuscula, margine thallino tenui sæpe nonnihil crenulato cincta; sporæ longit. 0,011—18, crassit. 0,006—8 millim. Ad corticem (præsertim quercus) et ad ligna in Scandinavia passim satis frequenter, usque ad mediam saltem, at in boreali forte deficiens. Variat margine thallino apotheciorum magis crenulato, talis ex. gr. ad corticem pyri prope Helsingfors. Adest quoque *exigua* lignicola ecrustacea, nec rara. In Europa meridionali (ex. gr. in Lusatia) confluere videtur cum *confragosa* vel *roboris*, nam sporas ibi nonnihil majores offert (long. 0,014—22, crass. 0,008—9 millim.). In alpe Dovre cel. W. P. Schimper *exiguæ* legit f. saxicolam thallo albido-pallido firmiore (cartilagineo), apotheciis innatis margine thallino integro depresso, sporis long. 0,011—23, crass. 0,006—8 millim. (dicatur f. *firma*, si placet). In hac forma sporæ distinctius (vel constantius) medio nonnihil constrictæ, et interdum utroque apice leviter attenuato. — *Ureolaria ocellata* Ach., ex specimine germanico hb. Ach., convenit cum *confragosa*, sed thallum habet cinereum lævigatum rimosum vel rimoso-areolatum, apothecia innata, facie fere *Lecanoræ cinereæ*; e Suecia eam non vidi.

13. **L. milvina** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 358, *Syn.* p. 151 (excl. var.); *Parmelia badia* var. *milvina* Fr. *L. E.* p. 148.

Similis *sophodi*, thallo autem fusco-nigro granuloso-areolato vel areolato-diffracto verruculoso-inæquali effuso; apothecia nigra plana, sat conferta, margine thallino depresso integro cincta; sporæ longit. 0,015—23, crassit. 0,007—0,010 millim.

"In petris maritimis et irrigatis totius Finmarkiæ Nordlandiæque passim copiose" (Whlnb. *Lapp.* p. 410).

14. **L. turfacea** (Whlnb.) Ach. *Syn.* p. 156 (excl. *β*), Nyl. *Prodr.* p. 93.

Thallus griseus vel cinereo-fuscescens vel pallidior rugoso-inæqualis, vel superficie subgranulato-rugosa, parum crassus vel sat tenuis incrustans; apothecia fusco-nigra vel nigra conferta, margine thallino lævi vel ruguloso cincta; sporæ longit. 0,023—34, crassit. 0,010—16 millim.

Supra terram in regionibus frigidis passim. In Finmarkia maritima frequenter (Whlnb. *Lapp.* p. 408). Rarius supra

muscos, ex. gr. in Finlandia boreali et in tæniis Aboënsibus (Edwin Nylander).

Parum differt a *L. sophode* var. *archæa*, nam apothecia etiam juniora haud raro margine thallino observantur crenulato. — Var. 1) *mniaræa* (Ach. *Syn.* p. 339) est muscicola thallo albido vel cinerascenti-albido tenui; apotheciis præsertim junioribus receptaculo prominulo, margine thallino prominente integro (demum fere excluso, æque ac interdum in *turfacea* typica); sporæ long. 0,023—26, crass. 0,010—14 millim. Supra muscos ad littus boreale lacus Ladogæ (J. J. Chydenius). — *Lecanora amniocola* Ach. *Syn.* p. 156 alia est varietas hujus speciei, "in Helvetia supra muscos destructos" obvia, thallo depresso-granuloso vel subareolato-incrustante, apotheciis fuscis, margine thallino integro demum excluso, sporis long. 0,026—36, crass. 0,010—20 millim., dicenda var. 2) *amniocola* Ach. Forte in Scandinaviæ alpibus sit detegenda. — Var. 3) *biatorina* Nyl. in hb. Schimp., similis *mniarææ*, sed apotheciis fuscis cito marginem thallinum excludentibus convexis, sporis long. 0,025—36, crass. 0,012—18 millim., supra terram muscosam in Dovre (W. P. Schimper). — Fig. 5, *a* sporas tres sistit, et *b* thecam juniorem (sporis nondum infuscatis) *Lecanoræ turfaceæ* e Kiiminki.

15. **L. badiella** Nyl. in *Hrb. Mus. Fenn.* p. 110.

Thallus badius vel cervino-badius, e granulis minutis depressiusculis sæpiusque contiguis compositus, opacus, hypothallo nigro crassiusculo, fere areolatim diffractus (areolis ita quasi verrucoso-inæqualibus planiusculis difformibus variantibus, latit. circa 2 millim., altit. circa 1,5 millim.); apothecia nigra mediocria (latit. circa 1,25 millim.), margine thallino tenui cincta; sporæ longit. 0,015—16, crassit. circa 0,0105 millim.

Ad saxa granitica prope Uleåborg (Edwin Nylander).

Thallus facie fere *Lecideæ squalidæ*, areolatim grosse diffractus (quoque in memoriam revocans *Lecideam badiam*).

16. **L. pyreniospora** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 297.

Thallus griseus vel cinereo-fuscescens granulosus, sat tenuis, subeffusus; apothecia fusco-nigra vel nigra opaca, margine thallino ruguloso vel obsolete crenulato cincta; sporæ ellipsoideæ 4-loculares, longit. 0,026—32, crassit. 0,010—11 millim.

Ad ligna vetusta in Ostrobottnia, in Jurwa (A. J. Malmgren), et ad Kajanam (K. P. Malmgren).

Facie *Lecanoræ sophodis* var. *archææ*, cum qua facile confunditur, sin sporis adtenditur. — Var. 1) *paupercula* Nyl. differt thallo solum macula albida vel cinerascente indicato (subeffuso); apotheciis fuscis vel fusco-nigris parvis (latit. 0,3—0,4 millim.) planis vel convexulis, sat confertis, sublecideinis; sporis (loculis 4 fere sphæroideis) long. 0,020—26, crass. 0,011—12 millim. Ad corticem juniperi prope Helsingfors. — Fig. 6 sporas dat tres speciminis e Jurwa.

C. — *Stirps* Lecanoræ alphoplacæ. *Thallus placodioideus radiosus vel radioso-plicatus. Thecæ 8-sporæ, sporæ incolores ellipsoideæ simplices, paraphyses crassiusculæ articulatæ. Spermatia cylindrica mediocria recta, sterigmata simpliciuscula.* — Species *17—18*.

17. **L. alphoplaca** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 428, *Syn.* p. 187; *Parmelia melanaspis* a Fr. *L. E.* p. 122.

Thallus cinerascenti-albidus radiosus, radiis convexis subimbricatis concrescentibus, centro indistinctis et thallus ibi verrucoso-rugosus; apothecia fusco-nigra vel fusca (interdum leviter cæsio-pruinosa) plana (latit. 2—3 millim.), margine thallino integro cincta; sporæ ellipsoideæ vel subglobulosæ, longit. 0,011—13, crassit. 0,008—0,010 millim.

Ad saxa in subalpinis Norvegiæ borealis. Prope Altenfjord frequenter (Wahlenberg).

Lichen inflatus Schl. non differt. Thallus crassiusculus, turgide verrucosus et ambitu radiosus vel plicato-radiosus. Spermatia long. 0,006—7, crass. 0,001 millim. — Var. 1) *melanaspis* (Ach.) differt thallo cinereo vel chalybæo-cinereo tenuiore, apotheciis nigris vel fusco-nigris demum convexis (latit. circa 1,5 millim.), sporis ellipsoideis long. 0,011—14, crass. 0,007—9 millim. Ad saxa in Lapponia sylvatica et subalpina rarius (Wahlenberg); deinde in Finlandia orientali ad Sordavalam.

18. **L. circinata** (Pers.) Ach. *L. U.* p. 425, *Syn.* p. 184; *Parmelia circinata* Ach. *Meth.* p. 189, Fr. *L. E.* p. 123; *Lichen radiosus* Hffm.

Thallus cinerascens vel cinereo-albidus radiosus vel radioso-plicatus (radiis non discretis planiusculis vel convexiusculis) mediocris (latit circa 1—2-pollicaris), ambitu crenulatus (secundarie radioso-plicatus); apothecia fusca vel fusco-nigra innata marginem thallinum integrum plerumque æquantia (sæpe nonnihil urceolarioidea); sporæ long. 0,011—15, crass. 0,0065—0,0085

millim., paraphyses crassæ vel crassiusculæ sæpius distincte articulatæ.

Supra saxa, præsertim calcarea, in Scandinavia in primis meridionali et usque in Sueciam mediam. Rarius ad granitum vel rupes primitivæ formationis.

D. — *Stirps* Lecanoræ cinereæ. *Thallus haud ambitu effiguratus. Apothecia innata; sporæ 8næ (exceptione 4 vel 2næ) ellipsoideæ simplices, paraphyses mediocres vel gracilescentes. Spermatia recta acicularia.* — Species *19—22.*

19. **L. cinerea** (L.) Smmrf. *Lapp.* p. 99; *Urceolaria cinerea* Ach; *Parmelia cinerea* Fr. *L. E.* p. 142.

Thallus cinereus vel albido-cinerascens areolato-diffractus, hypothallo nigricante (ab eo sæpe limitatus); apothecia nigra plana (latit. 1—1,5 millim.), margine thallino integro cincta; sporæ 8næ(—6næ) ellipsoideæ vel interdum subglobosæ, longit. 0,014—23, crassit. 0,008—0,014 millim.

Supra saxa (potissime granitosa) in Scandinavia vulgatissima. Raro ad corticem betularum emortuarum.

Plurimis varietatibus ludens, e quibus facile species variæ exponi possent, sed nihil stabile offerrent, nam nexus nimis arcte eas jungentes undique animadvertuntur. Typus speciei exprimitur nominibus Acharianis *multipuncta*, *tigrina*, *polygonia*, *notata*, invicem vix distinguendis. Apotheciis subpruinosis, qualibus in Lapponia, Soankylä (Edwin Nylander), ad calcem transitionis crescit, tangit *calcaream;* sporæ ei longit. 0,014—17, crassit. 0,008—0,010 millim. Variat dein thallo macriore et apotheciis sublecideinis (immersis nonnihil urceolato-impressis); est var. 1) *depressa* (Ach.), sporis long. 0,018—24, crass. 0,008—0,014 millim. Ei accedit f. *lævata* (Ach. sub Sagedia, nec *S. zonata* Ach. multum differt), sed propior est typo. A *lævata* hac non differt *Urceolaria microcelis* Ach. *Syn.* p. 145; sporæ ei long. 0,015—18, crass. 0,008—9 millim. Obvenit f. apotheciis lecideinis et thallo sat typico in Dovre (Schimper). Obvenit quoque fere ecrustacea. — Var. 2) *subcretacea* Nyl., in *Hrb. Mus. Fenn.* p. 86, est fere similis typo, f. *notatæ* (Ach.), sed thallo cretaceo-albo (rimuloso-areolato), sporis long. 0,012—18, crass. 0,008—0,011 millim.; obvia mihi fuit in Walamo et ad rupes calcis primitivæ prope Salam in Suecia. — Var. 3) *obscurata* Fr. *L. S. exs.* 313 (*Lecidea fusco-atra* var. *gibba* Whlnb. *Lapp.* p. 473, Ach. *Syn.* p. 12) est typica (vel *depressa*) thallo obscure cinereo, sporis long. 0,018—25, crass. 0,010—14 millim.; ad rupes Scandinaviæ rarius, usque ad Mare Glaciale (Wahlenberg). — Var. 4) *diamarta* (Whlnb. *Lapp.* p. 414, *Urceolaria diamarta*

Ach.) est typica thallo oxydo ferroso ochraceo-rubente, apotheciis "planis subimmersis angulatis atris", sporis minoribus; passim ad saxa nascens.

* L. GIBBOSA (*Urceolaria gibbosa* Ach. *L. U.* p. 331, *Syn.* p. 139). — Parum differt a typo *cinereæ*, thallo cinereo areolato, areolis prominulis, fertilibus medio elevatis, apotheciis urceolatis, margine eorum thallino sæpius leviter crenulato, sporis 6—8nis majoribus (longit. 0,021—38, crassit. 0,012—24 millim.). — Ad saxa frequens (raro ad ligna vetusta, interdum inundata, molendinæ in Wihtis). — Variat thallo albido et areolis magis turgidis (eadem sterilis sit *Porina chionea* Ach. *L. U.* p. 311); eadem thallo cinereo est *Lichen protuberans* Whlnb. *Lapp.* p. 412, rarius obvia (saltem in Fennia et Lapponia). *Lichen mazarinus* Whlnb. huc etiam pertineat, ut forma thallo crassiore areolis contiguis grosse verrucoso-concrescentibus; accedit ad *U. gibbosam* var. *amphibolam* Ach. *L. U.* p. 334. Lignicola e Wihtis fere cum *amphibola* convenit. *Lecanora tuberculosa* Ach. non differt a *gibbosa*.

** L. CALCAREA (Ach. sub Urceolaria) Smmrf. *Lapp.* p. 102; *Parmelia calcarea* Fr. *L. E.* p. 188; *Aspicilia calcarea* Krb. *Par.* p. 94. — Thallus albus vel cretaceus, apothecia cæsio-vel tenuiter albo-pruinosa, sporæ 4—6—8næ long. 0,018—30, crass. 0,014—27 millim. (sæpe subglobulosæ). — Ad calcem in regionibus calcareis. — Nonnisi varietas est calcarea *Lecanoræ cinereæ*, quantum video, nam et apotheciis nudis (ex. gr. in Kinnekulle) et sporis minoribus variat (sic in Nyl. *L. P.* 28 sporæ 8næ long. 0,012—15, crass. 0,008—0,010 millim., id est omnino ut in *cinerea* typica). Variat thallo minus distincte areolato-diffracto, inde magis confluente et superficie farinosa. Magis differt f. *Hoffmannii* (*U. calcarea* var. *Hoffmanni* Ach. *Syn.* p. 143) thallo areolato glaucescente vel albo, areolis contiguis vel discretis medio turgescentibus apotheciaque recipientibus pruinosa impressa; ad calcem potissime, sed etiam ad saxa alia transiens et tum confluens cum (*cinerea* var.) *gibbosa*. Sporæ 4—8næ, magnitudine et forma variabili ut in *gibbosa*. Notanda adhuc f. *Lundensis* (Fr. *L. E.* p. 182, *L. S. exs.* 321), quæ *calcarea* lignatilis (ad Lund in Suecia lecta); sporæ ei 4—8næ long. 0,024—28, crass. 0,018—23 millim. *Lecanora cæcula* Ach. *Syn.* p. 165 est *calcareæ* forma thallo obscuro olivaceo-cinereo nudo areolato-diffracto, apotheciis albo-pruinosis.

*** L. CINEREO-RUFESCENS (Ach. *L. U.* p. 677, *Syn.* p. 141). — Similis var. *lævatæ cinereæ*, at hypothallo nigricante magis visibili, thallo areolato areolis discretis, sporis long. 0,016—24, crass. 0,009—0,010 millim. — In Lapponia (ex hb. Ach.). — Variat thallo obscurius cinereo vel pallido-cinerascente. Parum notabilis. Apothecia fusca vel nigra. Quod de halone sporarum loquitur cl. Kœrber in *S. L. G.* p. 162, nihil stabile exprimit occurritque quoque interdum apud *calcaream*.

**** L. LACUSTRIS (Westr.); *Parm. cinerea* var. *lacustris* Fr. *L. E.* p. 145 (excl. infauste huc relata "Lecan. rubelliana"); *Urceol. Acharii* (Westr. in Ach. *Prodr.* p. 33, ic. in titulo) Ach. — Thallus pallidus vel testaceus vel ochraceo-tinctus tenuis subdeterminatus deplanatus tenuiter rimoso-areolatus; apothecia pallescentia (rufescentia vel fusca) urceolato-innata; sporæ long. 0,014—18, crass. 0,007—8 millim. — Ad saxa sæpe inundata rarius, usque in Lapponia. Vix esse potest aliud quam *cinerea* statione mutata, diluta, etiam apotheciis decoloratis. *U. suaveolens* Ach., Schær. *Enum.* p. 85, facile cum *lacustri* jungenda sit (sporæ ei long. 0,011—12, crass. 0,007 millim.). In Himalaya adest forma affinis (lecta a cel. J. D. Hooker), differens apotheciis planis et sporis minoribus. *Lecanora Acharii* var. *rhodopis* Smmrf. *Lapp.* p. 89 etiam ad *lacustrem* pertineat.

***** L. DICKSONII. *Lecidea Dicksonii* Ach. *L. U.* p. 165 (ex hb. Ach.); *Lichen Œderi* Sm. *E. Bot.* t. 1117. — Thallus ochraceo-ferrugineus tenuis (vel sat tenuis) lævigatus opacus, rimosus vel areolato-rimosus, determinatus; apothecia parva innata concaviuscula marginata nuda (margine proprio), intus nigricantia (medio cinerascentia); sporæ long. 0,011—14, crass. 0,006—8 millim., hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens. — Supra saxa granitica et schistosa (ferruginosa) in Scandinavia rarius, usque in Lapponiam (ubi eam legit in Soankylä Edwin Nylander). Insignis prope Helsingfors ad mare. — Status adhuc sit ferruginosus *cinereæ* accedens ad *diamartam*, sed apotheciis lecideinis hypothecio infuscato differens. *Lecidea melanophæa* Fr. in *V. Ac. H.* 1822, p. 259, huc pertinere videtur, sed in speciminibus visis apothecia collapsa et sporæ nullæ. In Himalaya, altit. 17000 ped., cel. J. D. Hooker legit formam *diamartæ* transeuntem in *Dicksonii*.

20. **L. pelobotrya** (Whlnb.) Sommrf. *Lapp.* p. 99; *Urceolaria pelobotrya* Ach. *L. U.* p. 333, *Syn.* p. 138; *Parmelia pelobotrya* Fr. *L. E.* p. 189.

Thallus albidus rugoso-inæqualis continuus aut areolatus; apothecia nigra innata plana (interdum nonnihil impressa), fere mediocria (latit. circa 1 millim. vel paullo ultra); sporæ 4—8^{næ} ellipsoideæ vel oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,023—35, crassit. 0,012—16 millim., paraphyses sat graciles. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad schistum alpinum irrigatum in Finmarkia (Wahlenberg), in Nordlandia subalpina (Sommerfelt) et ad Nidarosiam (Blytt). Arcte (sin nimis) affinis *cinereæ*.

21. **L. verrucosa** Laur.; *Urceolaria verrucosa* Ach. *L. U.* p. 339, *Syn.* p. 140.

Thallus albidus vel glaucescenti-albus verrucoso-inæqualis; apothecia nigra vel nigrescentia (nuda vel leviter albido-pruinosa) concaviuscula (latit. circa 0,5 millim.), margine thallino crasso integro cincta; sporæ 8^{næ} longit. 0,030—49, crassit. 0,020—30 millim.

Supra terram et muscos in alpibus Norvegiæ.

Arcte accedit ad *Lecanoram cineream* var. *gibbosam*, quam sistere possit terrestrem vel muscicolam. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens, dein sordide lutescens vel dilute vinose rubescens (ut in *cinerea*). *Urceolaria panyrga* Ach. est varietas thallo albo magis confluente, apotheciis pruinosis (in America arctica, Beechey Island, sporis long. 0,036—38, crass. 0,019—20 millim.).

22. **L. oculata** (Dicks.) Ach. *Syn.* p. 148; *Parmelia oculata* Fr. *L. E.* p. 135; *Lichen dactyliferus* Whlnb. *Lapp.* p. 414.

Thallus albus vel albo-cinerascens dactylino-papillatus; apothecia nigra, in apicibus papillarum innata concaviuscula, mediocria margine tumidulo (sæpe obscuro) cincta; sporæ ellipsoideæ (in thecis cylindraceis), long. 0,023—30, crass. 0,011—14 millim. Gelatina hymenea solum thecarum iodo cœrulescens.

Supra terram (muscos destructos et vegetabilia alia vetusta) in subuliginosis alpium Lapponiæ rarius. In Nordlandia et Finmarkia copiose, in inferalpinis rarius (Sommerfelt).

E. — *Stirps* Lecanoræ tartareæ. *Apothecia pallida, margine thallino crasso cincta; sporæ incolores magnæ ellipsoideæ simplices, paraphyses et spermatia ut in stirpe præcedente.* — Species *23—24*.

23. **L. parella** (L.) Ach. *L. U.* p. 370, *Syn.* p. 169; *Parmelia pallescens* var. *parella* Fr. *L. E.* p. 133.

Thallus albidus granulato-rugosus vel verrucoso-granulatus vel rimoso-diffractus; apothecia concoloria vel subconcoloria plana (latit. circa 1,5 millim.), sæpe angulosa; sporæ 6—8^{næ} ellipsoideæ aut subglobulosæ, long. 0,048—88, crass. 0,025—46 millim.

Ad saxa in Scandinavia rarius; "prope littora maris Nordlandiæ meridionalis passim copiose" (Whlnb. *Lapp.* p. 402).

Sæpius adest corticola, sed hæc potius transiens in varietatem *pallescentem.*

Facile dignota. Paraphyses graciles. Gelatina hymenea intense cœrulescens. Variat thallo tenuiore et magis confluente, minus granulato. Variat simul apotheciis pallidis vel pallide carneo-testaceis; hæc est var. *pallescens* (L.) Ach. ll. cc. (P. pallescens Fr. l. c. p. 132), interdum, ut videtur, transiens in *tartaream*; nomen igitur *parella* typum speciei exprimat (nec *pallescens*, quæ transeat in *tartaream*). Ægre ita limites inter *parellam* (pallescentem) et *tartaream* certi. Var. *Upsaliensis* (L.) Ach. dicitur var. *pallescens* muscicola, thallo valde tenui.

24. **L. tartarea** (L.) Ach. *L. U.* p. 371, *Syn.* p. 172; *Parmelia tartarea* Ach., Fr. *L. E.* p. 133.

Arcte affinis præcedenti, nec typica differens nisi thallo crassiore apotheciisque testaceis majoribus (latit. circa 3—5 millim.); sporæ longit. 0,040—72, crassit. 0,027—40 millim.

Ad saxa per totam Scandinaviam passim vel sat frequenter. Rarius supra muscos (varietatibus) in Alandia et in Lapponia. Raro ad truncos.

Variat indole thalli. Typica thallum habet albidum vel albido-cinerascentem crassum granulato-inæqualem. Apothecia carneo-testacea. Var *grandinosa* Ach. corticola, ex Anglia, parum differt thallo mammillato-granulato. Var. *frigida* est muscicola thallo tenui in papillas vel spinulas abeunte (huc *L. frigidus* Sm. *E. Bot.* t. 1879), in Lapponia et Alandia vigens. Var. *gonatodes* Ach. est typica, sed thallo crustam ramulosam offerente "ramis divaricatis tortuosis gibbosis lobato-verrucosis difformibus"; in muscosis alpinis (Wahlenberg).

F. — *Stirps* Lecanoræ subfuscæ. *Apothecia typice lecanorina, thecis 8-sporis (exceptione sporis 12—48), sporis incoloribus mediocribus vel parvis (raro 1—3-septatis). Spermatia acicularia gracilia arcuata aut recta.* — Species 25—44.

†. — *Spermatia arcuata. Species analogæ Squamariis.* — Species *25—39.*

25. **L. aipospila** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 385, *Syn.* p. 155; *Parmelia aipospila* Ach., Fr. *L. E.* p. 109; *Lichen aipospilus* Whlnb. *Lapp.* p. 409, t. 27, f. 2.

Thallus fuscus vel fusco-cinereus (vel interdum pro parte pallescens) inæqualis vel papillatus, ambitu continuus vel radiatim sulcatus vel crenulatus, medio præsertim tuberculosus

vel papilliferus, sat tenuis (cum papillis vix 1 millim. crassior); apothecia (in papillis sita) fusca vel fusco-nigra vel nigricantia (latit. circa 0,6 millim.), marginem thallinum integrum excludentia et demum sublecideina, plana vel convexiuscula; sporæ 8^{næ} ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,009—0,012, crassit. circa 0,005 millim., paraphyses mediocres.

Ad rupes maritimas oræ Maris Glacialis.

Thallus latit. circa pollicaris, facie isidioidea singularis, sporis uniseptatis facile dignota. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, deinde violacee obscurata. Var. 1) *maritima* (*Lecanora maritima* Smmrf., *Parm. maritima* Fr. *L. E.* p. 108, *L. alpestris* Smmrf. *Lapp.* p. 97 [non Ach.]) differt thallo griseo vel griseo-nigricante tenui granulato-rugoso, ambitu breviter radioso vel subcrenato; in lapidibus quartzosis littoralibus Nordlandiæ (Sommerfelt). Facie fere *Lecanoræ Montagnei* (Fr.), sed thallo tenuiore. Spermatia arcuata longit. 0,016—22, crassit. vix 0,001 millim.

26. **L. poliophæa** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 398, *Syn.* p. 169; *Parmelia poliophæa* Ach., Fr. *L. E.* p. 146; *Lichen poliophæus* Whlnb. *Lapp.* p. 410, t. 27, f. 3.

Thallus cinerascens vel cinereo-fuscescens granulato-papillatus diffractus, vel papillato-verrucosus, ambitu fibrilloso-byssine (vel ex hypothallo) albido-radiante; apothecia brunnea vel fusca plana, marginem thallinum (demum crenulatum) æquantia; sporæ 8^{næ} ellipsoideæ simplices, longit. 0,007—0,013, crassit. 0,035—0,006 millim.

Supra scopulos Maris Glacialis frequenter (Wahlenberg).

Nec differre videtur ab hac *Lecanora spodophæa* (Whlnb.) Ach., nisi thallo magis fuscescente; hicce "e papillis constituitur, sed adeo minutis et contiguis, ut superficiem granulatam referant". Apothecia circa 2 millim. lata; paraphyses sat graciles apicibus incrassatis dilute infuscatis; gelatina hymenea iodo cœrulescens. Spermatia ut in *L. subfusca*.

L. helicopis (Whlnb.) Ach. *Syn.* p. 149; *Parmelia helicopis* Fr. *L. E.* p. 181; *Lichen helicopis* Whlnb. *Lapp.* p. 414. — Thallus sordide cinereus sat tenuis inæqualis rimuloso-areolatus albo-limitatus; apothecia livido-nigricantia vel fusca plana convexiuscula et marginem thallinum excludentia; sporæ 8^{næ} ellipsoideæ simplices (vel obsoletissime 1-septatæ), longit.

0,009—0,015, crassit. 0,005—6 millim. — Ad lapides littorales "sub fluxu maris interdum irrigatis ad Altenfjord Finmarkiæ passim" (Wahlenberg).

Verisimiliter nihil est typicum, et forte status aqua marina deplanatus præcedentis, quod ambitus thalli credere suaderet, vel *L. subfuscæ* vel *glaucomæ*. — Forma *dilutior*, thallo albido-cinereo areolato-rimoso, ambitu byssine-radiante, apotheciis livido-fuscescentibus vel fuscis (latit. circa 0,5—0,6 millim.), sporis long. 0,009—0,012, crass. 0,005—7 millim., scopulis adnascitur prope Helsingfors fluctibus maris sæpe submersis et lavatis (socia *L. subfuscæ* var. *alpigenæ*). Affinis etiam, sin nimis, *subfuscæ* et sequenti. In Alandia similis occurrit, apotheciis interdum *Arthonia glaucomoria* Nyl. occupatis, thallo albido-pallescente. Analoga *subfuscæ* forma ad scopulos Galliæ occurrit.

28. **L. glaucoma** (Hffm.) Ach. *L. U.* p. 362, *Syn.* p. 165; *Parmelia sordida* (Pers.) *L. E.* p. 178 (excl. *β*); *Lecan. rimosa* (Œd.) Schær.

Thallus albidus vel glauco-albidus rimoso-areolatus; apothecia livida vel livido-nigricantia, cæsio-pruinosa, plana aut convexa, margine thallino tenui integro aut tandem excluso.

Vulgaris ad saxa Scandinaviæ.

Thallo et apotheciis haud parum variat. Sporæ 8næ simplices, long. 0,010—13, crass. 0,006—7 millim. — Var. 1) *Swartzii* (Ach.) differt thallo (minus sæpe continuo) ambitu quasi radiante (interdum etiam byssino-radiante), centro sæpe granulato-areolato, apotheciis planis vel convexis pruinosis; locis subumbrosis passim. — Var. 2) *subcarnea* (Ach.) præcipue dignoscitur apotheciis planis aut convexis subcarneis vel livido-testaceis parum pruinosis vel nudis; rarius. — Varietates *bicincta* (Ram.), apotheciis margine proprio (præter thallinum), et *lecideina* (Schær., simul *Lecidea cæsio-pruinosa* Schær.), apotheciis lecideinis, mihi e Scandinavia non visæ (in alpibus Europæ mitioris haud raræ). — Var. *cærulata* Ach., ad corticem quercus Sueciæ, in limite est *Lecanoræ subfuscæ* (*angulosæ* pruinosæ), et revera *glaucomam* non absolute specie differre crederem a *subfusca*. In Nyl. *L. P.* 41 datur forma intermedia, in sylva Fontaineblau vulgaris, jam potius *subfuscæ*, jam *glaucomæ* faciem exhibente, et in qua Massalongo suam "Lecanoram Trevisanii" invenit.

29. **L. subfusca** Ach. *L. U.* p. 393, *Syn.* p. 157; *Parmelia subfusca* Ach. Fr. *L. E.* p. 136.

Thallus albidus vel albido-cinerascens, sat tenuis, inæquabilis, determinatus vel subdeterminatus; apothecia fusca, vel

fusco-pallescentia, aut fusco-nigricantia, vel fere nigra, plana; sporæ ellipsoideæ mediocres.

Ad cortices arborum vulgatissima. Varietates ad ligna et saxa haud raræ.

Valde variabilis, formis sequentibus constituta. 1) F. *allophana* (Ach. *L. U.* p. 395), sat frequenter ad corticem populi obvia, dignoscitur apotheciis (latit. circa 2—3 millim.) fuscis vel fusco-nigris margineque thallino demum crenato et flexuoso cinctis; sporæ longit. 0,013—22, crassit. 0,008-0,012 millim. Thallus ei albidus (vel rarius cinerascens) granulato-inæqualis. Margine thallino crasso rugoso vel rugoso-crenato est *Lichen rugosus* Pers. (*L. subfusca* var. *horiza* Ach. l. c. p. 394 [excl. specim. citat. lusitan., quæ pertinent ad *L. constantem* Nyl.]), etiam apotheciis fuscis et pallescentibus in Suecia obveniens, ex hb. Ach. (sub *allophana*); dicenda est. f. *rugosa*, etiam sporis minoribus dignota (long. 0,010—18, crass. 0,007—0,010 millim.). Adest dein ad betulas status nimis fere accedens ad formam sequentem (apotheciis margine thallino subintegro vel sat obsolete crenulato). Ad alias arbores (ex. gr. ad corylum) et ligna facie occurrit *argentatæ*, at margine illo crenulato (sporis longit. 0,011—18, crass. 0,007—0,011 millim.), tangens var. *chlaronam* Ach., sed apotheciis fuscis; transit omnino in *argentatam*. — F. 2) *argentata* Ach. l. c. p. 393 (nec differt var. *glabrata* Ach. ibid.), thallo albido læviore (sublævigato tenui vel leviter rugoso-inæquali), apotheciis fuscis vel fusco-pallescentibus (latit. circa 1—1,5 millim.) planis vel convexiusculis, sporis longit. 0,011—16, crassit. 0,007—0,010 millim.; ad cortices frequentissima. Var. *zosteræ* Ach. *Syn.* p. 158, parum differt, nisi statione "in foliis exsiccatis Zosteræ" et sporis minoribus (long. 0,011—14, crass. 0,006—7 millim.). — F. 3) *distans* (Pers.) Ach. (*Meth.* p. 168), est *subfusca* minor, pallidior, apotheciis sordide carneo-pallidis (latit. 0,5 usque 1 millim.) margineque thallino subintegro vel leviter crenulato; sporæ long. 0,010—16, crass. 0,006—8 millim. Ad cortices (præsertim populi) passim. Est *Patellaria populicola* DC. Variat margine thallino apotheciorum distinctius crenulato et est tunc (*L. distincta*) var. *chlarona* Ach. *L. U.* p. 397; ad corticem alni præcipue obvia parcius, raro ad ligna, (aliquando apotheciis usque latit. 1,5 millim.). Tangit *angulosam*. — F. 4) *coilocarpa* Ach. *L. U.* p 393, *Syn.* p. 157, dignota est thallo sublimitato vel limitato tenui inæquali vel granulato-rugoso, apotheciis fusco-nigris vel fere nigris sat parvis (junioribus concavis), margine thallino integro vel subintegro cinctis, sporis long. 0,012—18, crass. 0,008—0,010 millim. Ad corticem betulæ passim, usque in Lapponiam; ad populum in Tavastia (Karsten) statu apotheciis nigris subpruinosis et crassius a thallo marginatis. Frequentius ad ligna vetusta occurrit (f. *xylita* Nyl. olim) thallo albido vel cinerascente, apotheciis subnigris confertis; hujus sta-

tus ecrustaceus (vel subecrustaceus), etiam in Finlandia boreali ad ligna lecta (ab E. Nylander et A. J. Malmgren), est *L. pulicaris* Ach. *Syn.* p. 336. Etiam typicam *coilocarpam* in Sastmola legit cl. A. J. Malmgren apotheciis latit. fere 2 millim., ad betulas. Quoque saxicola adest parcius, sat similis lignicolæ, thallo interdum crassiusculo. Nec ab ea separanda sit *Lecanora gangalea* Ach. *Syn.* p. 152, nisi ut forma thallo continuo albido glabrescente rimoso vel (in var. *rudi* Ach.) rimoso-areolato. — F. 5) *atrynea* Ach. *L. U.* p. 395, *Syn.* p. 158, est *subfusca* thallo granulato vel verrucoso-areolato, apotheciis fuscis vel fusco-pallescentibus vel corneo-fuscescentibus mediocribus margineque thallino subcrenato cinctis (sæpe demum convexis), sporis long. 0,011—18, crass. 0,006—9 millim. Frequens ad saxa. Ad corticem betulæ in Savolaxia (Edwin Nylander) apotheciis sordide corneo-pallidis; subsimilis ad alnos in Sotkamo (A. Chydenius), sed ita corticola confluens cum f. *chlarona* Ach. jam indicata. Interdum *atrynea* occurrit thallo nigricanti-limitato; variat quoque apotheciis margine thallino integro vel subintegro. *L. cenisea* Ach. non distinguenda, nisi ut status *atryneæ* apotheciis (majusculis) leviter cinerascenti-pruinosis. *L. atra* var. *expansa* Ach. *L. U.* p. 345 est *atrynea* (ex Helvetia) thallo tenui cinerascente sat determinato, apotheciis fuscis (latit. 0,5—0,7 millim.) margine thallino subintegro, sporis long. 0,011—16, crass. 0,007—8 millim. — F. 6) *epibrya* (Ach. *Prodr.* p. 79) Smmrf. *Lapp.* p. 93 (excl. syn. pr. p.), thallo albido granuloso-concrescente, apotheciis fuscis vel fusco-rufescentibus planis, margine thallino integro cinctis, sporis long. 0,014—18, crass. 0,008—0,011 millim., supra muscos vetustos, præsertim in regionibus frigidis, sed adhuc ex. gr. in tæniis Aboënsibus (Edwin Nylander). Sat frequenter in Finmarkia maritima (Wahlenberg). Est *Lichen hypnorum* Wulf. "L. epibryon var. *pachnea*" Ach. *L. U.* p. 396 pro parte (ex specim. helvetico) pertinet ad *mniaræam* Ach., cujus sistit formam apotheciis leviter cæsio-pruinosis; quoad vero specim. lusitanicum sit *Lecan. varia* muscicola (apotheciis olivaceo-nigrescentibus subpruinosis). — F. 7) *biatorea* Nyl. in his *Notis.* IV, p. 230, thallo nullo distincto et solum macula albido-cinerascente indicato, apotheciis spadiceis vel sordide fusco-rufescentibus planiusculis (latit. circa 0,5 millim.) erumpentibus biatorinis immarginatis (vel in junioribus margine proprio obsoleto); sporæ long. 0,010—11, crass. 0,0035—0,004 millim. Ad ligna vetusta pinea in Wihtis Finlandiæ meridionalis. Sane recedentis faciei, sed vix *Lecidea*; tamen spermogonia non vidi.

* L. ANGULOSA Ach. *L. U.* p. 364, *Syn.* p. 166. — Similis *subfuscæ* pallidiori, apotheciis sordide pallidis vel pallido-fuscescentibus planis vel convexiusculis (latit. circa 1 millim. vel minoribus), leviter cæsio-pruinosis, centro thalli confertis et subangulosis; sporæ long. 0,009—0,016, crass. 0,006—9 millim. — Ad cortices arborum passim.

Var. *leptyrea* Ach. non distinguenda. Nec multo magis differt var. *indurata* Ach., apotheciis convexis anguloso-difformibus (albido-pruinosis), sporis long. 0,008—0,015, crass. 0,006—8 millim., præcipue lignicola, rarius obvia. Margo thallinus apotheciorum integer, vel interdum flexuosus. Tangit *albellam* et var. *chlaronam* Ach. *Lecanora psoralis* Ach. *L. U.* p. 376, *Syn.* p. 160, est *angulosa* saxicola (ex Helvetia).

** L. ALBELLA (Pers.) Ach *L. U.* p. 369, *Syn.* p. 168. — Similis *angulosæ*, sed thallo tenui lævigato albido, apotheciis pallidis vel subcarneis sparsis (cæsio-pruinosis aut nudis); sporæ long. 0,009—0,011, crass. 0,005—8 millim. — Ad corticem arborum vulgaris. Margo thallinus apotheciorum integer. Var. *cinerella* Flk. D. L. 88, Rchnb. L. exs. 64, Smmrf. Cr. Norv. 64, non differt (sin apotheciis pruinosis nonnihil obscurioribus). Apotheciis convexis (albidis vel subcarneis) est f. *glabrata* (Dicks., *Lecidea alabastrina* α Ach. *L. U.* p. 190); nec ab ea distinguenda *Lecanora chondrotypa* Ach. Saxicola etiam occurrit *albella* (est *Lecan. livida* var. *alpigena* Ach. *Syn.* p. 170 et *L. anomala* α Ach. *L. U.* p. 381), ad rupes saltem juxta mare prope Helsingfors. Eadem fere ecrustacea (thallo tenui sordido, atypico) est *Lecidea leucinata* Ach. *L. U.* p. 190 (*L. alabastrina* var. *Syn.* p. 47); in comparanda *psorali* apothecia conferta subangulosa. Forte et *Lecan. pæpalea* Ach. sit *albellæ* status saxicola, apotheciis concaviusculis, minus evolutis. *Lecanora Hageni* α Ach. *L. U.* p. 367, *Syn.* p. 167, est (quoad specim. suecica hb. Ach.) *albella* apotheciis paullo obscurioribus cæsio-pruinosis corticola (sed, quoad specim. e Gallia, pertinet ad *L. athroocarpam*).

*** L. UMBRINA (Ach.) Mass. *Ric.* p. 10; *L. Hageni* var. *umbrina* Ach. *L. U.* p. 368 (excl. syn. Pers.) et var. *cyanescens* Ach. l. c.; *Patell. dispersa* var. DC. — Est *subfusca* minor macra, thallo tenuissimo sordido subeffuso, apotheciis fuscis, vulgo cæsio-pruinosis, confertis, sat parvis (latit. 0,5—0,8 millim.), planis, sporis 8nis long. 0,009—0,012, crass. 0,005—7 millim. — Ad ligna vetusta rarius, adhucque rarius ad cortices in Scandinavia; usque in Nordlandia (ex Smmrf. *Lapp.* p. 107). Margo thallinus apotheciorum vulgo (saltem juvenilium) crenulatus, at demum sæpius integer vel sat integer. Saxicola saltem in Helvetia et Gallia; non confundenda cum *Squamaria galactina* var. *dispersa* (Pers.) subsimili, at apotheciis margine thallino crenato (est *L. crenulatus* Dicks., non Pers.), etiam in Suecia et Finlandia ad muros obvia.

**** L. SCRUPULOSA Ach. *L. U.* p. 375 (excl. var.). — Fere jungenda cum *albella*. Thallus lacteo-albidus continuo-granulosus vel granuloso-inæqualis rimosus determinatus tenuis; apothecia pallida vel pallido-fuscescentia albido-pruinosa innata sat parva, margine thallino turgidulo integro vel subintegro cincta; sporæ 8næ ellipsoideæ simplices, long. 0,010—11, crass. 0,006—7 millim. — Ad fraxinum in Suecia

(ex hb. Ach.). Parum commune habet cum *L. Sambuci* (Pers.) p. 168, cui nomen "scrupulosa" perperam adtributum fuit. "Var. melioica" Ach. nomen est delendum, nam in quoque specimine herbarii Achariani rem diversam sistit (scilicet e Gallia *Lecanoram sophodem*, e Suecia *Lecideam alboatram* lecanoroideam et *Lecanoram calcaream* f. "tessellatam" apotheciis subnudis).

30. **L. varia** Ach. *L. U.* p. 377, *Syn.* p. 161; *Parmelia varia* Fr. *L. E.* p. 156.

Thallus flavidus vel substramineus granulosus vel granulato-inæqualis subdeterminatus vel fere indeterminatus, sæpius tenuis; apothecia concoloria vel flavo-pallescentia vel flavido-olivacea, margine thallino integro vel subintegro cincta; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—14, crassit. 0,005—8 millim.

Ad ligna, præsertim fabrefacta, vulgaris. Minus frequenter ad cortices. Rarius ad saxa. Raro supra terram.

Apothecia plerumque conferta et marginè flexuoso vel subanguloso-difformia. Plurimas varietates offert, et sat recedentes, ut facile pro diversis speciebus sumantur, si nexus jungentes negligantur. Var. *pleorytis* Ach. nihil est normale, sed forma margine apotheciorum thallino inflexo sæpe flexuoso. Thallus alioquin sæpe fere evanescens. In Alandia (Edwin Nylander) adest forma thallo albido-flavido subpulvereo et apotheciis olivaceo-nigricantibus, ad ligna. Hæc subsumatur sub var. 1) *conizæa* (*Lean. expallens* var. *conizæa* Ach. *L. U.* p. 374, *Lecid. orosthea* Sm.) differens a typica thallo leproso tenui albido-flavicante, apotheciis pallidis vel carneo-pallidis margineque thallino pulverulento cinctis; ad corticem pini et betulæ in Scandinavia rarius. *Lecan. strobilina* et var. *betulina* Ach. *Syn.* p. 171 non differunt a *conizæa* (et in America sept. etiam ad ligna nascitur). *Patellaria lutescens* DC. eadem est thallo crassiore albido-sulphureo subtiliter pulvereo, etiam in Suecia obvia (sed inde a me solum sterilis visa). — Magis differunt varietates sequentes, quæ fere sunt propriæ species. — Var. 2) *symmicta* (Ach. pr. p., Smmrf. *Lapp.* p. 81, Cr. Norv. 65, *Lecidea alabastrina* Ach. pr. p. [Nyl. *Herb. Mus. Fenn.* p. 86], *Biat. sæpincola* Fr. *S. V. Sc.*), thallo tenui vel tenuissimo flavo-albicante, apotheciis pallidis (vel pallido-testaceis vel pallido-flavis) biatorinis (ita ut ad *Lecideam vernalem* primo visu relata sit), interdum partim olivaceo-obscuris, sporis simplicibus; ad cortices læves et truncos putridos frequens, usque in Lapponia. Etiam thallo evanescente occurrit haud raro; at raro forma thallo subleproso (subdeterminato), saltem in Hogland (Edwin Nylander). Ad Holmiam legi formam lignicolam facie *holocarpæ*. — Var. 3) *aitema* (Ach. sub *Lecidea* in *L. U.* p. 178, *Syn.* p. 24), thallo flavido leproso, apotheciis nigris (lecideinis) convexis sat parvis, intus albidis, spo-

ris oblongis (simplicibus), long. 0,012—17, crass. 0,0045—0,0055 millim., gelatina hymenea iodo cœrulescente (dein sordide violacee tincta); "in sæpibus ligneis Sueciæ". — Var. 4) *sæpincola* (sub *Lecidea* in Ach. *Syn.* p. 35) est *symmicta* (thallo flavido granuloso vel granuloso-inæquali) apotheciis sordide rufescentibus vel nigris convexis (biatorino-lecideinis); sporæ oblongæ simplices vel (tenuiter) 1-septatæ, long. 0,010—17, crass. 0,0045—55 millim., gelatina hymenea ut in var. præcedente. Ad ligna (præsertim fabrefacta) in Suecia. Vix separanda a *symmicta*. Etiam fere ecrustacea invenitur. — Var. 5) *intricata* (Ach. *L. U.* p. 380, *Syn.* p. 154, *Lecan. mutabilis* Smmrf. *Lapp.* p. 82), thallo albo-flavescente vel cinereo-flavescente, tenui vel fere mediocri, areolato, apotheciis sordide testaceo-pallidis vel fuscescentibus vel fuscis vel nigricantibus (latit. circa 1 millim.), planis aut convexulis, lecanorinis (vel sæpe demum lecideino-biatorinis); sporæ ellipsoideæ vel oblongo-ellipsoideæ simplices, long. 0,010—13, crass. 0,005—7 millim. Ad saxa passim; ad corticem betulæ raro (saltem in Alkkula eam legit E. Nylander, immixtam cum *symmicta* transeunte in *polytropam*). *Biatora viridi-atra* Stenh. *L. S. exs.* 403, Fr. *L. S. exs.* p. 277, est f. *intricatæ* hypothallo distinctiore et thallum limitante, apotheciis nigris vel fusco-nigricantibus (biatorino-lecideinis), sporis long. 0,011—15, crass. 0,005—7 millim., dicenda f. *viridi-atra*. Ad saxa in Suecia media et Finlandia meridionali rarius. Spermatiis (ut in *varia* et *subfusca*) se huc pertinere ostendit, quamvis faciei sit Lecideæ. Terrestrem legit cel. Schimper in Dovre *intricatam*, thallo disperso-granuloso, apotheciis lecanorinis subæruginosis (vel flavido-suffusis) vel nigricantibus. Convenire videtur cum f. *leptacina* (Smmrf. *Lapp.* p. 96) muscicola, supra Andreæas in Nordlandia copiosa (Sommerfelt). — Var. 6) *polytropa* (Ehrh., *Lecidea Ehrhartiana* var. *polytropa* Ach. *L. U.* p. 192, *Syn.* p. 47, Smmrf. *Lapp.* p. 82), similis *intricatæ*, sed apotheciis pallidis (vel thallo fere concoloribus vel carneo-flavidis vel carneo-testaceis) planis aut convexis; ad saxa in Scandinavia frequentissima. *L. ocrinæta* β *conglobata* Smmrf. *Lapp.* p. 83 forma videtur apotheciis convexis flavido-ochraceis, accedens vel confluens cum *symmicta*. F. *illusoria* (Ach. *L. U.* p. 380) est *polytropa* thallo macriore vel evanescente vel nulla, apotheciis dispersis flavidis vel pallido-flavidis. — Var. 7) *hypopta* (Ach *Meth.* p. 61 sub Lecidea, *Lecid. luteola* var. *hypopta* Ach. *L. U.* p. 196), thallo tenui sordide flavido ruguloso vel subgranuloso aut nullo, apotheciis fuscis biatorinis, margine nullo (vel pallido, in junioribus præsertim visibili) plana vel convexiuscula (latit. circa 0,4—0,8 millim.); sporæ ellipsoideæ vel oblongæ simplices (vel septo obsoleto vel interdum tenui), long. 0,009—0,016, crass. 0,004—6 millim. Ad ligna in Suecia et Finlandia rarius. Interdum ambigua. Statu tali ecrustaceo et absque spermogoniis non certe determinanda. Proles ejusmodi dubiæ in herbariis aliquando occurrunt.

* L. SARCOPIS (Whlnb.) Ach. *Syn.* p. 77; *Lecanora varia* var. *sarcopis* Ach. *L. U.* p. 378 (excl. syn. Hffm.). — Thallus flavido-cinerascens vel nonnihil sordide flavidus (sæpius sat tenuiter) granulosus (rarius crustam crassiusculam formans), sæpe subeffusus; apothecia carneo-rufa vel subrufa, plana vel convexiuscula (latit. circa 0,5—0,9 millim.), margine thallino crenulato cincta; sporæ ellipsoideæ long. 0,008—0,012, crass. 0,006—8 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein sordide violacee tincta. — Ad ligna in Lapponia; in Finlandia frequens (verisimiliter saltem in Suecia boreali). F. *ravida* (Ach. *L. U.* p. 378, *Lecan. symmicta* var. *apochræa* Ach. *Syn.* p. 340) est *sarcopis* ecrustacea, modo apotheciis margine thallino leviter crenulato cinctis. *Lecanora effusa* (Pers., DC.) Ach. *L. U.* p. 386, *Syn.* p. 159 (*L. varia* var. *pinara* et *apochræa* Ach. *L. U.* p. 379), est forma thallo subleproso tenui et et apotheciis margine thallino pulvereo vel tenui subcrenulato cinctis. Occurrit quoque in Suecia (ex hb. Ach.) apotheciis demum biatorinis.

* **L. orosthea** Ach. *L. U.* p. 400; *Lecidea orosthea* Ach. *Syn.* p. 37; *Parm. orosthea* Fr. *L. E.* p. 180. — Thallus sulphureo-flavidus sat tenuis areolato-rimulosus vel subpulverulentus; apothecia subconcoloria vel flavido-carnea (latit. circa 0,5—0,8 millim.) convexa vel tuberculoso-difformia, interdum sordida vel subpruinosa; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ, long. 0,009—0,016, crass. 0,006—7 millim. — Ad saxorum et rupium latera (sæpe fere infera) in Scandinavia passim, usque saltem (septentrionem versus) in Fennia media.

Vix separanda a *symmicta*, quam sistere videtur saxicolam (vixque aliter quam statione differentem). Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

** **L. sulphurea** Ach. *L. U.* p. 399; *Lecidea sulphurea* Ach. *Syn.* p. 37; *Parm. sordida* var. *sulphurea* Fr. *L. E.* p. 179. — Thallus dilute sulphureus vel albido-flavicans crassiusculus vel mediocris rimoso-diffractus vel rimulosus; apothecia pallido-nigricantia (vel pro parte pallescentia) vel subnigra biatorina convexiuscula (sæpe quasi leviter glaucescentia); sporæ long. 0,010—16, crass. 0,005—6 millim. — Ad saxa rarius. E Lapponia non visa.

Etiam hæc accedit forte nimis *polytropæ*, et ægre sit removenda e numero varietatum maxime polymorphæ *Lecanoræ variæ*. Interdum confluens conspicitur cum *orosthea*. Corticola (in Gallia) omnino confluit cum *symmicta*. — Var. *leucogæa* Ach. *L. U.* p. 400 ("in rupibus ad litora lacus Wettern") differt thallo lacteo molliore (superficie subpulverulen-

ta) inæquali; ulterius observanda. Apothecia ejus nigricantia subpruinosa.

31. **L. argopholis** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 346, *Syn.* p. 147; *Parmelia frustulosa* Fr. *L. E.* p. 141 pr. p.

Thallus albido-stramineus vel albido-flavicans vel albidus verrucoso-granulosus firmus, granulis ambitus subcrenatis; apothecia fusco-nigricantia (latit. 1—3 millim.), margine thallino integro aut crenato cincta; sporæ long. 0,011—18, crass. 0,007—9 millim.

Ad rupes irrigatas umbrosas per radices alpium Finmarkiæ passim copiose (Wahlenberg). Deinde in alpibus Norvegiæ usque in Dovre. Quoque in insula Walamo Finlandiæ orientalis.

Arcte affinis *Lecanoræ subfuscæ*, thallo glebuloso-granulato (vel grossius granulato) flavescente, apotheciis constanter fusco-nigrescentibus. Thallo magis flavido, confertius granulato, est var. *thiodes* (Spr.). Variat dein granulis plus minus sparsis et supra planiusculis (etiam in Dovre).

32. **L. frustulosa** (Dicks., Sm. *E. Bot.* t. 2273); *Lecanora Ludwigii* Ach. *L. U.* p. 406, *Syn.* p. 188; *Lecan. hydrophila* Smmrf. *Lapp.* p. 91 (ex hb. Schmp.).

Thallus albido-flavescens vel albo-sulphureus areolatus vel verrucoso-areolatus, areolis (vel glebulis) lobatis vel magis evolutis (latit. circa 4 millim.) subradiato-effiguratis, confertis vel sæpius discretis (dispersis); apothecia fusco-nigra plana vel convexiuscula (latit. circa 1 millim. vel paullo ultra), faciei biatorinæ, margine thallino integro vel crenato demum excluso; sporæ longit. 0,010—12, crassit. 0,006 millim.

Ad saxa subalpina interdum irrigata in Nordlandia (Sommerfelt) et in alpe Dovre (Schimper).

Affinis (et forte nimis præcedenti), sed notis allatis distincta. *Lichen insulatus* Ram. huc relatus in Fr. *L. E.* p. 141, hujus non est loci.

33. **L. atrosulphurea** (Whlnb.) Ach. *Syn.* p. 149, Smmrf. *Lapp.* p. 99; *Parmelia atrosulphurea* Fr. *L. E.* p. 160.

Thallus sulphureo-pallescens rugoso-inæqualis crassiusculus rimosus vel subareolatus; apothecia nigra innata (fere mediocria), denique convexa (marginem thallinum excludentia); sporæ long. 0,010—12, crass. 0,005—6 millim.

In Finmarkia et Nordlandia ad saxa sicca, ex Wahlenberg et Sommerfelt.

Lichen hic nonnihil dubie separatur a *L. variæ* varietatibus. Accedit ad *polytropam*, sed est apotheciis suis atris peculiaris. Thallus interdum minus evolutus macrior (Smmrf. l. c.), qualis forma forte huc referenda etiam in Finlandia lecta.

34. **L. epanora** Ach. *L. U.* p. 377, *Syn.* p. 161; *Parmelia epanora* Ach., Fr. *L. E.* p. 161.

Thallus flavidus granulosus, passim citrino-sorediosus, sat tenuis, granulis vel contiguis vel sæpius nonnihil dispersis, hypothallo nigricante vel obsoleto; apothecia cerino-flava vel sordide carneo-flavida vel luteo-pallida plana (latit. circa 1 millim.), margine thallino flexuoso vel subcrenato cincta; sporæ longit. 0,008—0,011, crassit. 0,005—7 millim.

Ad saxa in Scandinavia rara (in Suecia et Norvegia, ex Ach. et Fr.; in Walamo eam legit. cl. H. Backman). Frequentior videtur esse ad rupes præruptas in montanis Europæ mitioris. Spermatia ut in *varia* et *subfusca*.

35. **L. erysibe** (Ach. *Meth.* p. 62 sub Lecidea); *Lecidea luteola* var. *erysibe* Ach. *L. U.* p. 196, *Syn.* p. 41 (pr. p.); *Biatora erysibe* Fr. *L. E.* p. 271.

Thallus olivaceo-cinereus vel virescenti-olivaceus (vel sordide cinereus) leproso-granulosus, sat tenuis, diffractus; apothecia fusco-rufa vel livido-testacea innata planiuscula vel convexiuscula (latit circa 1 millim., vel minora), margine thallino sæpe minus distincto; sporæ oblongo-ellipsoideæ simplices vel sæpius tenuiter 1-septatæ, longit. 0,010—14, crassit. 0,004—5 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad muros et lapides calcareos forte non nimis rara in Suecia, et usque in Alandia (Edwin Nylander).

36. **L. pupillaris** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus macula albida (in ligno, cui adnascitur) indicatus dilatata, sat determinata; apothecia pallide fuscescentia, fere mediocria vel parva, erumpentia, demum prominula, margine (sæpe leproso) inflexo cincta; sporæ globuloso-ellipsoideæ simplices, longit. 0,014—15, crassit. 0,010—11 millim., paraphy-

ses satis graciles. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein violacee tincta.

Ad ligna cariosa (pini et alia) in Suecia (hb. Ach.) et Finlandia (ad Helsingfors) rara.

Facie fere Phlyctidis, sed forte affinis *subfuscæ*. Tamen spermatia nondum vidi, quare de loco vero incertus sum. In hb. Ach. posita adest prope "Lecanoram pulicarem" (Pers.) Ach., nota adscripta "Limboria?"; sed typus *pulicaris* Pers., ex Hercynia, non differt a *L. subfusca* f. *glabrata* lignicola.

37. **L. Sambuci** (Pers.). — *Lecanora scrupulosa* Fr. *L. S. exs.* 320 (non Ach.), Krb. *S. L. G.* p. 144.

Thallus albidus vel cinerascens tenuissimus effusus granulosus vel subleprosus vel fere evanescens; apothecia fusca vel fusco-rufescentia minuta (latit. circa 0,5 millim. vel minora) plana, margine thallino albo vel albido crenulato cincta; sporæ circa 16^{næ} ellipsoideæ simplices, longit. 0,008—0,012, crassit. 0,005—7 millim.

Ad corticem arborum et arbustorum in Europa præsertim media haud rara. Etiam in Suecia.

Est *Lichen crenulatus* et *L. Sambuci* Pers., ex ipsius speciminibus. Faciem habet *umbrinæ* (supra p. 162), et vix nisi thecis magis polysporis certe ab ea est dignoscenda. Sporæ raro 8^{næ}, in iisdemque apotheciis simul 12 et 16^{næ}; in aliis speciminibus thecæ 16—32-sporæ.

38. **L. athroocarpa** Dub. *Bot. Gall.* 2, 669, Nyl. *Prodr.* p. 88; *Lecanora anomala* var. *ochrostoma* Ach. *L. U.* p. 383; *L. Hageni* var. *syringea* Ach. *L. U.* p. 163, *Syn.* p. 168; *L. metabolica* Ach. *L. U.* p. 351, *Syn.* p. 153.

Thallus albidus tenuissimus vel vix ullus distinctus; apothecia sordide livido-fuscescentia vel fusca, tenuiter pruinosa (vel nudiuscula), sat parva vel fere mediocria, margine thallino integro cincta (vel biatorina); sporæ 8—16^{næ} oblongæ (utroque apice obtusæ), (1—)3-septatæ, longit. 0,012—17, crassit. 0,005—6 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein vinose vel violacee tincta.

Ad populos et alias arbores (etiam ramos Syringæ) in Scandinavia usque in mediam atque Finlandiam saltem meridionalem

proveniens. — Etiam ad muros (terram calcaream) ruinarum arcis in Kajana (K. P. Malmgren), sporis 3-septatis (8nis) parum differens a f. *conferta* (Dub., Fr. *L. E.* p. 155), apotheciis glauco-cinereis.

* L. DIMERA Nyl. in Mus. Fenn. — Differt thallo (effuso vel subeffuso) vix ullo, apotheciis biatorinis pallide fuscescentibus vel subfuscis nudis (vel subnudis) convexis; sporæ 8næ oblongæ 1-septatæ, longit. 0,012—18, crassit. 0,005—0,0065 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens vel vinose violacea. — Ad populos in Scandinavia rarius, in Finlandia usque in Satakunta (A. J. Malmgren). — *Lecan. cooperta* Ach. *Syn.* p. 339 est *athroocarpa* saxicola (ex Helvetia in hb. Ach.), apotheciis fuscis vel sordide fusco-rufescentibus planis nudis (margine haud prominulo). Nomen *athroocarpa* potius retinui, quum nomen "metabolica" jam diu alio sensu adhibitum fuit atque primitus modo formam biatorinam et minus bene evolutam hujus speciei respicit.

39. **L. rhypariza** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 296.

Thallus pallidus vel pallide lurido-cinerascens granulosus vel granuloso-squamulosus, granulis vel squamulis sublobulato-concrescentibus aut interdum subdispersis; apothecia fusca plana (latit. 1—2 millim.); sporæ oblongæ vel cylindraceo-oblongæ simplices, longit. 0,021—27, crassit. 0,006—7 millim.

Supra terram alpinam in Dovre (W. P. Schimper). Forte non nimis rara in alpibus scandinavicis.

Species distinctissima, facie tamen externa accedens ad *L. turfaceam* vel ad ei affines. Apothecia interdum demum leviter convexiuscula, margine thallino integro tandem excluso, faciei sæpe lecideinæ.

††. — *Spermatia recta (sterigmata simplicia).* — Species *40—43.*

40. **L. nephræa** Smmrf. *Lapp.* p. 103; *Parmelia nephræa* Fr. *L. E.* p. 151.

Thallus brunneus vel ferrugineo-fuscus areolato-granulatus, areolis (sat parvis vel fere mediocribus) convexulis subdispersis; apothecia nigra vel fusco-fuliginea plana (latit. circa 1—1,5 millim.), margine thallino flexuoso crenulato cincta; sporæ parvæ ellipsoideæ simplices, longit. circa 0,008—9, crassit. circa 0,0045 millim.

Ad saxa micaceo-schistosa inferalpina prope Fiskevaag in Saltdalen Nordlandiæ (Sommerfelt). "In schisto aluminis prope Christiania" (Blytt, ex Fr. l. c.).

Thallus Lecideæ areolatæ cuidam haud absimilis, recte observante Sommerfelt. Hypothallus tenuis niger. Gelatina hymenea iodo cœrulescens. Specimen a cl. Norman missum examinavi, sed spermogonia in eo non vidi.

41. **L. badia** Ach. *Syn.* p. 154; *Parmelia badia* Fr. *L. E.* p. 147 pr. p.; *Lichen picinus* Dicks. *Cr. Br.* 4, t. 12, f. 5.

Thallus olivaceo-fuscus vel badio-fuscescens vel fusco-cinerascens nitidiusculus granulato-areolatus; apothecia badio-fusca vel fusco-nigra nitidiuscula, margine thallino integro (vel sæpius paullo crenulato); sporæ fusiformi-ellipsoideæ, longit. 0,009—0,015, crassit. 0,004—6 millim.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris.

Huc pertinet *L. badia* varr. *fuscata* et *amaura* Ach. *L. U.* p. 407, 408. Spermatia long. 0,007—0,010, crass. 0,001 millim. Variat (var. *cinerascens* Nyl.) thallo cinerascente, passim obvia. Variat quoque typus in Scandinavia thallo obscuriore magis opaco. Variat apotheciis convexis. — Variat adhuc terrestris (qualis lecta in alpe Dovre Norvegiæ a cel. W. P. Schimper), thallo cinerascente vel cinereo-badio grossius granuloso vel granulis deplanatis squamuliformibus, crustose congestis, apotheciis majusculis (latit. circa 1,5 millim.) subopacis; sporæ ei fusiformi-ellipsoideæ, long. 0,012—16, crass. 0,005—6 millim. Supra terram argillaceam crescens.

42. **L. atriseda.** — *Parmelia badia* var. *atriseda* Fr. *L. E.* p. 149.

Thallus fuscus vel brunneo-fuscus granulosus (granulatus vel contiguus vel dispersus), hypothallo tenui nigro (interdum parum visibili); apothecia fere concoloria vel magis fuscescentia planiuscula, margine thallino haud prominulo; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,008—0,012, crassit. 0,006—7 millim.

Ad saxa, saltem in Suecia media et in Finlandia meridionali haud rara. Forsan nonnisi varietas præcedentis; sed constans mihi visa.

43. **L. atra** Ach. *L. U.* p. 344, *Syn.* p. 143 (excl. varr.), Nyl. *Prodr.* p. 90.

Thallus albidus vel albido-cinerascens granulosus vel granulato-inæqualis; apothecia atra mediocria (intus etiam nigricantia), margine thallino integro (sæpe flexuoso vel subcrenulato) cincta; sporæ ellipsoideæ longit. 0,010—0,015, crassit. 0,006—7 millim., hymenium sordide violacee tinctum.

Ad saxa, cortices læviores et ligna in tota Scandinavia sat frequenter vel in magis boreali passim (sæpius ad saxa).

Huc pertinet *L. atra* Ach. *L. U.* p. 344, exclusis varr. Hypothallus nigricans interdum thallum limitans. Tamen var. *grumosa* Ach. l. c., etiam in Suecia ad saxa obveniens, est ejus varietas thallo cæsio-cinerascente (vel trito passim albicante), plerumque crassiusculo, superficie leprose fatiscente.

†††. — *Species loci incerti.* — Species 44.

44. **L. granatina** Smmrf. *Lapp.* p. 90; *Parmelia granatina* Fr.

Thallus fusco-rufescens vel rubricose-rufescens crustam e "granulis parvis interdum crenulatis" vel "superficie granulosam" rimoso-diffractam formans; apothecia rufo-rubella parva (latit. 0,3—0,4 millim.), vix prominula, margine thallino tenui, rarius subcrenulato, cincta, vel fere biatorina; sporæ oblongæ, longit. 0,010—12, crassit. 0,045—55 millim., paraphyses mediocres (vel fere crassiusculæ). Gelatina hymenea iodo vix tincta, sed thecæ intense cœrulescentes.

In Norvegia ad saxa aprica (Sommerfelt).

Species singularis et incerti loci ob spermogonia ignota. Specimiculum solum vidi (missum a cl. Norman). Crusta "quasi alba fuisset et rubro tincta esset videtur" dicit Sommerfelt, l. c. Et sane superficies thalli *Protococco magmate* Bréb. quasi tenuiter obducta conspicitur. Intus adsunt gonidia vera. Thecæ superne pariete valde incrassato (fere ut in Arthoniis).

G. — *Stirps* Lecanoræ rubræ. *Apothecia læte rubra, sporæ 8næ incolores distincte 3-septatæ.* — Species 45.

45. **L. rubra** Ach. *L. U.* p. 389, *Syn.* p. 177; *Parmelia rubra* Ach., Fr. *L. E.* p. 134.

Thallus albidus vel albus tenuis effusus; apothecia roseo-rubra vel carneo-rubra concaviuscula, margine thallino crenu-

lato cincta; sporæ oblongæ vel oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,016—23, crassit. 0,005—8 millim.

Ad truncos (præsertim quercuum vetustarum) in Suecia (usque in mediam) parce.

Habitu haud parum convenit cum *Gyalecta cupulari*, sed apothecia margine thallino conspicuo albo vel albido recipiuntur. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens. Spermatia nondum vidi.

H. — *Stirps* Lecanoræ ventosæ. *Sporæ incolores elongato-fusiformes majusculæ. Spermatia recta.* — Species *46—48.*

46. **L. hæmatomma** Ach. *L. U.* p. 388, *Syn.* p. 178; *Parmelia hæmatomma* Ach., Fr. *L. E.* p. 154.

Thallus sulphureus vel albido-flavescens pulverulentus (leprosus) effusus, interdum crassiusculus; apothecia coccinea vel coccineo-fuscescentia innata mediocria, margine pulveris thallini plerumque vix conspicuo; sporæ 3—7-septatæ, longit. 0,035—0,060, crassit. 0,006—7 millim.

Ad latera rupium (locis subumbrosis) per Scandinaviam totam passim, usque ad Mare Glaciale. Raro ad corticem quercus (etiam in Suecia, ex hb. Ach.); est "var. coccinea" Ach. *L. U.* p. 388.

Var. *porphyria* Ach. *L. U.* p. 389, *Syn.* l. c., est *hæmatomma* thallo dealbato, qualis haud raro invenitur. *Lecidea callosyne* Ach. *L. U.* p. 205, ex Omberg, est eadem apotheciis convexis; *L. saxetana* Ach. ibid. non differt, nec *Lecan. Stonei* Ach. — *Lepraria chlorina* Ach. typi sit status sterilis thallo crassiore sulphureo.

47. **L. elatina** Ach. *L. U.* p. 387; *Parmelia elatina* Fr. *L. E.* p. 154; *Lecan. lutescens* Ach.

Thallus albidus leprosus sat tenuis; apothecia testaceo-fuscescentia planiuscula (latit. 1—2 millim.), margine thallino excluso (faciei biatorinæ); sporæ fere ut in præcedente (vel sæpius simplices), at plerumque curvatæ.

Ad cortices usque in Suecia montana, in Helsingia, raro (ex Stenh. L. S. exs. 104, lecta a D. Alfr. Hartman).

48. **L. ventosa** Ach. *L. U.* p. 399, *Syn.* p. 159; *Parmelia ventosa* Ach., Fr. *L. E.* p. 153.

Thallus sulphureus vel substramineus vel pallido-flavescens crassiusculus (crass. circa 1—2 millim. vel paullo ultra) verrucoso-rugosus subareolato-diffractus determinatus firmus; apothecia rufo-rubricosa plana vel convexiuscula (latit. circa 2—3 millim.), faciei biatorinæ (margine scilicet thallino jam in juvenilibus excluso); sporæ 5—7-septatæ, longit. 0,040—55, crassit. 0,004—5 millim. (sæpius leviter curvatæ vel tortæ).

Ad saxa, præsertim locis ventosis vel elatioribus, in Scandinavia passim. In Lapponia frequenter.

Variat rarius thallo albido, nomen vero peculiare talis status dealbatus non meretur, nam in eodem specimine (æque ac in *hæmatommate* var. "callosyne" Ach.) partem thalli interdum conspicere licet colorem typicum conservantem.

I. — *Stirps* Lecanoræ cervinæ *(vel chlorophano-cervina). Apothecia thecis polysporis. Spermatia minuta oblongo-ellipsoidea sterigmatibus simplicibus infixa.* — Species *49—52.*

49. **L. chlorophana** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 436, *Syn.* p. 183; *Parmelia chlorophana* Whlnb., Fr. *L. E.* p. 117.

Thallus læte flavus vel citrino-flavus verrucoso-areolatus vel granulato-rugosus et ambitu radiosus (vel radioso-plicatus) vel saltem lobatulo-crenatus; apothecia concoloria (vel interdum carneo-flava), demum convexa et faciei biatorinæ; sporæ oblongæ minutissimæ, longit. circa 0,002—3, crassit. 0,001 millim.

In alpinis ad saxa passim.

In Scandinavia non lecta fuit var. *oxytona* (Ach.), quæ differt apotheciis lecanorinis (margine thallino sæpe valde flexuoso) subconcoloribus vel sordide pallido-flavescentibus; in montibus Europæ mitioris obvia, at ab ea distinguenda sit specie *L. hilaris* Duf., hispanica, thallo multo magis deplanata tenuiore (habitu prope ut in *L. oreina,* at colore alio, citrino), et similiter *L. tersa* (Fr. *L. E.* p. 118), e Gallia meridionali (*L. Schleicheri* var. *microcarpa* Nyl. *Prodr.* p. 81).

50. **L. molybdina** (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 430, *Syn.* p. 185; *Lichen molybdinus* Whlnb. *Lapp.* p. 418, t. 29, f. 1 *(a—c); Parm. molybdina* Fr. *L. E.* p. 126.

Thallus fusco-nigricans areolato-granulatus, ambitu radiosus vel radiato-plicatus, radiis convexis contiguis linearibus; apothecia (in areolis innata) concoloria vel magis nigricantia con-

cava (sat parva); sporæ oblongo-cylindricæ, longit. 0,003—4, crassit. 0,0015 millim.

Ad scopulos secus Mare Glaciale passim frequenter; dein secus oram occidentalem Norvegiæ usque ad Christianiam (Blytt, ex Fr. l. c.).

Spermogonia et spermatia sicut in *L. cerina.* — Var. *microcyclos* (Whlnb. l. c., f. *f)* differt minor, thallo tenuiore, radiis minus convexis. Var. *ereutica* (Whlnb. l. c., f. *d—e)* vix differt a typo, nisi thallo magis deplanato, apotheciis margine proprio (præter thallinum). Var. *hysgina* (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 430, thallo fusco squamuloso rimoso-radiato minore (latit. rosulæ thalli circa 5—6 millim.), apotheciis urceolatis absque margine proprio. Omnes hæ varietates cum typo ad Mare Glaciale obvenientes.

51. **L. badiofusca** Nyl. in *Hrb. Mus. Fenn.* p. 110.

Thallus fuscus vel badio-fuscus grossiuscule granulosus vel verrucoso-areolatus fere nitidiusculus, granulis convexiusculis difformibus (latit. 0,5 millim. vel latioribus) contiguis (sæpe concrescentibus) rugulosis; apothecia nigra opaca (latit. circa 1 millim.) plana innata, margine thallino depresso cincta; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,004, crassit. 0,002—0,0025 millim.

Ad saxa granitica in Enari Lapponiæ (Edwin Nylander).

A *L. cervina* mox differt thallo verrucoso obscuriore subnitidiusculo, apotheciis atris; facie est fere *Lecanoræ atrisedæ* majoris, thallo magis contigue granulato. Thallus latit. 2-pollicaris et ultra.

52. **L. cervina** (Pers.) Ach. *Syn.* p. 188 (pr. p.); *Lichen cervinus* Pers. (ex hb. Ach.); *L. squamulosus* Schrad.; *Myriospora macrospora* Hepp *Flecht.* 58.

Thallus cervinus vel badio-pallescens aut badio-fuscescens squamulosus, squamulis adnatis; apothecia fusca vel obscure fusca opaca plana (latit. circa 1 millim., vel nonnihil majora vel minora), margine thallino sæpius depresso (nec demum supra epithecium prominente); sporæ oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,008—0,011, crassit. circa 0,004—6 millim.

Specimen habeo e collectione Torselliana (datum a beato Marklin), sed nescio an sit e Suecia vel Norvegia (ad calcem primitivæ formationis). Rara videtur in Scandinavia hæc typica *cervina,* sed *fuscata* Schrad. (vix specie distinguenda) vulgaris.

Est præcipue sporis crassioribus distincta a sequentibus, quæ ægre specie separandæ sint, ita enim confluere videntur. Paraphyses mediocres vel crassiusculæ, et bene evolutæ articulatæ.

* L. GLAUCOCARPA (Whlnb.) Ach. *L. U.* p. 410, *Syn.* p. 189; *Lecanora cervina* α *glaucocarpa* Smmrf. *Lapp.* p. 106; *Lecidea daphæna* Ach. — Thallus fere ut in *cervina* typica, vel squamulis nonnihil majoribus vel validioribus, sordide pallescenti-lividis vel lurido-fuscis (interdum subimbricatis, sæpius dispersis); apothecia fusco-rufescentia (vel rarius nigricantia), cæsio-pruinosa vel nuda, majora (latit. 1—3 millim.); sporæ oblongo-bacillares, long. 0,003—6, crass. 0,0015—0,0025 millim. — Ad saxa calcarea Scandinaviæ (in regionibus calcareis) passim; etiam in Lapponia. Apotheciis solis obveniens transire videtur (*Biatora* — Fr. *L. E.* p. 269) in *L. pruinosam*. Paraphyses vulgo mediocres, sed variant nonnihil graciliores.

** L. FUSCATA (*Lichen fuscatus* Schrad. *Spicil. Fl. Germ.* p. 83; *Lecan. badia* α et γ Ach. *L. U.* p. 407 [α pro max. p.]; *Sagedia rufescens* Ach. *L. U.* p. 329, *Syn.* p. 135; *Lecid. rufescens* Borr. *E. Bot.* suppl. t. 2657; *Lecan. cervina* Ach. *Syn.* p. 188 pr. max. p.; *Lecidea incusa* Ach. *Syn.* p. 33). — Differt a typo (thallo subsimili areolato-squamuloso) apotheciis sæpius minoribus (junioribus punctiformibus), sporis tenellis oblongo-cylindraceis (long. 0,003—4, crass. 0,001—0,0015 millim.). — In Scandinavia ad rupes vulgaris, et haud parum variabilis. Paraphyses gracilescentes. — F. *smaragdula* (*Endocarpon smaragdulum* Whlnb. *Lapp.* p. 460, Ach.) parum differt squamulis thallinis (planis vel convexiusculis) pallescentibus sæpius discretis, apotheciis minutis (interdum punctiformibus nonnullis in singula squama thalli); passim, præsertim in Lapponia. — F. 2) *sinopica* (*Lichen sinopicus* Sm. *E. Bot.* t. 1776, *Endocarpon sinopicum* Whlnb., Ach., *Lecan. cervina* var. *sinopica* Schær. *Enum.* p. 55) est *fuscata* (vel potius f. *smaragdula*) thallo ferruginose tincto (ab oxido ferroso hydratico); ad rupes ferrosas passim. — *Lecidea privigna* Ach. *Meth.* p. 49 (*L. U.* p. 359, *Syn.* p. 151) est adhuc forma subsimilis *discretæ*, sed magis macra et nigrescens; in Anglia ad saxa arenaria (ex hb. Ach., non vero huc pertinet specimen ab eo citatum gallicum Persoonii).

*** L. PELISCYPHA Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 41 (sub Parmelia); *Lecan. cervina* var. *sagedioides* Nyl. in his *Notis.* IV, p. 5) arcte affinis *fuscatæ*, thallo cervino-fuscescente (squamulis sæpe crenatis parum convexis) areolato-diffractus subnitidiusculus vel (squamulis convexioribus glebulosis) verrucoso-squamulosus (magisque nitidiusculus); apothecia medio papillose prominula vel corrugata; sporæ ut in *fuscata*. — Ad saxa rarius, præsertim ad scopulos marinos. Variat thallo vel subopaco vel nitidiusculo; forma squamulis convexis verrucosis faciem

habet fere (quoad thallum) *Lecanoræ atrisedæ* (si hypothallum excipias). *Lecanora badia* var. *discreta* Ach. *L. U.* p. 407 est forma faciei *smaragdulæ*, sed thallo castaneo-fusco (squamulis subdispersis vel dispersis) et apotheciis sæpe papillatis (margine tumidulo thallino cinctis); raro obvia in Lapponia et in insula Hogland (Edwin Nylander). Hæc f. *discreta* se habet ad *peliscypham* sicut *smaragdula* ad *fuscatam*.

**** L. EUCARPA (Nyl. *Coll. Gall. mer. Pyr.* p. 14, *Prodr.* p. 146, sub Lecidea, *Sarcogyne privigna* var. *clavus* Krb. *S. L. G.* p. 266). — Ecrustacea, apotheciis lecideoideis nigris, humectatis nigro-rubentibus (latit. circa 2 millim.), sæpe nonnullis aggregatis et nonnihil flexuosis; sporæ long. circa 0,0045, crass. circa 0,002 millim. — Ad saxa gneissacea in Wihtis Finlandiæ australis. Descendit, ut mihi visum est, e *glaucocarpa* (thalli hujus vestigiis distinctis eam in Dovre legit cel. Schimper).

***** L. PRUINOSA (Nyl. *Alger.* p. 332, *Prodr.* l. c., *Lichen pruinosus* Sm. *E. Bot.* t. 2244 [excl. syn. Ach.], *Sarcogyne pruinosa* Krb., *Lecidea lutosa* var. *glareosa* Ach. *L. U.* p. 671). — Ecrustacea, apotheciis fere mediocribus vel minoribus planis cæsio-pruinosis (vel nudis), epithecio humido rufescente vel nigro-rubente, intus totis albidis, sporis minutis oblongo-cylindraceis; ad lapides et muros in Suecia magis australi forte haud rara. Etiam "supra terram glareosam firmiorem in Suecia" (Ach.). — *L. simplex* Dav., Nyl. *Prodr.* l. c. (Opegr. Persoonii var. strepsodina Ach. *L. U.* p. 247), apotheciis minoribus nigris varie corrugatis vel plicatis, sporis minutissimis, ad saxa in Europa media passim vigens, in Scandinavia nondum lecta sit.

VIII. — **URCEOLARIA** Ach. pr. p., Nyl.

Genus hoc parum differt a *Lecanora*. Thallus crustaceus. Apothecia urceolato-impressa, sporis 8nis fuscis septato-divisis. Spermogonia sterigmatibus ramosiusculis (ut in stirpe *Lecanoræ parellæ*), spermatiis cylindricis. — Externo habitu accedit stirpi *Lecanoræ cinereæ*, nec forte distinguenda sit genere *Urceolaria* a *Lecanora*, tamen typus illius sat distinctus.

1. **U. scruposa** Ach. *L. U.* p. 338, *Syn.* p. 142; *Parmelia scruposa* Fr. *L. E.* p. 195.

Thallus albido-cinerascens verrucoso-rugosus, continuus aut (sæpius) areolato-diffractus (areolis verrucoso-rugosis); apothecia nigra vel nigricantia (sæpe cæsio-suffusa), margine thallino, plerumque rugoso vel interius tenuiter crenulato, cincta;

sporæ 5-septatæ (vel septulis adhuc longitudinalibus uno alterove divisæ, interdum quasi murali-divisæ) longit. 0,026—38, crassit. 0,012—15 millim.

Ad saxa in Scandinavia sat frequenter, adhuc in Lapponia.

Variat thallus (mediocris) albidus vel cinerascens (magis cinerascens est var. *plumbea* Ach.), crassiore aut tenuiore. Variant apothecia majora (latit. 1—2 millim. vel minora). Gelatina hymenea iodo non tincta (vel leviter lutescens). Sterigmata perperam in Tul. *Mém. Lich.* t. 4, f. 14, simplicia adumbrantur et spermatia oblonga; illa semper vidi bifurcato-prolifera vel plerumque adhuc magis divisa, et spermatia cylindrica (long. 0,005—6, crass. 0,001 millim.). — Var. 1) *bryophila* Ach. *Meth.* p. 148, Nyl. *Prodr.* p. 96, differt statione supra muscos et lichenes vetustos et thallo tenuiore læviore vel minus rugoso; passim. Huc pertinet *Lecanora scruposa* var. *parasitica* Smmrf. *Lapp.* p. 100, quæ supra *Cladoniam pyxidatam* crescens evadit *Stictis lichenicola* Mnt. et Fr., thallo scilicet quam maxime depauperato (var. *ecrustacea* Nyl. l. c.). — Var. 2) *gypsacea* (*Urceolaria gypsacea* Ach. *L. U.* p. 338, *Syn.* p. 142, *Lecan. scruposa* var. *gypsacea* Smmrf. *Lapp.* p. 100, Cr. Norv. 61, *Gyalecta cretacea* Ach. *Syn.* p. 10), est *scruposa*, thallo ad calcem vel terram calcaream dealbato, superficie subpulverulenta, magis concrescente; in Scandinavia rara, adhuc in Nordlandia passim ad rupes (Sommerfelt). Erronee huc relata fuit *Urceolaria diacapsis* Ach., quæ non differt a *Lecanora calcarea* solita superficie thalli subfarinacea.

Subtrib. VII. — *PERTUSARIEI.*

Thallus crustaceus continuus verrucoso-inæqualis aut læviusculus. Apothecia in verrucis thalli inclusa vel recepta, endocarpoidea aut lecanoroidea; sporæ 1—2—4—8 in thecis, incolores, ellipsoideæ, magnæ vel majusculæ, pariete crasso vel crassiusculo munitæ; gelatina hymenea iodo intense cœrulescens (vel præsertim thecæ ita tinctæ). Spermatia acicularia.

IX. — **PERTUSARIA** DC.

Genus notis datis subtribus dignotum. Apothecia endocarpoidea aut lecanoroidea, aut interdum variolarioidea. Sporæ simplices. — Differt arcte affinis *Varicellaria* apotheciis typice variolarioideis et sporis adhuc majoribus 1-septatis.

A. — *Species thecis normaliter 1—2-sporis.* — Species *1—5.*

1. **P. bryontha** (Ach.); *Lecanora bryontha* Ach. *L. U.* p. 392, *Syn.* p. 156; *Pertusaria macrospora* Hepp *Flecht.* 424.

Thallus albus vel albidus tenuis obducens, granulis concoloribus sparsis sæpius inæqualis; apothecia sordide livido-hepatica vel sordide fuscescentia opaca (tenuiter rugulosa) lecanoroidea (latit. 1,5—3 millim., vel interdum paullo minora), margine thallino demum depresso vel excluso; thecæ monosporæ, sporæ longit. 0,150—0,230, crassit. 0,050—70 millim.

Supra muscos et gramina destructa in Lapponia rarius (Wahlenberg, Sommerfelt).

Facile pro *Lecanora* sumitur stirpis *cinereæ* vel *tartareæ*, sed notis analyticis potius hic locum habeat (æque ac analogæ species, ut ex. gr. *P. Wulfenii*, quæ etiam apothecia habent distincte lecanoroidea, et simul transitus ostendunt in apothecia endocarpoidea). Ecrustacea in Dovre (Schimper). *P. bryontha* in Th. Fr. Exs. 9 nominatur "Pionospora bryontha", sic dictum novum genus sine dubio, indolis Massalongo-Kœrberianæ, formans.

2. **P. communis** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 320, Fr. *L. E.* p. 420; *Porina pertusa* Ach. *L. U.* p. 308, *Syn.* p. 109.

Thallus albido-cinerascens glabriusculus vel rugosus verrucis obsitus crebris (vel ex iis quasi verrucoso-areolatus); apothecia (plerumque 2 vel nonnulla in quavis verruca tali thallina), ostiolis minutis punctiformibus (vulgo nonnihil depressis) nigris vel nigricantibus; sporæ (1—3 in quavis theca) longit. 0,130—0,160, crassit. 0,045—60 millim.

Ad cortices varios in Suecia præsertim meridionali et usque in mediam procedens. Adhuc in Alandia.

Endocarpon saxicola β rupicola Smmrf. *Lapp.* p. 135 sit *P. communis* saxicola (var. *areolata* [Clem., Ach.] Fr. *L. E.* p. 421); ad rupes in Nordlandia. Quoque typus saxicola in Suecia occurrit ex hb. Ach. Variat sporis paullo majoribus. Sub nomine "Porina pertusa var. *pinara*" Ach. in hb. adest *P. communis* ecrustacea apotheciis erumpentibus, in ligno pineo e Suecia. — Variat sterilis, statu variolarioideo, et est tunc *Variolaria communis* a. *orbiculata* Ach. *L. U.* p. 323, *Syn.* p. 130.

3. **P. coccodes.** *Isidium coccodes* Ach. *L. U.* p. 578, *Syn.* p. 283; *Pertusaria ceuthocarpa* Nyl. *Prodr.* p. 98 (Fr. *L. E.* p. 423 pr. p.).

Thallus albidus inæqualis fere leprosus (vel saltem pro parte subleprosus) rimulosus vel rimosus, ambitu linea obscura sæpius cincto; apothecia (in verrucis thallinis planiusculis sparsis, plura sæpius in singulis inclusa), ostiolis punctiformibus obscuris; sporæ 2^{næ} longit. 0,115—0,140, crassit. 0,040—60 millim.

Ad fagos in Suecia magis meridionali. Vix specie separanda a *P. communi*. *Lichen ceuthocarpus* Sm. *E. Bot.* t. 2372 est alia species omnino diversa.

4. **P. glomerulata** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* IV, p. 4, f. 2.

Thallus albidus rugoso-inæqualis passim rimulosus; apothecia (in verrucis thalli, 3—6 millim. latis, nodulosis vel glomerulosis et tenuiter rugosulis innata), ostiolis punctiformibus nigricantibus; sporæ 2^{næ} (rarius 4^{næ}), longit. 0,170—0,200, crass. 0,040—0,041 millim. (minores long. circa 0,065, crass, circa 0,022 millim.).

Ad corticem Quercus prope Aboam. Forsan non specie distincta a *P. communi* et *coccode*.

5. **P. velata.** *Parmelia velata* Turn. in *Trans. Linn. Soc.* IX (1808), t. 12, f. 1; *Lichen velatus* Sm. *E. Bot.* t. 2062; *Pert. nivea* Fr. *L. E.* p. 426 (verisimiliter).

Thallus lacteus vel albidus sublævigatus vel rugoso-inæqualis determinatus (sæpe ambitum versus obsolete radiato-rugosus), passim rimulosus; apothecia (in tuberculis parvis depressiusculis recepta) pallida (vel suffusa thallo concoloria) planiuscula (latit. circa 0,5 millim.) lecanoroidea; thecæ monosporæ, sporæ maximæ, longit. 0,214—0,310, crassit. 0,067—0,090 millim. (in specimine Turneriano).

Si huc pertinet, ut facile crederem, "Pertusaria nivea" Fr., etiam ad corticem fagi in Smolandia lecta esset. Obvenit alioquin in Hibernia, Gallia occidentali (Pelvet) et Lusitania (Welwitsch).

* **P. multipuncta.** *Variolaria multipuncta* Turn. in *Trans. Linn. Soc.* IV, p. 137, t. 10, f. 1, Ach. *L. U.* p. 321, *Syn.*

p. 129; *Lichen multipunctus* Sm. *E. Bot.* t. 2061; *Lecanora verrucosa* α Ach. *L. U.* p. 354; *Pertus. communis* var. *sorediata* Fr. *L. E.* p. 422 pr. p. — Thallus albidus vel albido-cinerascens sat tenuis granulato-inæqualis vel lævior rugosus rimosus; apothecia (in verrucis thallinis parvis vel fere mediocribus, latit. 0,5—1 millim. inclusa, sæpius sorediosis albis) extus vix vel rarius visibilia nigrescentia cæsio-pruinosa (vel in varietate lapponica denudata nigricantia lecanoroidea); thecæ monosporæ, sporæ longit. 0,106—0,140, crassit. 0,028—68 millim. — Ad corticem arborum, vel saltem fagi, in Suecia magis meridionali.

Latet sub "Variolaria communi" Ach. (pr. p.), nomen collectivum pro statibus variolosis *Pertusariæ communis* et proxime affinium. Sæpius occurrit verrucis apotheciiferis albo-farinaceis *(sorediata)*. — In Lapponia Kemensi legit Edwin Nylander varietatem, thallo tenui vel tenuissimo sublævi vel parum rugoso-inæquali, verrucis apotheciiferis sat confertis parvis (latit. circa 0,5 millim.), apotheciis 1 (rarius 2—3) in quavis verruca thallina, lecanoroideis nigricantibus, margine thallino rugoso vel subleproso coronatis; dicatur var. *ophthalmiza*. — *Variolaria globulifera* Turn., Ach. (Lichen globuliferus Sm. *E. Bot.* t. 2008) magis facie externa accedit typo (vel "Variolariæ communi" vulgari), sed verrucis apotheciiferis majoribus (latit. 2—4 millim.), vel integre corticatis vel albo-farinaceis sorediosis, sporis majoribus (long. 0,207—0,276, crass. 0,050—80 millim., in specimine Turneriano); forsan nimis tangens *Pertusariam communem* Sit *P. ocellata* Wallr., Krb., *globulifera* saxicola. — Var. *leucotera* Nyl., thallo albo, tenui subindeterminato (latit. 2—3-pollicar.) incrustante (superficie fere albo-suffuso), verrucis apotheciiferis (latit. 1—2 millim.) confertis (demum supra planiusculis ex epitheciis planis vel nonnihil depressis), apotheciis nigricantibus albo-suffusis (vel subcæsiis), thecis monosporis, sporis long. 0,125—0,160, crass. 0,060—70 millim.; ad Nidarosiam in Norvegia lecta a cel. W. P. Schimper. Affinis *ophthalmizæ*, sed major albior muscicola, apotheciis sæpius 2—4 in singula verruca thallina.

* * **P. dealbata.** *Lichen dealbatus* Ach. *Prodr.* p. 29; *Variolaria chlorothecia* Tayl. — Thallus albidus vel albido-cinerascens, superficie granuloso-inæquali vel papillosa, rimosus vel diffractus, sæpe late expansus, crassiusculus vel tenuior; apothecia (in verrucis thalli pulverulentis inclusa) epithecio obscuro (vel sordide glaucescente) planiusculo suffuso; sporæ 2^{nae} longit. 0,080—0,150, crassit. 0,050—82 millim. — Supra saxa in Suecia magis meridionali (ex hb. Ach.). In Europa

media passim sat frequenter. *Isidium corallinum* Ach. verisimiliter et *Variolaria corallina* Ach. statum sterilem hujus sistant. At occurrit fertilis thallo tenui læviore vel tenuissimo lævigato ad cortices in Europa media sat frequens. — Fig. 7 thecam dat sporas continens, speciminis suecici in hb. Ach.

B. — *Species thecis normaliter 4—8-sporis.* — Species *6—10.*

6. **P. Wulfenii** DC., Fr. *L. E.* p. 424; *Porina fallax* (Pers.) Ach.; *Porina rugosa* Ach.

Subsimilis *Pertusariæ communi*, sed thallo nonnihil flavescente (albido-flavescente vel cinereo-flavescente, interdum pallido), apotheciis sæpius ostiolis majoribus latioribus (vel confluentibus), sporis 8nis longit. 0,058—85, crassit. 0,028—38 millim.

Ad corticem fagi in Suecia magis meridionali.

Huc ducitur var. *variolosa* Fr. l. c. p. 425, tamquam status leprosus, thallo flavo pulverulento, usque ad Sueciam mediam et Aboam procedens, sterilis; at nondum bene liquet, an sit vere hujus speciei varietas.

7. **P. Sommerfeltii** (Flk.) Fr. *L. E.* p. 423; *Endocarpon Sommerfeltii* Flk. in Smmrf. *Lapp.* p. 134; *E. pertusum* Whlnb. *Lapp.* p. 459 (excl. synon.).

Thallus lacteo-albus vel albido-cinerascens tenuis effusus læviusculus, verrucis apotheciiferis sæpius discretis satis parvis (latit. vix 1, sæpius circa 0,5 millim.) supra planiusculis, basi subinflexis; apothecia 1—4 in quavis verruca thallina, epitheciis nigris nudis vix prominulis sæpeque confluentibus; sporæ 8næ longit. 0,027—37, crassit. 0,015—18 millim.

Ad cortices (populi, salicis, juniperi) in Lapponia passim.

Facie fere *P. pustulatæ* (Ach.), sed hæc (in Gallia haud rara) thecas habet bi-sporas et sporas multo majores.

8. **P. leioplaca** (Ach.) Schær.; *Porina leioplaca* Ach. *Syn.* p. 110; *P. fallax* var. *hymenea* Ach. ibid. (quoad specim. in *L. U.* p. 310 citat. e Suecia).

Thallus lacteus vel albidus tenuis lævigatus vel ruguloso-inæqualis, passim rimosus; apothecia (in verrucis convexiusculis vel convexis lævibus) ostiolis 1—3 minutis fere incoloribus

vel obscuris; sporæ 4^{næ} longit. 0,042—75, crassit. 0,020—38 millim.

Ad cortices in Scandinavia passim vel fere sat frequenter, usque in regiones boreales.

Rarius facie fere *Pertusariæ communis*, vulgo autem thallo læviore et verrucis apotheciorum minus convexis, præter notas sporarum, dignoscenda. Variat *hexaspora* (in Fennia saltem, ad betulas), sporis 6^{nis} (in iisdem apotheciis raro 3^{nis}), long. 0,038—86, crass. 0,025—38 millim. Variat dein *octospora* (in Fennia variis locis ad betulas et alnos, in Norvegia arctica ex Smmrf. Cr. Norv. 57), sporis 8^{nis} long. 0,034—62, crass. 0,016—30 millim.

9. **P. glomerata** (Ach.) Schær.; *Porina glomerata* Ach. *L. U.* p. 310, *Syn.* p. 111; *Parmelia verrucosa* var. *Pertusaria* Fr. *L. E.* p. 186; *Endoc. globularis* Smmrf. *Lapp.* p. 138.

Thallus albidus vel pallido-albidus, pro maxima parte e verrucis constitutus (latit. circa 1 millim.), subglobulosis apotheciiferis (interdum 2—3 concrescentibus); apothecia ostiolis nigricantibus plerumque prominulis (sæpe subpapillatis); sporæ 4^{næ} longit. 0,072—0,125, crassit. 0,028—44 millim.

In Finmarkia Norvegiæ arcticæ.

10. **P. xanthostoma** (Smmrf.) Fr. *L. E.* p. 426; *Porina xanthostoma* Smmrf. in *V. Ak. H.* 1823, p. 115; *Endoc. xanthostoma* ejusd. *Lapp.* p. 136.

Thallus lacteus lævigatus tenuis, verrucis apotheciiferis (latit. circa 1 millim.) subglobosis, supra nonnihil depressis (interdum 2—3 concrescentibus); apothecia sæpius 1 (vel 2) in quavis verruca thallina, ostiolis depressis pallidis vel pallido-lutescentibus; sporæ 4^{næ} longit. 0,060—76, crassit. 0,034—40 millim.

Ad corticem juniperi exsiccati et rarius supra muscos graminaque destructa in Nordlandiæ maritimis (Sommerfelt).

X. — **VARICELLARIA** Nyl.

Thallus parum evolutus tenuis vel subleprarioideus. Apothecia variolarioidea vel sorediiformia pallida (in verrucis sorediosis convexis contenta) carneo-punctata (vel suffusa); thecæ monosporæ, sporæ incolores maximæ uni-septatæ.

1. **V. microsticta** Nyl. in *Enumér. Lich.* p. 117, 119.

Thallus albidus inæqualis rimosus subdeterminatus vel granuloso-pulveraceus subleprosus; apothecia albo-suffusa vel supra denudata pallida rotundata prominula mediocria (latit. 0,5—1 millim.), supra planiuscula vel inæqualia, sæpe 2—3 confluentia, carneo-punctatula, intus concoloria; sporæ ellipsoideæ vel ovoideæ, longit. 0,225—0,290, crassit. 0,095—0,115 millim., paraphyses vix ullæ. Gelatina hymenea et thecæ iodo intense cœrulescentes (dein sæpe fere denigratæ).

Ad corticem betulæ in Lapponia australi, Alkkula (Edwin Nylander). Quoque in America arctica et in Helvetia ad ligna vetusta Coniferarum lecta. Facile prætervisa ob faciem variolariodeam.

Fig. 8 *a* offert sporas 2 auctas 275 diametris, *b* sectionem transversam thecæ et sporæ (in qua sectione, vel lamina tenui, conspiciuntur 1) paries thecalis, 2) episporium, 3) endosporium et 4) protoplasma cavitatis sporalis. E specimine vetusto.

Subtrib. VIII. — *THELOTREMEI.*

Huc pertinentes Lecanorei affines sunt *Pertusarieis*, sed epithecio plerumque magis aperto et sporis (in speciebus Scandinavicis) oblongis vel fusiformibus plurilocularibus aut muralidivisis, spermatiis brevioribus magis tenellis (rectis).

XI. — **PHLYCTIS** Wallr.

Thallus tenuiter crustaceus continuus vel pulvereus. Apothecia erumpentia rotundato-difformia, margine thallino non semper distincto cincta; thecæ 1—2-sporæ, sporæ incolores magnæ ellipsoideæ vel oblongæ multiloculares (murali-divisæ). Gelatina hymenea modo thecas ambiens iodo cœrulescens (vel thecæ iodo cœrulescentes); hymenium ceterum iodo solum lutescens. — Forte hoc genus potius jungendum sit subtribui præcedenti.

1. **Phl. agelæa** Wallr., Flot., Krb. *S. L. G.* p. 391; *Urceolaria agelæa* Ach. pr. p.; *Urc. variolarioides* Pers.

Thallus albidus vel albo-canescens rugosus (vel in formis macrioribus sublævigatus) tenuis, interdum tenuiter subleprosus; apothecia (a thallo leproso-coronata vel fere tecta) nigricantia albido- vel cæsio-suffusa minuta (circa 0,25—0,35 millim. lata); sporæ 2nae ellipsoideæ, utroque apice mucronatæ vel apiculo papillatæ, longit. 0,045—70, crassit. 0,014—27 millim.

Ad cortices in Suecia magis meridionali; nec in media septentrionem versus procedens mihi saltem visa.

2. **Phl. argena** (Flk.) Wallr., Flot., Krb. l. c.; *Thelotrema variolarioides* Ach. *Syn.* p. 117 pr. p.

Similis præcedenti et præcipue ab eadem differens thecis monosporis, sporis maximis oblongis vel cylindraceo-oblongis, longit. 0,100—0,140, crassit. 0,027—50 millim.

Ad cortices, præsertim populi in Scandinavia passim usque ultra mediam versus septentrionem procedens. Forsan adhuc in Lapponia occurrat, nam in Ostrobottnia eam legit cl. A. J. Malmgren.

Apothecia nigrescentia aut solitaria (latit. fere 0,5 millim.) aut sæpe aggregata vel pustuloso-aggregata margine pulverulento cincta vel tota albo-suffusa plana vel nonnihil depressa. Acharius eam confundit cum *agelæa*, quæ absque microscopii ope vix distinguitur (sub suo "Thelotremate variolarioide var. agelæo" in *Syn.* p. 117; at synonymon typi ejus "Lecanoræ verrucosæ" *L. U.* p. 354, ex speciminibus archetypis e Lusatia et Gallia, pertinet ad *Pertusariam multipunctam*, sæpe extus subsimilem et quam e Suecia etiam Acharius posterius sub eodem nomine adjunxit, simul vero *Pert. velatam* ex America boreali et *Phlyct. agelæam*, quas omnes ante usum microscopii dignoscere non semper facile erat). In Fr. *L. E.* p. 184 species hujus generis ambæ sub "Parmelia impolita" mire confunduntur.

XII. — THELOTREMA Ach.

Thallus tenuiter crustaceus continuus. Apothecia margine cincta duplici, proprio tenui (primum perithecioideo-clauso, deinde dilacerato) et externo sat tenui thallino (vel thallodeo);

sporæ fusiformes majusculæ multi-loculares (vel fere muralidivisæ).

1. **Th. lepadinum** Ach. *L. U.* p. 312, t. 6, f. 1, *Syn.* p. 115, Fr. *L. E.* p. 428.

Thallus albidus lævigatus vel leviter rugulose inæqualis subeffusus (vel saltem sæpius non bene determinatus), circa apothecia protuberans; apothecia nigrescentia cæsio-pruinosa, marginibus nonnihil conniventibus cincta; sporæ longit. 0,035—70, crassit. 0,011—16 millim.

Ad corticem arborum (præsertim fagi et quercus) in Suecia magis meridionali. Adhuc in Finlandia meridionali, insula Mjölö, ad corticem abietis raro.

Ad hanc subtribum pertinet quoque Belonia russula Krb. *L. sel.* 79, species parvula generis peculiaris, versus Gyalectas vergens, sed margine apotheciorum thallino Lecanoream se sistens. Paraphyses ei graciles, ut in Thelotremeis, sed demum in apotheciis vetustis totum hymenium sporis cylindraceo-fusiformibus occupatum conspicitur. Ad rupes in Germania lecta, forte detegenda in Scandinavia.

Trib. XVI. — LECIDEEI.

Thallus crustaceus varius (raro effiguratus), squamosus, granulosus, areolatus, pulvereus, aut in infimis nullus proprius. Apothecia patellaria (biatorina aut lecideina). Spermogonia spermatiis acicularibus rectis, aut (in paucioribus) arcuatis, vel apud alias species breviter cylindricis.

I. — LECIDEA Ach., Nyl.

Notis pro tribu allatis dignoscendum genus. Apothecia aut discoloria (non nigra) et tum *biatorina* dicta, aut nigra et tum dicta *lecideina;* sunt deinde aut (margine proprio) marginata aut immarginata; apothecia biatorina urceolata vel concava dicuntur *gyalectina.* Notandum hic, species lecideinas exceptione occurrere inter biatorinas, ubi ob affinitates vel tamquam varietates collocandæ fuerunt.

Conspectus sectionum, subdivisionum et specierum generis.

I. — Apothecia gyalectina. — *Species* 1—10.

A. — Apothecia fere verrucarioidea, margine radiatim fisso. PETRACTIS Fr. — *Species* 1.

1. L. exanthematica.

B. — Apothecia fere biatorina, margine integro. GYALECTA Ach. — *Species* 2—10.

2. L. epulotica. — 3. L. cupularis. — 4. L. foveolaris. — 5. L. geoica. — 6. L. truncigena. — 7. L. congruella. — 8. L. carneola. — 9. L. pineti. — 10. L. lutea?

C. — Apothecia biatorina plana aut convexa. BIATORA Fr. — *Species* 11—50.

a. — Thallus squamulosus vel squamosus. Sporæ simplices. — *Species* 11—13.

11. L. lurida. — 12. L. globifera. — 13. L. testacea.

b. — Thallus areolatus vel granulosus vel pulvereus vel lævis vel evanescens. Sporæ simplices aut 1—5-septatæ. — *Species* 14—41.

14. L. panæoloides. — 15. L. cinnabarina. — 16. L. intermixta. — 17. L. Tornoënsis. — 18. L. Ehrhartiana. — 19. L. lucida. — 20. L. quernea. — 21. L. phæops. — 22. L. coarctata. — 23. L. carneopallida. — 24. L. decolorans. — 25. L. uliginosa. — 26. L. atrorufa. — 27. L. sanguineoatra. — 28. L. cuprea. — 29. L. miscella. — 30. L. miscelloides. — 31. L. vernalis. — 32. L. anomala. — 33. L. poliococca. — 34. L. sphæroides. — 35. L. viridescens. — 36. L. ochrococca. — 37. L. tricolor. — 38. L. protuberans. — 39. L. dubitans. — 40. L. erysiboides. — 41. L. gyaliza.

c. — Thallus ut in *b*. Sporæ aciculares vel bacillares. Dolichosporæ. — *Species* 42—45.

42. L. rosella. — 43. L. luteola. — 44. L. umbrina. — 45. L. patellarioides.

d. — Thecæ monosporæ, sporæ magnæ murali-divisæ. HETEROTHECIUM Flot. — *Species* 46.

46. L.

e. — Thallus ut in *c* (vel sæpius tenuis vel evanescens). Sporæ globulosæ 8næ vel thecæ polysporæ. — *Species* 47—50.

47. L. geophana. — 48. L. fuscescens. — 49. L. improvisa. — 50. L. resinæ.

II. — Apothecia typice atra. LECIDEA Fr. — *Species* 51—122.

A. — Species thallo coloris varii (non autem citrini). — *Species* 51—117.

a. — Thallus squamosus. — *Species* 51.

51. L. decipiens.

b. — Stirps *Lecideæ parasemæ.* Thallus granulosus vel rugosus aut æquabilis aut nullus. Sporæ incolores. Spermatia acicularia arcuata. — *Species* 52—64.

52. L. vesicularis. — 53. L. candida. — 54. L. ileiformis. — 55. L. conglomerata. — 56. L. squalida. — 57. L. acervulata. — 58. L. confusa. — 59. L. parasema. — 60. L. vitellinaria. — 61. L. accline. — 62. L. arthoniza. — 63. L. paracarpa. — 64. L. squalescens.

c. — Stirps *Lecideæ arcticæ,* thallo granuloso, apotheciis convexis (accedens ad stirpem *Lecideæ vernalis).* — *Species* 65 - 67.

65. L. arctica. — 66. L. Dovrensis. — 67. L. assimilata.

d. — Stirps *Lecideæ rivulosæ,* thallo limitato, sporis incoloribus simplicibus. Saxicolæ. — *Species* 68—70.

68. L. rivulosa. — 69. L. Kochiana. — 70. L. mollis.

e. — Stirps *Lecideæ contiguæ,* thallo albido vel cinereo, sporis incoloribus ellipsoideis simplicibus. Saxicolæ. — *Species* 71—80.

71. L. panæola. — 72. L. contigua. — 73. L. lapicida. — 74. L. amylacea. — 75. L. areolata. — 76. L. theiodes. — 77. L. aglæa. — 78. L. armeniaca. — 79. L. fuscoatra. — 80. L. lactea.

f. — Stirps *Lecideæ intumescentis,* thallo obscuro fuscescente, sporis incoloribus variis. Saxicolæ. — *Species* 81—85.

81. L. caudata. — 82. L. intumescens. — 83. L. incincta. — 84. L. tenebrosa. — 85. L. lugubris.

g. — Stirps *Lecideæ petrææ,* thallo obscuro areolato-granuloso, sporis fuscis vel nigricantibus. Saxicolæ. — *Species* 86—90.

86. L. coracina. — 87. L. atroalba. — 88. L. badioatra. — 89. L. petræa. — 90 L. geminata.

h. — Stirps *Lecideæ disciformis,* thallo granuloso lævigato aut evanescente (aut nullo), sporis fuscis 1—3-septatis. Corticolæ (lignicolæ). — *Species* 91—101.

91. L. alboatra. — 92. L. persimilis. — 93. L. triphragmia. — 94. L. disciformis. — 95. L. myriocarpa. — 96. L. saxatilis. — 97. L. nigritula. — 98. L. papillata. — 99. L. glauconigella. — 100. L. badia. — 101. L. sagedioides.

i. — Stirps *Lecideæ grossæ,* sporis incoloribus ellipsoideis 1-septatis. Corticolæ. — *Species* 102.

102. L. grossa.

k. — Stirps *Lecideæ premneæ,* sporis incoloribus 1—5-septatis. — *Species* 103—106.

103. L. rhexoblephara. — 104. L. farinosa. — 105. L. abietina. — 106. L. premnea.

l. — Stirps *Lecideæ lenticularis*, thallo tenui obscuro (aut vix ullo), sporis incoloribus parvulis 1-septatis (vel simplicibus), paraphysibus nigro-clavatis. — *Species* 107.

107. L. lenticularis.

m. — Stirps *Lecideæ ostreatæ*, sporis incoloribus parvulis simplicibus oblongis. Corticolæ, lignicolæ, terrestres, muscicolæ, unica saxicola. — *Species* 108—114.

108. L. ostreata. — 109. L. Friesii. — 110. L. xanthococca. — 111. L. euphoroides. — 112. L. perfidiosa. — 113. L. neglecta. — 114. L. Kajanita.

n. — Species absolute parasiticæ, apotheciis solis supra thallos alienos crescentibus (cf. etiam sp. 96). — *Species* 115—116.

115. L. glaucomaria. — 116. L. oxyspora.

o. — Stirps *Lecideæ sanguinariæ*, thecis monosporis. — *Species* 117.

117. L. sanguinaria.

B. — Species thallo citrino. — *Species* 118—122.

a. — Species sporis fuscis vel nigricantibus 1—3-septatis vel varie divisis. — *Species* 118—121.

118. L. galbula. — 119. L. scabrosa. — 120. L. alpicola. — 121. L. geographica.

b. — Species sporis incoloribus. — *Species* 122.

122. L. citrinella.

Sectio I. — *Apothecia typice læte vel pallide tincta*), epithecio concaviusculo.* Gyalecta *Ach.* — Species *1—10.*

A. — *Apothecia fere verrucarioidea, margine (excipulari) radiatim fisso* (Petractis *Fr.*). — Species *1.*

1. **L. exanthematica** Nyl. *Prodr.* p. 101; *Lichen exanthematicus* Sm. *E. Bot.* t. 1184; *Gyalecta exanthematica* Fr. *L. E.* p. 197 *(Petractis* Fr. *S. V. Sc.* et Krb. *S. L. G.* p. 329); *Thelotrema clausum* Schær.

Thallus cinerascens tenuissimus vel nullus distinctus; apothecia pallida vel luteo-carnea parva margine connivente radiatim fisso demum epithecium denudante; sporæ fusiformes

---

*) Apothecia in sequentibus subnigra sunt vel nigra: in *L. flexuosa, uliginosa, miscella, anomala, poliococca, melæna, viridescente, protuberante, umbrina* (et *bacillifera*), *patellarioide, geophana, improvisa* et *pezizoidea*, vel in typis earum vel in earum varietatibus.

simplices aut 3-septatæ, longit. 0,015—20, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles.

Ad rupes calcareas Gottlandiæ, locis subumbrosis, frequens (rev. Stenhammar).

B. — *Apothecia fere biatorina, margine integro. Sporæ sæpe* Leptogia *in memoriam revocantes.* GYALECTA *Ach.* — Species *2—10.*

2. **L. epulotica** Ach. *L. U.* p. 151, t. 1, f. 7, *Syn.* p. 9; *Biatora epulotica* Hepp *Flecht.* 272.

Thallus pallidus vel pallide albidus sat tenuis vel tenuissimus rimulosus aut continuus; apothecia innata carnea vel carneo-rufescentia vel rosella concaviuscula innata, mediocria vel fere mediocria, margine (sæpius crassiusculo) concolore circumcirca (a thallo) discisso, sæpe flexuoso, intus pallida; sporæ ellipsoideæ vel globoso-ellipsoideæ, longit. 0,018—20, crassit. 0,010—11 millim.

Ad saxa calcarea in Anglia et Helvetia, rara ut videtur, nec lecta, quantum scio, in Scandinavia. Sed adest in Gottlandia et Œlandia (ex rev. Stenhammar) varietas ejus depauperata *Prevostii* (Fr.).

Urceolaria hypoleuca Ach., e Suecia, identica sit cum *epulotica*, sed in specimine hb. Ach. sporæ deesse videntur, quare est incompletum et incertum. — Var. *Prevostii* (*Gyalecta Prevostii* Fr. *L. E.* p. 197; *Lecidea Prevostii* Schær. *Enum.* p. 146), differt a typo thallo ecrustaceo (macula thallina alba vel albo-rosea), apotheciis immersis difformibus. — In Gallia et Germania simul obvenit var. *cærulea* (*Verrucaria cærulea* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 318; *Hymenelia cærulescens* Kphb.), quoque ecrustacea, macula thallina cœrulescente (Nyl. *Prodr.* p. 103).

Ex rev. Stenhammar *U. hypoleuca* identica erit cum *Lecidea thelotremoide* Nyl. *Prodr.* p. 102 (*Thelotrema gyalectoides* Mass.), sporis gaudens fusiformibus plerumque 7-septatis (longit 0,025—27, crassit. 0005—7 millim.), occurrensque in Gottlandia ad rupes calcareas. Inde eam videre mihi non contigit.

3. **L. cupularis** Ach. *Meth.* p. 170; *Lichen cupularis* Hedw.; *Lecidea marmorea* var. *cupularis* Ach.; *Lecid. foveolaris* var. *cupularis* Smmrf. *Lapp.* p. 171.

Thallus tenuissimus albidus vel cinerascens continuus; apothecia superficiali-prominula carnea vel flavo-rubella, epithecio impresso concavo, margine albescente crassulo integro vel aliquoties radiato-striato; sporæ ellipsoideæ ter varieque (variis sensibus) septatæ, longit. 0,015—16, crassit. 0,008—9 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubescens (præcedente cœrulescentia levi).

Supra saxa calcarea in Norvegia. Etiam in Suecia.

4. **L. foveolaris.** — *Lichen foveolaris* Whlnb. *Fl. Lapp.* p. 405; *Gyalecta cupularis* var. *foveolaris* Fr. *L. E.* p. 196; *G. Wahlenbergiana* Ach. *L. U.* p. 152, *Syn.* p. 9.

Thallus albidus granulosus vel subleprosus; apothecia carnea vel pallide rosea mediocria (latit. fere circa 1 millim.), urceolata, margine pallidiore inæquali (interdum subcrenato); sporæ fusiformes 3-septatæ, longit. 0,018—21, crassit. 0,007 millim.

Supra muscos putridos et terram stercoratam locis obscuris per alpes usque ad Nord Cap rarius (Wahlenberg).

5. **L. geoica.** — *Lichen geoicus* Whlnb. in *V. Ac. H.* 1806, p. 142, t. 4, f. 6; *Gyalecta geoica* Ach. *Syn.* p. 9, Fr. *L. E.* p. 196; *G. Wahlenbergiana* Leight.

Thallus cinerascens tenuis subpulverulentus; apothecia minuta pallida; sporæ oblongæ 3-septatæ, longit. 0,016—21, crassit. 0,006—7 millim.

Supra terram arenariam vel humosam muscosam in Gottlandia (Wahlenberg et alii), in Finlandia australi-occidentali (in Korpo et Raseborg, Edwin Nylander). Immo supra muscos.

6. **L. truncigena** (Ach.) Nyl. *Prodr.* p. 102; *Gyalecta Wahlenbergiana* var. *truncigena* Ach. *L. U.* p. 152, *Syn.* p. 9, Leight. *L. Br. exs.* 147; *Bacidia abstrusa* Krb.

Thallus cinerascens tenuissimus subleprosus vel vix ullus visibilis; apothecia pallida parva urceolata; sporæ oblongo-fusiformes 5—7-septatæ (addito interdum uno alterove septulo longitudinali), longit. 0,016—23, crassit. 0,007—9 millim.

Ad corticem fraxini in Gottlandia (Lönnroth).

7. **L. congruella** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus nullus visibilis; apothecia pallide rufa vel subtestacea (interdum pallidiora) minuta (latit. circa 0,3—0,4 millim.), demum prominula, epithecio urceolato-impresso; sporæ circa 24—32 in thecis (altit. circa 0,1, crassit. circa 0,023 millim.), fusiformes, 5—7-septatæ, longit. 0,020—34, crassit. 0,0045—0,0065 millim., paraphyses gracilescentes. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens.

Ad corticem betulæ vetustum inæqualem (socia *Hysterii pulicaris)* in Siikais et abietis (?) in Kulla in Satakunta (A. J. Malmgren).

In *L. truncigena* (Ach.) comparanda apothecia pallidiora, sporæ 8næ minus fusiformes (sunt oblongo-fusiformes vel oblongæ) et septis sæpius nonnihil irregularibus (vel septulo uno altero longitudinali vel obliquo), longit. 0,017—30, crassit. 0,007—9 millim. — In *L. querceti* Nyl. apothecia pallida vel albida (similiter minuta), sporæ ellipsoideæ varie irregulariter aliquoties divisæ (submurali-divisæ) et longit. 0,011—13, crassit. 0,008—9 millim.; ad cortices in Gallia.

8. **L. carneola** Ach. *L. U.* p. 194, *Syn.* p. 42 (excl. varr.); *Biatora carneola* Fr. *L. E.* p. 264; *Bacidia carneola* DN.; *Lichen corneus* Sm. *E. Bot.* t. 965.

Thallus vix ullus aut nullus visibilis; apothecia rufa vel carneo-fuscescentia sat parva (latit. 0,3—0,5 millim.), epithecio concaviusculo vel suburceolato, adnata; sporæ 8næ aciculares pluri-septatæ, longit. 0,058—80, crassit. 0,003—4 millim. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens.

In Suecia mitiore rara. Ad cortices, præsertim quercus et fagi, in Europa temperata et calidiore passim.

9. **L. pineti** Ach. *L. U.* p. 195, *Syn.* p. 41, Schær. *Enum.* p. 141.

Thallus tenuissimus virescens leprosus aut obsoletus vel nullus; apothecia pallide rufo-luteola vel carneo-albida, minuta, superficialia, parum urceolata; sporæ fusiformes simplices aut 1-septatæ, longit. 0,009—0,010, crassit. 0,003—4 millim.

Ad corticem et lignum putrescens pinorum in Suecia et Finlandia passim. Raro supra terram prope radicem arborum.

10. **L. lutea** Schær. *Enum.* p. 147, Nyl. *Prodr.* p. 103; *Lichen luteus* Dicks., Sm. *E. Bot.* t. 1263; *Lecidea foveolaris* var. *lutea* Smmrf. *Lapp.* p. 171; *Lecid. melizea* Ach.

Similis *Lecideæ pineti,* thallo obsoleto albescente, apotheciis majoribus (latit. fere 1 millim.) planioribus, amœne carneo-fulvescentibus.

Supra muscos in Lapponia norvegica rarius, si vere synonymon Sommerfeltii huc pertinet, quod mihi incertum. In Europa temperata rara, ad corticem arborum et supra muscos.

Gyalectis accedit passim in Scandinavia obvia lignicola *Stictis radiata,* quæ gelatinam hymeneam habet iodo vinose rubentem (præcedente cœrulescentia levi vel obsoleta). Tamen sit potius fungus quam Lichen, nam gonidia ei nulla vidi. Sporæ aciculares multi-septatæ, longit. circa 0,120, crassit. 0,003 millim., paraphyses graciles. — Similiter sit fungus *Stictis pallida* Pers., Fr. *S. M.* 2, p. 196; *Lecidea pallida* Nyl. *Prodr.* p. 102. Thallus macula alba indicatus (hypoxyleus vel vix ullus); apothecia pallida parva immersa erumpentia elliptica urceolata; sporæ oblongo-fusiformes 3-septatæ, longit. 0,013—18, crassit. 0,0015—0,0065 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens. Supra ligna pinea vetusta in Suecia et Finlandia, forte late distributa.

C. — *Apothecia biatorina (h. e. patellaria diversicoloria, at non nigra) plana aut convexa*). Sporæ incolores, variæ formæ.* BIATORA *Fr.* — Species *11—50.*

a. — *Thallus squamulosus vel squamosus. Sporæ simplices.* — Species *11—13.*

11. **L. lurida** Ach. *Meth.* p. 77, *Syn.* p. 51; *Biatora lurida* Stenh., Fr. *L. E.* p. 253.

Thallus luridus vel lurido-fuscescens (aut pallidior) imbricato-squamosus, squamis rigescentibus crenatis subhorizontalibus; apothecia fusco-nigra vel nigra mediocria convexa aut planiuscula, immarginata vel margine obtuso vel evanescente,

---

*) Exceptione apothecia vel subnigra vel nigra habent sequentes: *anomala, melæna, nigrata, poliococca, uliginosa, miscelloides, miscella, viridescens, improvisa, pezizoidea, vermifera, bacillifera* et *incompta,* quæ plurimæ e typis descendunt apotheciis normaliter biatorinis. Plurimæ species "Biatorarum" pertinent ad stirpem *Lecideæ vernalis* (speciebus 25—40), sed plures earum vix sint autonomæ et vix nisi varietates ejusdem.

intus pallida; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,013—15, crassit. 0,006—7 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad rupes calcareas et in earum fissuris in Gottlandia, Œlandia atque in Suecia media variis locis.

12. **L. globifera** Ach. *L. U.* p. 213, *Syn.* p. 51; *Biatora globifera* Fr. *L. E.* p. 254.

Thallus fusco-rufus vel castaneo-rufescens squamosus imbricatus subnitidiusculus, squamis rigidis lobatis flexuosis subhorizontalibus; apothecia fusca vel fusco-nigra mediocria (latit. 0,75—1 millim.) convexa immarginata, intus pallida, sæpe conglomerata; sporæ oblongæ, longit. 0,012—15, crassit. 0,005 millim., paraphyses haud bene discretæ. Gelatina hymenea iodo vinose rubens (præcedente cœrulescentia).

Supra terram in alpinis Scandinaviæ et in maritimis Hallandiæ Scaniæque; deinde per Norvegiam atque in insula Walamo Finlandiæ orientalis.

Var. *rubiformis* (*Lecidea rubiformis* Whlnb. *Lapp.* p. 479, Ach. *Syn.* p. 42) squamis differt pallidioribus minoribus (licet æque firmis) et adscendentibus, margine sæpius albicantibus crenatis. In Nordlandia (Wahlenberg) et in Dovre (W. P. Schimper).

13. **L. testacea** Ach. *Meth.* p. 80, *Syn.* p. 51, Schær. *Enum.* p. 95; *Biatora testacea* Fr. *L. E.* p. 251; *Lichen saxifragus* Sm.

Thallus cinerascenti-flavidus vel livido-cinerascens horizontaliter squamosus, squamis rigidis subimbricatis undulato-crenatis; apothecia rufa vel testacea mediocria (latit. 1—2 millim.), intus albida; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,011—13, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses mediocres discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, deinde violacee tincta.

Ad saxa calcarea in Gottland (Lönnroth).

b. — *Thallus areolatus, granulosus, pulvereus, æquabilis aut evanescens. Sporæ ellipsoideæ vel oblongæ vel fusiformes, simplices aut 1—5-septatæ.* — Species *14—40.*

14. **L. panæoloides** Nyl. — *Biatora panæola* Fr. *L. E.* p. 273 (pr. p. et excl. var.).

Thallus griseus granulato-areolatus, fere mediocris; apothecia rufo-fuscescentia convexiuscula, intus albida (hypothecio infra tenuiter nigricantia); sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,013—16, crassit. 0,007 millim.

Ad saxa in Femsjö Smolandiæ (unde unicum vidi specimen lectum a cl. Th. Fries).

15. **L. cinnabarina** Smmrf. in *V. Ac. H.* 1823, p. 115, *Lapp.* p. 170, *Flor. Dan.* t. 2009, f. 1, Schær. *Enum.* p. 143; *Biatora cinnamomea* Fr. *L. E.* p. 266.

Thallus albidus tenuis, e granulis minutis inæqualis, effusus; apothecia coccineo-cinnabarina planiuscula, obtuse marginata vel margine evanescente, fere mediocria; sporæ fusiformes parvæ simplices, longit. 0,008—0,012, crassit. 0,002—3 millim., paraphyses non distinctæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

In Lapponia et in alpinis Scandinaviæ ad corticem juniperi, abietis betulæque; adhuc in Angermannia (Åkerman). Etiam in Grœnlandia.

16. **L. intermixta** Nyl. *Prodr.* p. 105 (obscurior); *Biatorina arceutica* Krb. *S. L. G.* p. 192.

Thallus tenuissimus albidus effusus vel vix ullus; apothecia fusca mediocria (latit. circa 1 millim.), plana vel planiuscula, margine obtuso demum evanescente, intus obscura; sporæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,015—17, crassit. 0,007—0,0075 millim. Lamina tenuis visa apothecii rubricose violacee tincta. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein violacee obscurata.

Ad corticem fagi in Scania, ex hb. Acharii (sub varietatibus "parasemæ" immixta).

Var. *lignaria* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* IV (n. ser. 1), p. 231, thallo macula cinerascente indeterminata indicatus; apotheciis parvis (latit. circa 0,4 millim.) fusco-nigris vel fere nigris planis opacis, margine tenuissimo vel evanescente, intus albidis; sporis ellipsoideis 1-septatis, longit. 0,012—14, crassit. 0,006 millim., paraphysibus sat gracilibus, hypothecio incolore, epithecio (lamina tenui viso) infuscato; gelatina hymenea iodo cœrulescente, dein vinose rubente. Supra ligna pinea vetusta in insula Mjölö regionis Helsingforsiensis.

17. **L. Tornoënsis** Nyl. in *Hb. Mus. Fenn.* p. 110.

Thallus vix ullus (vel macula obsoleta cinerascente effusa indicatus); apothecia fusco-nigra vel passim (vel pro parte) obscure rufescentia (aut juniora præsertim lateribus vel basi pallescentia) opaca subrugulosa superficialia tuberculiformia convexa immarginata, fere mediocria (latit. 0,5 millim.), intus pallida vel albida; sporæ simplices ellipsoideæ majusculæ, longit. 0,020—24, crassit. 0,014—16 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, deinde vinose obscurata.

Ad corticem pini in Tengeliö, limite meridionali Lapponiæ Tornoënsis (Edwin Nylander).

18. **L. Ehrhartiana** Ach. *Meth.* p. 73, *Syn.* p. 47 (excl. var.); *Parmelia varia* var. *parasitica* Fr. *L. E.* p. 159.

Thallus albido-flavescens effusus granulato-rugosus vel evanescens; apothecia dilute flava plana obtuse marginata vel convexiuscula, intus alba; sporæ oblongæ vel fusiformi-oblongæ, longit. 0,008—0,011, crassit. 0,0025—0,0035 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose violaceo-tincta.

Ad corticem quercus et ligna vetusta varia in Suecia (usque in mediam); in Alandia (Edwin Nylander) et Satakunta (A. J. Malmgren).

Spermogonia atra, conceptaculo verrucarioideo corrugato, subtus incolore; spermatia oblonga brevia, longit. 0,002, crassit. vix 0,001 millim., sterigmatibus brevibus infixa. Sunt hæc spermogonia *Cliostomum corrugatum* Fr. *L. E.* p. 455 (*Lichen graniformis* Hag.).

19. **L. lucida** Ach. *Meth.* p. 74, *L. U.* p. 29, *Syn.* p. 48, Schær. *Enum.* p. 150; *Biatora lucida* Fr. *L. E.* p. 279.

Thallus flavus vel citrino-flavus (vel interdum fere flavovirescens) tenuis leprosus effusus; apothecia flavo-vitellina vel flavo-pallida, planiuscula vel convexa, immarginata, minuta; sporæ oblongo-ovoideæ (h. e. oblongæ apice supero crassiores), simplices, longit. 0,004—6, crassit. 0,0025—0,003 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens.

Locis subumbrosis ad saxa granitica (ligna vetusta putrida [var. *theiotea* Ach.] et terram), in Suecia et Finlandia sat rara.

20. **L. quernea** Ach. *Meth.* p. 62, *L. U.* p. 202, *Syn.* p. 36, Schær. *Enum.* p. 141, Nyl. *Prodr.* p. 112; *Biatora quernea* Fr. in *V. Ac. H.* 1822, p. 268, *L. E.* p. 279.

Thallus flavidus vel dilute flavescens leprosus vel leproso-granulosus (in lichene integro linea hypothallina nigra limitatus); apothecia fusca vel fusco-rubescentia, fere mediocria, convexiuscula, immarginata, intus concoloria; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,008—0,012, crassit. 0,005 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad quercus vetustiores in Suecia meridionali.

21. **L. phæops** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* IV, p. 5.

Thallus albidus tenuis sat determinatus rimulosus; apothecia fusca minuta (latit. 0,2—0,25 millim.) innata planiuscula, intus fuscescentia; sporæ 8næ simplices fusiformi-ellipsoideæ, longit. 0,009—0,015, crassit. 0,004 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium infra (lamina tenui) rufescens. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad latera rupium irriguarum in Winterviksbergen Holmiæ.

22. **L. coarctata** Nyl. *Prodr.* p. 112; *Lecanora coarctata* Ach. *L. U.* p. 352, *Syn.* p. 149; *Parmelia coarctata* Ach. *Meth.* p. 158, Fr. *L. E.* p. 104; *Lecan. ocrinæta* Ach.; *Lecidea cotaria* et *tenagea* Ach.; *Lecan. involuta* Tayl.; *Lecan. retorrida* Chaub.; *Thelochroa Flotowiana* Krb.

Thallus albidus vel cinerascens tenuis rimulosus vel subareolatus vel subcontinuus; apothecia fusca vel fusco-rufescentia opaca, sat parva (collabentia), interdum margine spurio epithallino cincta; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,014—20, crassit. 0,007—0,011 millim, paraphyses graciles confertæ, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo leviter cœrulescens, dein vinose rubescens.

Supra lapides, præsertim calcareos, in Scandinavia passim; rarius supram terram argillaceam. E Lapponia eam non vidi.

23. **L. carneo-pallida** (Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 183); *Lecanora carneo-lutea* Smmrf. *Lapp.* p. 85 (non Ach.), *Cr. Norv.*

148, Fr. *L. S. exs.* 342 (sub Parm., et *L. E.* p. 135 pr. p.); *Cryptolechia carneo-lutea* Mass. *Mem.* p. 120, f. 156.

Thallus hypophlœodes macula pallida vel pallido-glaucescente indicatus (sæpe satis dilatatus), non bene determinatus; apothecia carneo-pallida plana immarginata (latit. circa 1 millim.) erumpentia et inde spurie lecanorina, margine scilicet irregulari tenui albo lateribus plus minus tecta; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,018—32, crassit. 0,011—18 millim., paraphyses sat graciles elongatæ. Gelatina hymenea iodo vel præsertim thecæ cœrulescentes.

Ad corticem betulæ et alni (versus basin earum arborum) in Scandinavia haud rara (in Finlandia sat frequens). Quoque in Lapponiæ inferalpinis frequenter obvia.

Accedit ad *L. coarctatam*, sed statione et thallo valde diversis. Gonidia parca versus basin apotheciorum disposita; margo spurius eorum albus præcipue e crystallis minutis constat oxalatis calcici. Vere primo obtutu haud absimilis est *Lecideæ carneoluteæ* (Turn.), inde Sommerfeltio convictio erronea "de synonymo Achariano certus, viso specimine", sed speciei Turnerianæ et Acharianæ margo proprius et aliæ notæ eam longe separantes. — Fig. 9 thecam cum paraphysi exhibet.

24. **L. decolorans** Flk. *D. L.* 142, Ach. *Syn.* p. 37; *Biatora decolorans* Fr. *L. E.* p. 296; *Lecidea quadricolor* Borr.

Thallus albidus vel glauco-cinerascens granulosus vel leprosus effusus vel subeffusus, sat tenuis incrustans; apothecia lateritia vel pallido-fuscescentia vel nigricantia opaca plana adpressa marginata, intus albida; sporæ oblongo-ellipsoideæ, longit. 0,009—0,016, crassit. 0,004—6 millim., paraphyses nullæ distinctæ. Gelatina hymenea iodo vix colorata vel leviter rubescens (interdum præcedente cœrulescentia levi).

Supra terram et ligna putrida sylvarum Scandinaviæ frequens.

Variat in alpinis apotheciis majoribus subcinnamomeis (latit. 2—3 millim.) ambitu lobatis. Variat dein apotheciis fusco-nigris (var. *fusco-nigra* Nyl. in Mus. Fenn. ol.), præsertim in alpinis obvia (*L. decolorans* var. *granulosa* Whlnb. *Lapp.* p. 477, *L. desertorum* Ach. *L. U.* p. 168).

* **L. flexuosa** Nyl. *Prodr.* p. 110; *Biatora decolorans* var. *flexuosa* Fr. *L. E.* p. 268. — Thallus albido-cinereus vel cinereus granulosus vel evanescens; apothecia nigra plana, mar-

gine sæpe flexuoso, intus albida; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,007—8, crassit. 0,0035—45 millim., hypothecio incolore. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescente, dein leviter fulvo-rubescente. — Ad ligna in Scandinavia rarius; usque in Lapponia meridionali (Edwin Nylander).

** **L. hilaris.** *Lecidea Ehrhartiana* var. *hilaris* Ach. hb. mscr. — Thallus albidus vel fere albus, granulosus; apothecia carneo-lutea plana mediocria (latit. circa 1 millim.), margine concolore flexuoso (demum parum vel vix prominulo), intus pallida; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ simplices, longit. 0,012—15, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles haud distinctæ, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein sordide violacee tincta. — Ad lignum vetustum in Suecia (ex hb. Ach.).

Facie fere *Lecideæ decolorantis* formæ apotheciis luteo-carneis, sed granulis thallinis determinatis, colore thalli et apotheciorum determinato, etc., differt. Gonidia glomerulose juncta.

25. **L. uliginosa** Ach. *Meth.* p. 45, *L. U.* p. 180, *Syn.* p. 25, Whlnb. *Lapp.* p. 478; *Biatora uliginosa* Fr. *L. E.* p. 275; *L. fuliginea* Ach. *Syn.* p. 35 (excl., quæ ad saxa).

Thallus fuscus vel fusco-nigricans minute granulosus, subleprosus, sæpius sat effusus; apothecia fusco-nigra vel nigra plana vel convexiuscula, intus nigricantia (vel medio paullum cinerascentia); sporæ ellipsoideæ (interdum subglobosæ) simplices, longit. 0,008—0,017, crassit. 0,004—8 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea iodo parum (vel vix) cœrulescens, dein nonnihil vinose fulvescens vel subrubescens.

Supra terram humosam turfosamve in Scandinavia satis frequens; rarius supra ligna putrescentia aut ad saxa.

26. **L. atrorufa** Ach. *Meth.* p. 74, *L. U.* p. 200 (excl. var.), *Syn.* p. 51, Schær. *Enum.* p. 96; *Biatora atrorufa* Fr. *L. E.* p. 255; *Lecidea demissa* Ach.

Thallus cinereo-luridus vel lurido-cinerascens adnato-squamulosus incrustans, vel lobulis constans crustaceo-confluentibus, depressis aut verrucoso-tumidulis vel subimbricatis; apothecia fusca vel nigricantia, intus albida (hypothecio infra fusco-nigri-

cante, ex hypothallo nigro oriundo); sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—17, crassit. 0,006—8 millim., paraphyses non bene discretæ. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Supra terram et muscos rupium (potissime præruptarum) in alpinis, at descendens in regiones maritimas.

27. **L. sanguineo-atra** Ach. pr. p., Fr. *L. S.* exs. 223, Nyl. *Prodr.* p. 106; *Biatora vernalis* var. *sanguineo-atra* Fr. *L. E.* p. 263 pr. p.

Thallus cinerascens vel virescenti-cinerascens granulosus tenuis vel subcontinuus aut obsoletus; apothecia sanguineo-nigra vel fusco-nigra (vel fere omnino denigrata, aut fusco-rufescentia) mediocria convexa immarginata (vel rarius planiora tenuiterque marginata), intus fusco-nigricantia (hymenio pallidiore vel pallescente); sporæ ellipsoideæ vel oblongæ simplices, longit. 0,010—19, crassit. 0,005—8 millim., hypothecium crassum fuscum vel fusco-brunneum (lamina tenui visum). Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens (vel violacee tincta).

Supra muscos vetustos in Scandinavia passim sat frequenter. Etiam supra ligna putrida rarius.

* **L. fusco-rubens** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 183, *Prodr.* p. 106, vix differt a *sanguineo-atra,* nisi ut var. saxicola, thallo vix ullo vel tenuissimo. — Ad calcem prope urbem Sala Sueciæ (ipse). In Alandia (Edwin Nylander) ad calcem et ad gneissum.

28. **L. cuprea** Smmrf. *Lapp.* p. 165, Schær. *Enum.* p. 137; *Biatora cuprea* Fr. *L. E.* p. 265.

Thallus albidus granuloso-concretus vel granulosus diffractusque vel continuus; apothecia fusco-rufa vel atro-rubescentia, plana aut convexiuscula, immarginata, intus fusca (hymenio pallidiore); sporæ oblongæ simplices, longit. 0,010—18, crassit. 0,003—6 millim., hypothecium fuscum vel fuscescens. Gelatina hymenea iodo vinose rubens (præcedente plerumque cœrulescentia saltem levi).

Supra terram alpium haud rara. Raro ad saxa. Quoque supra muscos in Alandia (*L. vernalis* var. *cupreiformis* E. Nyl. *Ål. Lafv.* p. 90).

29. **L. miscella** Ach. *Meth.* p. 62, *L. U.* p. 167, *Syn.* p. 21.

Thallus albidus firmulus granuloso-concretus diffracto-verrucosus, crassiusculus (crassit. 1—2 millim.); apothecia nigra (vel nigricantia) innata parva (latit. 0,3—0,4 millim.), sæpe nonnulla agglomerata, convexiuscula, immarginata, intus nigricantia; sporæ oblongæ vel ellipsoideæ simplices, longit. 0,012—18, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles (non bene discretæ), hypothecium fuscescens. Gelatina hymenea iodo cœrulescens (præsertimque thecæ cœrulescentes).

"In montibus terra tectis Sueciæ" Ach.

30. **L. miscelloides** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus cinereus vel cinerascens subleproso-crustaceus areolato-diffractus (areolis verrucoso-leprosis), passim (vel tritus) albo-pulverulentus, sat laxus (et laxe adfixus), plus minus crassiusculus (crassit. 0,5—2 millim.); apothecia fusco-nigra vel nigricantia planiuscula parva (latit. 0,3—0,4 millim.) agglomerata, intus obscura; sporæ oblongæ simplices, longit. 0,008—0,011, crassit. 0,004—5 millim., paraphyses non discretæ, hypothecium subtus fuscescens. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein (violacee) obscurata.

Ad lignum vetustum in Lapponia, Soankylä, legit eam Edwin Nylander.

Differt a *Lecidea sanguineo-atra* comparanda et thallo et apotheciis. Facie fere est *L. miscellæ* Ach. (quacum forte æque ac cum *cuprea* tamquam una species concipienda erit); distinguitur vero thallo subleproso, apotheciis planioribus, sporis minoribus, etc.

31. **L. vernalis** Ach. *Meth.* p. 68, *L. U.* p. 198, *Syn.* p. 36.

Thallus albidus vel albo-cinerascens tenuissimus inæqualis (interdum subgranuloso-inæqualis) vel obsoletus; apothecia rufa (vel interdum pallido-rufa), sat parva vel fere mediocria (latit. 0,5—1 millim.), convexa, sæpius conferta, intus albido-

pallida; sporæ oblongæ, longit. 0,013—25, crassit. 0,005—7 millim., paraphyses non distinctæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein violacee tincta (interdum rubescens).

Supra muscos vetustos in Scandinaviæ regionibus rupestribus passim sat frequenter. Raro ad cortices.

Synonymia apud auctores vaga. Hæc est *L. vernalis* herbarii Acharii. Variat sporis minoribus, long. 0,010—18, crass. 0,004—5 millim. (talis quoque ad arbores in Gallia, apotheciis nonnihil fuscescentibus facie *L. luteolæ* var. *fusco-rubellæ* Ach.), et gelatina hymenea iodo cœrulescente deinque mox vinose rubente. Variat dein (similis typicæ), supra muscos et Peltigeras emortuas, sporis sæpe tenuiter uni-septatis (immixtis aliis frequentioribus simplicibus); forma *subduplex* dicatur, si placet. — Protococco quodam vel rebus gonidiosis viridibus, thalli loco, conspurcatus typus est *Lecidea prasina* Schær. *Enum.* p. 137 (Micarea prasina Fr. *S. O. V.* p. 257; Biat. vern. var. conglomerata Leight. *L. Br. exs.* 151), ad cortices basi arborum vel ad ligna putrida vigens.

* **L. tenebricosa.** — Differt apotheciis fusco-rubentibus vel fuscis, planis vel convexis, sporis longit. 0,010—18, crassit. 0,004—5 millim., gelatina hymenea iodo intense cœrulea (dein violacee obscurata, æque ac in *subduplici).* Ad corticem populi in Rautalampi, Savolaxiæ et in Lapponia (Edwin Nylander), quoque in Nylandia, Esbo et Wihtis, ad populos (ipse), et in Satakunta (A. J. Malmgren). — Est *Lecanora anomala* var. *tenebricosa* Ach. *L. U.* p. 382 pr. p. (vel quoad specimina sola e Silesia), atque "Lecid. mutabilis var. stenospora" *Herb. Mus. Fenn.* p. 88. — Facie sæpius *Lecideæ fusco-rubentis,* hypothecio autem incolore mox distinguitur. Thallus vix vel parum visibilis.

** **L. turgidula** Fr. *L. S. exs.* 25, *Sched. crit.* 1, p. 10, Schær. *Enum.* p. 130. — Thallus albidus tenuissimus subeffusus vel effusus, vel vix ullus; apothecia fusco-nigricantia vel nigra vel fusco-pallescentia (vel rufescenti-pallida), sat parva vel parva planiuscula vel convexula, interdum nonnihil cæsio-pruinosa, intus albido-pallida vel obscura; sporæ 8^{næ} ellipsoideæ vel ellipsoideo-oblongæ simplices, longit. 0,007—0,012, crassit. 0,0035—0,0055 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulea, dein (violacee) obscurata. — Ad cortices et ligna pinorum (etiam putrida) in sylvis Scandinaviæ frequens. Occur-

rit quoque raro in Finlandia forma (athallina) apotheciis erumpentibus lignicola (f. *erumpens* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4, p. 232). *L. asserculorum β pityophila* Smmrf. *Lapp.* p. 154. *Cr. Norv.* 45, est *turgidula* lignicola thalamio sordide cœrulescente (fere ut in *melæna).*

*** **L. prasinolepis** Nyl. in Mus. Fenn. — Similis *vernali,* sed thallo virescente (vel viridi) granuloso-squamuloso, squamulis subimbricatis crenulatis sat parvis, apotheciis rufis vel carneo-rufis planiusculis vel convexiusculis; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,011—15, crassit. 0,006—7 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens. — Supra terram humosam in Enari (Edwin Nylander).

32. **L. anomala.** — *Biatora anomala* Fr. *L. E.* p. 269 pr. p., *L. S. exs.* 350.

Thallus albidus tenuis granulosus vel evanescens et sæpius vix ullus; apothecia fusco-nigricantia, vel fusco-pallescentia aut subnigra vel nigra, parva (latit. 0,25—0,5 millim.), convexula, sæpissime immarginata, intus cinerascentia (vel obscura) aut albida; sporæ oblongæ vel oblongo-fusiformes vel subbacillares tenuiter 1-septatæ (aut sæpe simul simplices), longit. 0,009—0,012, crassit. 0,0025—0,0035 millim., hypothecium incolor (vel superne leviter obsolete obscuratum). Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein vinose violacee tincta (vel obscurata) aut vinose rubescens.

Ad cortices in Scandinavia fere tota sat frequens, adhucque in Ostrobottnia boreali occurrens. Rarius ad ligna.

Sub "anomala" Acharii quoque latet. Forte rite specie distinguenda sit a *vernali.* Ad corticem betulæ prope Upsaliam sporis sæpe subcylindraceis, long. 0,010—0,015, crass. 0,003 millim., plerumque simplicibus. *Lecidea globulosa* Flk. *D. L.* 181 huc quoque pertineat, sed sporas in specimine Flœrkeano non vidi. — Variat 1) (f. *misella* Nyl.) apotheciis fere adhuc minoribus (latit. circa 0,25 vel minora) fusco-nigris, sporis simplicibus ellipsoideo-oblongis (longit. 0,007—9, crassit. 0,0035 millim.), thallo vix ullo; ad ligna vetusta in Finlandia meridionali. — Variat 2) f. *denigrata* (Fr. *L. E.* p. 270; *Biatora synothea* Fr. *L. S. exs.* 98) thallo granuloso, apotheciis fusco-pallidis vel nigricantibus vel nigris, sporis ut in typo (longit. 0,009—0,013, crassit. 0,0025—0,004

millim.), gelatina hymenea iodo cœrulescente; ad ligna, præsertim fabrefacta, passim, ubi adest quoque ecrustacea (varians apotheciis simplicibus aut glomerulosis). Huc referatur quoque *Lecidea fungicola* Ach. *L. U.* p. 672, *Syn.* p. 35, differens nonnisi sporis simplicibus (longit. 0,011—15, crassit. 0,0035 millim.); supra *Dædaleam quercinam* vetustam lecta in Suecia. — Parum differt f. 3) *pyrenothizans* Nyl., thallo simili vel cinereo-granuloso, sporis simplicibus oblongis (longit. 0,008—0,010, crassit. 0,0035), gelatina hymenea iodo cœrulescente, dein violacee rubescente, et præcipue spermogoniis copiosis globulum album spermatiorum extrudentibus; ad sæpes prope Holmiam et Helsingfors virisimiliterque pluribus locis obvia, nec sit rara. — Distincta fuit quoque f. 4) *Wallrothii* (*Scutula Wallrothii* Tul. *Mém. Lich.* p. 119, t. 14, f. 14—24, *Biatora Heerii* Hepp), apotheciis pallidis vel denigratis, planis aut convexulis, sporis simplicibus aut 1-septatis (longit. 0,007—0,011, crassit. 0,003—5 millim.), gelatina hymenea iodo vinose rubente (præcedente sæpe cœrulescentia); supra *Peltigeram caninam* rara. — Magis insignis est f. 5) *albo-hyalina* Nyl. in Mus. Fenn., apotheciis albidis vel albido-carneis, sporis simplicibus oblongis (longit. 0,009—0,012, crassit. 0,003—0,0035 millim.), gelatina hymenea iodo cœrulescente, deinde violacee obscurata; ad corticem alni et populi in Ostrobottnia boreali orientali (A. Chydenius et K. P. Malmgren).

* **L. glomerella** Nyl. in Mus. Fenn. — Similis *anomalæ* f. *denigratæ* (Fr.), sed thallo granuloso obscuriore sordide viridi-cinerascente, apotheciis fusco-rubentibus in glomerulis confluentibus (4—8 vel adhuc pluribus in quovis glomerulo), sporis oblongis vel fusiformi-oblongis simplicibus (vel interdum septo tenuissimo), longit. 0,010—18, crassit. 0,003—4 millim. — Ad ligna vetusta cæsa in Ostrobottnia australi (A. J. Malmgren).

33. **L. poliococca** Nyl.

Thallus cinerascens (vel virescenti-cinerascens) granulosus, granulis minutis plerumque simplicibus; apothecia nigra nuda parva (vix granulis thalli majora) immarginata, intus nigricantia; sporæ fusiformi-cylindraceæ (sæpe nonnihil curvatulæ), tenuiter 1-septatæ (vel simplices), longit. 0,010—12, crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad truncum decorticatum pini (sylvæ Parken) prope Upsaliam.

Affinis videtur *denigratæ*, apotheciis vero nigris etiam intus et lamina tenui visis pallide sordide-rufescentibus. Thallus intus virens.

34. **L. sphæroides** Smmrf. *Lapp.* p. 164; *Lecidea vernalis* var. *sphæroides* Ach. *Meth.* p. 68, *L. U.* p. 199; *L. alabastrina* var. Ach. *Syn.* p. 46.

Similis *Lecideæ vernali*, sed apotheciis carneo-pallidis vel carneo-flavidis; sporæ oblongo-fusiformes 3-septatæ, longit. 0,015—21, crassit. 0,005—7 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens (præcedente cœrulescentia levi).

Ad cortices et supra muscos in Scandinavia rupestri-sylvatica passim.

Forsitan a *Lecidea vernali* specie separari possit, præcipue apotheciis pallidioribus, sporis 3-septatis. E Lapponia non vidi. — Variat vero rarius in Scandinavia (eandem usque e Tauria vidi corticolam) apotheciis rufescentibus, gelatina hymenea iodo intense cœrulescente (deinde violacee tincta), sporis 1—3-septatis (f. *vacillans*, si placet). Est *Parmelia subfusca* var. *cyrtella* Hmp. Exs. 39. — Sat typica apotheciis sordide carneo-rufescentibus (gelatina hymenea iodo vinose rubente), sporis sæpius 1-septatis, thallo cinerascenti-flavido leproso; ad Uleåborg (Edwin Nylander). Occurrit simul typus statu accidentali (ut videtur), apotheciis corneo-subhyalinis vel corneo-rufescentibus (anne *L. microbola* Ach. *Syn.* p. 48).

* **L. sabuletorum** Flk. in *Berl. Magaz.* 1808, p. 309 (excl. varr.), Ach. *Syn.* p. 20 (excl. varr.); *Lecidea hypnophila* Turn., Ach. *L. U.* p. 199. — Thallus albido-cinerascens tenuissimus; apothecia fusca vel fusco-pallescentia vel fusco-nigricantia mediocria convexa, intus pallida; sporæ fusiformes (3—)5-septatæ, longit. 0,020—38, crassit. 0,006—8 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens (dein obscurata). — Supra muscos vetustos et terram in Suecia magis meridionali atque saltem usque ad Salam, et in Finlandia meridionali (præsertim Alandia, ubi eam legit Edwin Nylander).

Forte specie distingui debeat a *L. sphæroide*, cui valde affinis, at apotheciis majoribus obscuris. Hypothecium plerumque saltem strato supero (lamina tenui) fuscescens. Paraphyses haud discretæ. Variat apotheciis intus obscuris (hypothecio crasse fuscescente), gelatina hymenea iodo intense cœrulescente (dein violacee rubescente), muscicola, saltem in Savolaxia (Edwin Nylander). — Frequentius occurrit in

Scandinavia rupestri-sylvatica et usque in Lapponiam alpesque procedit f. 1) *triplicans* Nyl. (huc verisimiliter *L. sphæroides* var. *obscurata* Smmrf. *Lapp.* p. 165), facie externa gaudens omnino *Lecideæ sanguineo-atræ*, thallo tenuissimo cinerascente, apotheciis obscure fusco-rufescentibus, intus pallidis (interdum obscuris), sporis (1—)3-septatis longit. 0,018—30, crassit. 0,006—8 millim., gelatina hymenea iodo intense cœrulee tincta (dein aut violacee obscurata aut vinose rubente); muscicola, rarius corticola. — Parum differt a typo f. 2) *milliaria (Lecidea milliaria* Fr. *L. E.* p. 342 pr. p., *L. S. exs.* 29) et vix nisi thallo sæpe granuloso (at quoque fere evanescente) et apotheciis denigratis (nigris), intus cinerascentibus (hypothecio parum tincto); lignicola et muscicola, rarius in Scandinavia (forte haud ultra mediam procedens). Variat vero hæc sporis 1-septatis (longis ut in typo) et interdum gelatina hymenea iodo vinose rubente (supra muscos ad Helsingfors [ipse] et in Sueciæ montibus [Thedenius] atque supra terram in Lapponia); dicatur, si placet, f. *simplicior*. — "Lecidea artyta" Ach., apotheciorum saltem respectu, jungere videtur hanc formam *milliariam* cum f. 3) *montana (L. vernalis* var. *montana* Nyl. *Prodr.* p. 108 (huc quoque *L. sabuletorum* Ach. pr. p.) thallo cinerascente vel albido tenuissimo (rarius tenui granuloso), apotheciis nigris intus nigricantibus (linea hymenea paullo cinerascente), sporis variabilibus 1—3-septatis (long. 0,015—25, crass. 0,005—8 millim.), gelatina hymenea iodo intense cœrulee (dein violacee vel vinose) tincta; supra muscos in regionibus sylvatico-rupestribus Scandinaviæ passim. Quoque obveniens apotheciis planiusculis. Forte descendat potius a L. sanguineo-atra. Etiam in Gottlandia. *Lecidea sabuletorum* var. *syncomista* Flk., Smmrf. *Lapp.* p. 155 (*Bilimbia sabulosa* Mass., *Biatora Regeliana* Hepp. *Flecht.* 283) est status ejusdem thallo subsquamuloso, granulis squamulosis crenatis vel crenato-lobatulis concrescentibus. Est sat similis f. *artytæ* (Ach. *L. U.* p. 170, *Syn.* p. 33), sed hæc differt jam hypothecio modo fuscescente vel subincolore; *artytam* e Scandinavia non vidi. — Occurrit quoque forma *sphæroidi* similis, sed apotheciis sordide rufescentibus vel pallide fuscescentibus (vel passim fuscis), sporis 3-septatis (longit. 0,015—24, crassit. 0,005—7 millim.), gelatina hymenea iodo intense cœrulescente (dein violacee obscurata); in ruinis arcis Upsaliæ (ipse) et ad cimentum murorum in Järwentaipale Savolaxiæ (Edwin Nylander). Hæc forma 4) *muricola* dici possit.

** **L. melæna** Nyl. in *Bot. Notis* 1853, p. 182, Moug. *St. Vog.* 1329; *L. vernalis* var. *melæna* Nyl. *Prodr.* p. 107; *L. milliaria* Fr. pr. p. (*L. S. exs.* 212 B). — Thallus sordide virescens vel cinerascens vel fusco-nigricans tenuissimus subleprosus vel nullus distinctus; apothecia nigra sat parva convexa, intus concoloria; sporæ oblongæ 1—3-septatæ, longit.

0,014—22, crassit. 0,005—6 millim., thecium (lamina tenui) cœrulescens, hypothecium crasse atrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens (dein violacee obscurata). — Supra ligna vetusta et terram humosam in Scandinavia rarius videtur. E Lapponia non visa.

*** **L. cyrtella** Ach. *Meth.* p. 67, Flk.; *Lecidea anomala* var. *cyrtella* (et *hosthelea)* Ach. *Syn.* p. 39; *Biatora? cyrtella* Fr. *L. S. exs.* 195; *L. hosthelea* Ach. *Meth.* p. 57; *L. luteola* var. *chlorotica* Ach. *L. U.* p. 196; *Lecanora Hageni β sorbina* Smmrf. *Cr. Norv.* 62. — Thallus pallidus vel albidus tenuissimus inæqualis vel passim vix ullus; apothecia pallida vel obscurius sordide rufescentia planiuscula vel convexa, sat parva (juniora submarginata vel interdum sublecanorina), intus albido-pallida; sporæ 8^{næ}—16^{næ} oblongæ vel oblongo-fusiformes variabiles (simplices vel) 1-septatæ, longit. 0,009—0,016, crassit. 0,004—5 millim., paraphyses vix vel parce distinctæ (tum fere mediocres). Gelatina hymenea iodo vinose rubens (vel violacea vel obscure violacea), præcedente cœrulescentia. — Ad cortices in Scandinavia passim et usque in Lapponiam procedens; in Nordlandia ad sorbos et salices (Sommerfelt).

35. **L. viridescens** Ach. *Meth.* p. 62, *L. U.* p. 200, *Syn.* p. 36; *Lichen viridescens* Schrad.

Thallus dilute virescens tenuissimus leprosus; apothecia fusconigra, sat parva, opaca, convexiuscula, intus obscura aut albida; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,011—13, crassit. 0,005 millim., paraphyses non bene discretæ, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad truncos putridos in Suecia magis meridionali (ex hb. Ach.).

36. **L. ochrococca** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 297.

Thallus lutescenti-ochraceus granulosus effusus, granulis sat parvis contiguis subdispersisve firmulis; apothecia rufa vel rufescentia (latit. 0,5 vel fere usque 1 millim.) plana, margine obtuso vel non distincto, intus albida; sporæ oblongo-fusifor-

mes incolores parvæ, longit. 0,007—9, crassit. 0,003—0,0035 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad corticem pini in Norvegia meridionali (W. P. Schimper).

37. **L. tricolor.** — *Lichen tricolor* Wither. *Arr.* 4, p. 20; *Lichen ferruginosus* Turn.; *Lichen Griffithii* Sm. *E. Bot.* t. 1735; *Lecidea hamadryas* Ach. *L. U.* p. 672; *Lecidea anomala* Flk. *D. L.* 161; *Biatora mixta* Fr. *L. E.* p. 268; *Lecidea parasema* var. *microcarpa* Ach. *L. U.* p. 176; *L. enteroleuca* var. *grandinosa* Ach. l. c. p. 177.

Thallus albidus tenuissimus inæqualis vel obsoletus aut subgranuloso-rugosus effusus; apothecia carneo-fusca vel livido-fuscescentia vel nigricantia (rarius carneo-pallida) plana vel planiuscula, margine tenui (sæpe pallidiore), intus albido-pallescentia; sporæ fusiformes vel oblongæ, tenuiter uni-septatæ, longit. 0,010—20, crassit. 0,035—0,045 millim., paraphyses sat distinctæ (interdum minus distinctæ). Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens (plerumque dein obscurata).

Ad cortices varios (quercus, pini, abietis); rarius ad ligna vetusta. In Scandinavia saltem usque ad Upsaliam et Finlandiam meridionalem.

38. **L. protuberans** Schær. *Enum.* p. 117, Nyl. *Prodr.* p. 109; *Sagedia protuberans* Ach. *L. U.* p. 328, *Syn.* p. 134.

Thallus cinerascens tenuis vel vix ullus; apothecia nigra vel fusco-nigra concava (gyalectoidea), margine crasso, intus albida; sporæ oblongo-ellipsoideæ 3-septatæ, longit. 0,020—28, crassit. 0,008—0,010 millim., paraphyses discretæ.

Supra rupes calcareas umbrosas Gottlandiæ (ex rev. Stenhammar). Inde non vidi.

39. **L. dubitans** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus albido-cinerascens tenuissimus vel vix ullus; apothecia fusca vel livido-fusca parva (latit. 0,2—0,3 millim.) convexiuscula opaca, margine epithallino albido tenui (saltem juniora) cincta, intus pallida; sporæ 8næ oblongæ 1-septatæ, longit. 0,011—21, crassit. circa 0,005 millim., sæpe curvulæ,

utroque apice obtusiuscule rotundatæ, paraphyses parcæ (vel non distinctæ, sed loco earum thecæ steriles), hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein violacee sordida (vel passim vinose tincta).

Ad corticem populi in insula Hogland (Edwin Nylander).

Facile cum *Lecanora athroocarpa* commixta, sed potius sit Lecidea e stirpe *Lecideæ vernalis*, quod credere suadet thalamium paraphysibus prope destitutum, nec apothecia rite lecanorina vidi, licet certe faciei sint fere Lecanoræ. Sporæ proxime ut in *L. athroocarpa*, sed uni-septatæ.

40. **L. erysiboides** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 232.

Thallus viridis vel virescens leprosus tenuis, fere indeterminatus, passim prope evanescens; apothecia testaceo-rufa parva (latit. 0,2—0,4 millim.), convexula immarginata opaca, intus concoloria; sporæ parvæ ovoideæ, utroque apice obtusæ (superiore crassiore), 1-septatæ, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein mox sordide vinose obscurata.

Ad truncos pini putridos prope Helsingfors rara.

41. **L. gyaliza** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus vix ullus (vel macula obsoleta effusa indicatus); apothecia fusca vel fusco-pallescentia, sat parva (latit. fere 0,5 millim. vel minora), plana, tenuiter marginata (juniora gyalectina), intus albida vel pallida; sporæ ovoideæ vel ellipsoideæ (incolores) 1-septatæ, longit. 0,011—14, crassit. 0,005—7 millim., paraphyses sat graciles, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo vinose rubens (præcedente cœrulescentia levi).

Ad ligna vetusta in Merimasku prope Aboam (Karsten).

Apotheciis planis (junioribus concavis), paraphysibus discretis et alibi notis differt ab affini *Lecidea erysiboide*.

* L. PLEIOTERA Nyl. vix differt nisi thecis 8—16-sporis, gelatina hymenea iodo cœrulee tincta. Ad corticem juniperi in Suecia.

c. — *Thallus ut in* b. *Sporæ aciculares vel bacillares.* — Species 42—46.

42. **L. rosella** Ach. *Meth.* p. 57; *Lichen rosellus* Pers.; *Biatora rosella L. E.* p. 259; *Bacidia rosella* DN.

Thallus cinerascens tenuis inæqualis vel subgranulosus; apothecia rosea vel incarnata subpruinosa mediocria, margine obtuso vel parum distincto, intus tota albida; sporæ aciculares pluri-septatæ, longit. 0,068—98, crassit. 0,0045—0,005 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulea (dein obscurata).

Ad corticem fagi in Suecia, rara.

43. **L. luteola** Ach. (varr. *rubella* et *porriginosa* Ach. *L. U.* p. 195, 196), *Syn.* p. 41 (excl. var. *β*); *Biatora vernalis* a. Fr. *L. E.* p. 260; *Patellaria rubella* DC.

Thallus cinerascens vel cinereo-virescens tenuis effusus subgranuloso-inæqualis vel leprosus vel fere nullus; apothecia luteo-rufescentia vel carneo-rufa planiuscula mediocria, margine obtuso (vel demum convexa margineque excluso); sporæ aciculares simplices vel pluries septatæ, longit. 0,045—0,075, crassit. 0,003—0,0045 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein violacee tincta vel obscurata.

Ad cortices in Scandinavia passim et parum (forma typica) ultra mediam septentrionem versus procedens.

L. *rosella* ei nimis (præsertim varietati *porriginosæ* Ach., in Gallia et Anglia obviæ) affinis, colore apotheciorum dignota (*luteolæ* var. *porriginosa* apothecia habet margine albo-suffusa vel ibi albo-rosella). Variat *luteola* colore præsertim apotheciorum. — Var. 1) *fuscorubella* Ach. *Meth.* p. 61, *L. U.* p. 196 (var. *fuscella* Fr.), apotheciis fuscescentibus (ceteroquin cum typo conveniens). — Var. 2) *inundata* (Fr. *L. E.* p. 261), differens thallo virescente effuso, apotheciis sæpius minoribus rufis vel rufo-testaceis vel pallide rufis, sporis longit. 0,034—50, crassit. 0,002—0,0035 millim., ad ligna et saxa locis interdum inundatis passim.

44. **L. umbrina** Ach. *L. U.* p. 183, *Syn.* p. 35; *Lecidea pelidna* Ach. *L. U.* p. 158; *L. holomelæna* Flk., Schær. *Enum.* p. 134; *Scoliciosporum holomelænum* et *compactum* Krb.

Thallus tenuis obscurus vel nigricans vel nigro-virescens granuloso-inæqualis, determinatus vel subeffusus; apothecia nigra planiuscula vel convexula sat parva, intus albida; sporæ vermiformi-cylindraceæ, sæpius nonnihil spiraliter curvatæ, longit. 0,020—40, crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses mediocres (vel haud bene discretæ). Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose violacea vel violacee obscurata.

Ad lapides calcareos, et in Scandinavia, præsertim supra ligna vetusta et sæpes (saltem prope Helsingfors haud rara); prope Norcopiam ad fraxinorum juniorum corticem.

Thallo nigricante, apotheciis nigris vel subnigris intus totis albidis (vel cinerascentibus), sporis vermiformibus sæpius flexuosis dignota. Huc pertinet *L. synothea* Ach. pr. p., ex hb. Achariano. Variat hypothecio obsolete tenuiter fuscescente. Variat, f. *vermifera* (*Lecidea vermifera* Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 98), thallo evanescente vel vix ullo (ex. gr. ad truncum putridum prope Holmiam), vel tenui cinerascente (saxicola ad Kajana lecta a cl. A. J. Malmgren).

* **L. bacillifera** Nyl. in Mus. Fenn. — Differt ab *umbrina* thallo vix ullo vel cinerascente tenuissimo subgranuloso vel subcontiguo; apotheciis nigris vel fusco-nigris (sæpius sat parvis) planis vel planiusculis, marginatis aut margine demum excluso, intus albidis vel cinerascentibus; sporis acicularibus vel oblongo-cylindricis rectis (vel rectiusculis), simplicibus vel tenuiter 3—(7-)septatis, longit. 0,018—32, crassit. 0,0025—0,0035 millim., hypothecio incolore vel leviter sordido. Gelatina hymenea iodo cœrulescente, dein vinose violacee tincta aut mox vinose rubente (præcedente cœrulescentia, interdum vix ulla). — Ad cortices in Suecia et Finlandia, forsan haud rara. Ad ligna putrescentia in Tavastia (P. A. Karsten).

Forte species propria. Huc pertinet Nyl. *L. F.* n. 136. In Tavastia cl. Karsten legit formam (accedentem ad *tenebricosam*) sporis longit. 0,014—20, crassit. 0,003—4 millim. (ad populos?), gelatina hymenea iodo vinose rubente. Variat haud parum. — F. 1) *incompta* (*L. incompta* Borr. *E. Bot.* suppl. t. 2699, Leight. *L. Br. exs.* 162) differens præcipue hypothecio fusco; sporæ ei longit. 0,020—40, crassit. 0,002—0,0035 millim., gelatina hymenea iodo cœrulescens dein mox vinose violacea vel vinose rubens; obvenit ad cortices sat raro. — F. 2) *muscorum* (*L. muscorum* Sw., Whlnb., Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 175, f. 4), similis fere *incomptæ*, sed sporis longioribus (longit. 0,030—56, crassit. 0,0025—0,0035 millim.), sæpe pluri-septatis, thallo cinerascente tenuissimo contiguo vel albido-granuloso; supra muscos vetustos et terram passim. Variat in Suecia (saltem media) apotheciis intus cinerascentibus, hypothecio parum (vel strato tenui) fuscescente.

** **L. poliæna** Nyl. in Mus. Fenn. — Thallus albidus tenuis inæqualis effusus; apothecia livido-pallida decoloria subpruinosa convexa immarginata (latit. circa 0,5 millim.), sat

conferta vel conferta; sporæ bacillari-aciculares rectæ, longit. 0,025—32, crassit. circa 0,0025 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens. — Ad corticem betulæ vetustæ in insula Mjölö haud procul a Helsingfors (socia *Opegraphæ vulgatæ).*

Fortasse bona species. Facie fere formæ cujusdam *Lecanoræ albellæ* apotheciis convexis omnino biatorinis. Sporæ simplices vel 1—3—(5-) septatæ.

45. **L. patellarioides** Nyl. *Et. Alger.* p. 333, *Prodr.* p. 115.

Thallus albicans tenuissimus effusus vel nullus; apothecia nigra (vel fusco-nigra) opaca plana, sat parva, marginata aut margine non distincto, intus albida vel sordida; sporæ 8^{næ} aciculares, simplices aut pluri-septatæ, longit. 0,036—76, crassit. 0,004—0,0045 millim., paraphyses discretæ graciles, hypothecium fuscescens. Gelatina hymenea iodo non tincta (vel interdum obsolete cœrulescens vel obsolete rubescens).

Ad corticem, præsertim abietis, saltem in Finlandia rarius.

Fere *Patellaria.* Variat ad populos in Alandia (Edwin Nylander), athallina, sporis brevioribus curvatis (magis quam in typo, cui sæpe sunt subrectæ vel rectæ), longit. 0,032—35, crassit. 0,0045 millim.; dicatur var. *subvermifera.* Ad salices in Suecia, ex hb. Ach., adest forma ejus apotheciis minutis confertioribus.

* **L. dryina** Ach. *Meth.* p. 34, *L. U.* p. 178, *Syn.* p. 24. — Thallus albus subleproso-farinaceus tenuis effusus; apothecia atra sat parva (vix latit. 0,4—0,5 millim. adtingentia), sæpe rugosula, tenuiter marginata, intus medio albida; sporæ aciculares pluri-septatæ (longit. 0,046—56, crassit. 0,003—4 millim.), paraphyses graciles vel fere mediocres, hypothecium infra fuscescens vel fuscum (lateribus nigrum). Ita ægre nisi thallo differens a *patellarioide;* et forte hic thallus haud proprius. — Ad quercus in Suecia, ex hb. Acharii.

Lecidea lilacina Ach. *Meth.* p. 34 (*L. dryina* var. in Ach. *L. U.* l. c. et *Syn.* l. c.) est *dryina* thallo (albo) determinato, apotheciis diminutis. In hac forma *(lilacina)* gelatinam hymeneam pauxillum vidi iodo cœrulescentem. Omnino Male in Fr. *L. E.* p. 453, sub "Pyrenothea sticta" jungitur. Lecidea dryina Flk. D. L. 141 est *Schizoxylon* (Pers.) Nyl.

d. — *Thecæ monosporæ; sporæ magnæ vel maximæ.* — Species *46.*

46. **L. pezizoidea** Ach. *L. U.* p. 182, *Syn.* p. 26, Schær. *Enum.* p. 132, Nyl. *Prodr.* p. 118; *Lopadium muscicola* Krb. *S. L. G.* p. 210; *Lecidea muscicola* Smmrf. *Lapp.* p. 159.

Thallus fuscescens tenuis granuloso-concretus; apothecia fusco-nigra elevata concaviuscula, marginata, intus sub epithecio albida; sporæ ellipsoideæ murali-divisæ, longit. 0,056—80, crassit. 0,020—27 millim.

Supra muscos vetustos vel destructos in alpinis et subalpinis Norvegiæ; frequens in Saltdalen, ex Sommerfelt.

e. — *Thallus ut in* c *(vel sæpius evanescens). Sporæ globulosæ vel sphæricæ 8næ vel plures in thecis, aut thecæ polysporæ.* — Species *47—50.*

47. **L. geophana** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus cinerascens tenuissimus vel obsoletus; apothecia fusco-nigra vel nigra parva (latit. circa 0,3 millim.), planiuscula vel convexiuscula, immarginata, intus concoloria; sporæ 12—16næ globulosæ, diam. 0,007 millim., paraphyses non discretæ, hypothecium (lamina tenui) fuscescens. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Supra terram argillaceam prope Raumo lecta a præclar. P. A. Karsten.

Non confundenda cum *Lecidea terrigena* Ach. *L. U.* p. 181 (*Collema cœnosum* Ach. ibid. p. 629, *Syn.* p. 309), quæ sporas habet 8nas ellipsoideas (long. 0,028—34, crass. 0,015—19 millim.), obvia in Helvetia, et quæ fere potius sit *Pannaria*, tamen paraphyses haud distinctæ, lamina tenuis apothecii sordida (hypothecium vero non fuscescens).

48. **L. fuscescens** Smmrf. *Lapp.* p. 161; *Biatora fuscescens* Fr. *L. E.* p. 273.

Thallus albidus vel cinereus tenuiter granulosus, hypothallus tenuis obscurus (fusco-nigrescens); apothecia fusca mediocria (vel sat parva) plana marginata, intus albida; sporæ 8næ globulares vel subglobulares, diam. 0,006—7 millim., paraphyses mediocres distinctæ. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

In Nordlandia et in Dovre, ad corticem betulæ.

Facie interdum "Lecanoræ Hageni" Ach. macræ biatorinæ, quam etiam immixtam vidi (sporis ellipsoideis long. 0,008—0,010, crass. 0,005 - 6 millim.). *L. fuscescens* Nyl. *L. P.* 133, *Prodr.* p. 117, optime sistat varietatem (vel fere speciem distinctam), var. *leprodeam* Nyl., thallo cinereo vel albido-cinerascente leproso effuso; ad corticem pini in Gallia et in Lusatia.

49. **L. improvisa** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 233.

Thallus cinerascens vel fusco-cinerascens tenuis indeterminatus aut sæpius vix ullus (si vestigia tum ejus cinerascentis adsunt, vastissime diffluunt); apothecia nigra superficialia planiuscula (aut convexa) immarginata, sæpe inæqualia (vel e binis connata), fere mediocria (latit. 0,5—0,7 millim.) vel parva, intus cinerascentia; sporæ innumeræ (in thecis tumentibus) sphæricæ minimæ, diametr. 0,002—0,0035 millim., paraphyses non discretæ (earum loco canaliculi tubulosi), hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein obscurata.

In Finlandia pluribus locis ad ligna et cortices pini, ex Alandia in borealem. Facile est species in Scandinavia frequens, licet ante neglecta.

50. **L. resinæ** Fr. *Obs. Myc.* I, p. 180, Nyl. *Prodr.* p. 119; *Peziza resinæ* Fr. *Syst. Myc.* 2, p. 149.

Thallus flavescens tenuis vel cinerascens leprosus (an proprius?) vel nullus; apothecia aurantiaca vel rubricose rufa mediocria planiuscula; thecæ polysporæ, sporæ globosæ diam. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses graciles, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad cortices resinosos et ligna pini in Scandinavia passim, usque in Lapponia.

Potius sit Fungus. *Sphæria resinæ* Fr. ejus sistat spermogonia.

* **L. globularis.** *Arthonia lurida* var. *globularis* Ach. hb. — Thallus nullus visibilis vel macula obsoleta pallido-albida indicatus; apothecia fusca vel fusco-nigra minuta (latit. 0,2—0,3 millim.) superficialia gregaria prominula convexula immarginata, intus albida; sporæ 8næ ellipsoideo-globulares vel sub-

globulosæ, longit. 0,005—6, crassit. 0,004 millim., paraphyses graciles (non confertæ, nec regulares). Gelatina hymenea iodo cœrulescens. — Ad lignum in Suecia (ex hb. Ach.).

Verisimiliter verus Lichen, sed quum unicum modo speciminulum ejus vidi et forsan statu perfectiore occurrat, hic ad interim locum habeat. Facie est quasi *Lecideæ anomalæ* f. *misellæ* comparandæ.

Sectio II. — *Apothecia patellaria typice atra* *). LECIDEA (*sensu strictiore*) *Fr.* — Species *51—122*.

A. — *Species thallo coloris varii (non autem citrini).* — Species *51—117*.

a. — *Thallus squamosus. Sporæ incolores.* — Species *51*.

51. **L. decipiens** Ach. *Meth.* p. 30, *Syn.* p. 52; *Biatora decipiens* Fr. *L. E.* p. 252; *L. incarnata* Ach. *L. U.* p. 199.

Thallus incarnatus vel incarnato-pallescens vel roseo-lateritius, e squamis constans (discretis vel fere imbricatis) subrotundis, marginibus nonnihil flexuosis; apothecia marginalia convexa intus fusco-nigricantia (sat tenuia, fere mediocria); sporæ ovoideæ vel ellipsoideæ.

In alpinis saltem Norvegiæ supra terram. Deinde in Gottlandia et Œlandia.

b. — *Thallus granulosus varius vel rugosus aut æquabilis, aut nullus proprius. Sporæ incolores. Spermatia filiformia arcuata.* — Species *52—64*.

52. **L. vesicularis** Ach. *Meth.* p. 78, *L. U.* p. 212, *Syn.* p. 51, Fr. *L. E.* p. 286; *L. cœruleo-nigricans* Schær.; *L. lutosa* Ach.; *L. glebosa* Ach.

Thallus glaucus vel pallide-fuscescens et sæpissime cæsio-pruinosus, squamulosus, squamulis bullatis vel bullato-plicatis, discretis vel congestis; apothecia (cæsio-pruinosa vel nuda) mediocria plana obtuse marginata, vel demum convexiuscula

---

*) Raro fusco-rufescentia vel fusca vel fusco-nigra (in *Lecidea lithophila, rivulosa, lenticulari, oxyspora*, &c.). Spermatia in omnibus oblongo-cylindrica recta, excepta subdivisione *b* (speciebus 52—64) ubi sunt filiformia vel filiformi-cylindrica curvata. Sporæ omnibus typice 8ⁿᵃ, in *L. accline* sæpe plures (circa 12) et in *sanguinaria* thecæ monosporæ.

margine excluso; sporæ anguste fusiformes vel subaciculares, longit. 0,018—30, crassit. 0,002—4 millim.

Supra terram (sæpius inter muscos) in Gottlandia. Quoque in alpinis Norvegiæ.

53. **L. candida** Ach. *Meth.* p. 79, *L. U.* p. 212, *Syn.* p. 50, Whlnb. *Lapp.* p. 479, Fr. *L. E.* p. 285; *Lichen candidus* Web.

Thallus cinereus dense albo-suffusus (superficie quasi albo-farinosa), squamis constans tumidulis lobato-plicatis congestis et imbricatis; apothecia plana vel convexiuscula leviter pruinosa (inde cæsia), intus pallida; sporæ fusiformes 1-septatæ, longit. 0,016—23, crassit. 0,0035—0,0045 millim.

In alpinis Norvegiæ.

54. **L. ileiformis** Fr. *L. E.* p. 334.

Thallus candicans turgidus in juga flexuosa efficuratus; apothecia nuda superficialia convexa, intus alba.

Supra terram alpinam montis Dovre (Blytt), ex Fr. l. c.

A me specimine archetypo non examinata; de olim obiter visa adnotavi: subsimilis *Lecideæ galbulæ*, at thallo carneo-albo vel albido. Definitio secundum l. c. transscripta. Vidi vero e Snöhättan (in hb. Schimperiano) *Lecideam*, ni fallor huc pertinentem, thallo candido (lacteo, non vero glaucescente) turgido tartareo gleboso vel verrucoso, glebulis singulis plus minus confluentibus, apotheciis atris opacis convexiusculis (interdum nonnullis agglomeratis), intus albis, sporis ellipsoideis (longit. 0,010—12, crassit. 0,006—7 millim.), paraphysibus non bene discretis, gelatina hymenea iodo cœrulescente. Spermogonia non inveni.

55. **L. conglomerata** Ach. *L. U.* p. 201, *Syn.* p. 33, Fr. *L. E.* p. 287, Nyl. *Prodr.* p. 122.

Thallus cinerascens granulato-conglomeratus, granulis verrucoso-plicatis vel caulescentibus sursum incrassatis (vel quasi inflatis), pulvinato-congestus; apothecia convexa intus alba, sæpe plura aggregata vel confluentia; sporæ oblongæ simplices, longit. 0,009—0,014, crassit. 0,004—0,0045 millim.

Ad saxa, in montibus Norvegiæ lecta a cel. Blytt, ex Fr. l. c.

56. **L. squallida** Ach. *L. U.* p. 169, *Syn.* p. 19, Fr. *L. E.* p. 288; *L. atrorufa* var. *squarrosa* Ach. *L. U.* p. 200; *L. norvegica* Smmrf. *Lapp.* p. 175 (ex Fr. l. c.); *Patellaria Prostii* Dub.

Thallus cervinus vel cinereo-fuscescens squamuloso-concrescens rugosus, sæpe in pulvinulos diffractus (interdum sat crassus); apothecia plana vel convexiuscula, intus albida vel alba; sporæ cylindraceæ (vel fusiformi-cylindraceæ), simplices aut 3-septatæ, longit. 0,018—36, crassit. 0,0035—0,0045 millim., hypothecium incolor.

Ad rupes (et in earum rimis) in alpinis Norvegiæ et adhuc prope Holmiam.

57. **L. acervulata** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 183.

Thallus cinerascens sat firmus, granulato-plicatus (muscos gleboso-conglomerans); apothecia planiuscula tenuiter marginata, etiam intus nigra; sporæ fusiformi-cylindraceæ 1—3-septatæ, longit. 0,019—24, crassit. 0,004—5 millim., thecium angustum, hypothecium fuscum (subhymeniale obscurius).

Supra saxa calcarea muscosa ad fodinas Salæ in Suecia.

58. **L. confusa** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 182, *Prodr.* p. 126; *L. badia* Fr. *L. E.* p. 289, pr. p., Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 177, f. 8 a.

Thallus badius vel fusco-rufescens granulato-squamulosus, in pulvinulos conglomeratus; apothecia convexiuscula, intus concoloria (nigra); sporæ simplices ellipsoideæ, longit. 0,008—0,010, crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non discretæ.

Ad saxa in Suecia saltem media (sæpius in rimis, inter muscos) rarius.

Lecidea fuliginosa Tayl. in Mack. *Fl. Hib.* 2, p. 131, formam obscuriorem respicit. — Var. *pyrenaica* Nyl. l. c. p. 182, differt thallo badio-cinerascente glomeruloso, squamulis concretis, sporis longit. 0,012—16, crassit. 0,0035—0,0040 millim. (sat conveniens cum *L. cinereo-rufa* var. *pyrenaica* Schær. *Enum.* p. 96); ad saxa granitica prope Upsaliam. Sporæ ei varietati tenuissime vel obsolete 1-septatæ.

59. **L. parasema** Ach. pr. p., Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 175; *L. parasema* var. *convexa* Fr. *L. E.* p. 230; *L. tersa* Ach.

Thallus albidus vel cinereus determinatus (vel sat determinatus) granulosus aut sublævigatus, sæpe satis tenuis; apothecia convexiuscula (vel juniora plana), intus nigricantia vel cinerea; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. circa 0,010—16, crassit. 0,005—8 millim., hypothecium fuscescens. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens, dein violacee obscurata.

Vulgaris in Scandinavia ad cortices arborum et fruticum; similiter ad ligna haud infrequens. Raro terrestris, ex gr. in Hogland (Edwin Nylander).

Tamquam in genere species solent vulgares, hæc valde est polymorpha. Acharius *parasemam* commiscuit primitus cum sua "corticola", *Lecidea disciformi* aliisque. Thallo magis evoluto distinxit varietatem *rugulosam* (*Patellariam glomerulosam* DC.); occurrit quoque hæc thallo obscurius cinereo, et sæpe lignicola (*L. lignaria* Ach. *L. U.* p. 169, *Syn.* p. 26; *L. sabuletorum* var. *euphorea* Flk. in *Berl. Magaz.* 1808, p. 311). Sequentes sistunt varietates præcipuas *Lecideæ parasemæ*, nostro sensu. — Var. 1) *limitata* Ach. (pr. p.), dignota thallo linea hypothallina nigricante circumscripta; passim ad cortices. — Var. 2) *leucoplacoides* Nyl. (*L. papillata* Fr. *L. S. exs.* 352, non Smmrf.) parum differt a typo, thallo albo paullum crassiore; ad fraxinos et populos, saltem prope Upsaliam et in Alandia. — Var. 3) *latypea* (*Lecidea latypea* Ach. pr. p., *L. coniops* Ach. pr. p., Nyl. *Chil.* p. 164), similis typo, sed saxicola, thallo magis granuloso; ad saxa montium Norvegiæ et Sueciæ rarius. Occurrit quoque, saltem in Alandia (Edwin Nylander) forma subsimilis *muscicola*. — Var. 4) *nitidula* (*L. nitidula* Fr. *L. E.* p. 308 pr. p., *L. lapicida* var. *monticola* Ach.) Nyl. *Prodr.* p. 124, similis typo, sed thallo evanescente vel vix ullo, apotheciis et sporis minoribus; ad lapides passim, sat rara. — Var. 5) *flavens* Nyl. ("flavida" olim, sed in Fr. *L. E.* p. 330 hoc nomine respicitur *L. contiguæ* forma), similis typo, at thallo flavido et apotheciis intus albidis, hypothecio fere incolore, ad cortices sat frequens. Latet sub *elæochroma* Ach. (ex hb. Ach.), a qua etiam parum diversa. — Var. 6) *elæochroma* Ach. *L. U.* p. 275, Nyl. l. c. (*L. elæochroma* Ach. *Syn.* p. 18; *Lecidea anomala* var. *flavicans* Ach. *Syn.* p. 39) similis typo, sed thallo, sæpe nigro-limitato, flavescente vel flavido-cinerascente, apotheciis (intus cinerascentibus vel albidis) nigris, partim obscure rufescentibus vel obscure pallescentibus vel subæruginosis; ad cortices rarius, et in Scandinavia boreali deficiens, ut videtur. — Var. 7) *enteroleuca* (*L. enteroleuca* Ach. *L. U.* p. 177, *Syn.* p. 19, Fr. *L. E.* p. 381; *L. dubia* Borr.) haud differt a typo speciei, nisi apotheciis intus albidis; occurrit præsertim ad ligna et supra lapides, sæpeque thallo evanescente vel vix ullo. Sporæ longit. 0,010—15, crassit. 0,006—9 millim. In Lapponia (Edwin Nylander),

ad betulas, obvenit forma *enteroleucæ*, macula hypothallina nigricante distincta, granulis thalli cinereis sparsis (vel saltem discretis), sporis minoribus (longit. 0,006—8, crassit. circa 0,004 millim.). Similis adest in Suecia (ex hb. Ach.), sporis majoribus solitis (longit. 0,010—14, crassit. 0,005—8 millim.). In Kinnekulle Sueciæ ad calcem obvenit forma ferruginosa *enteroleucæ*, thallo tenui sordide ochraceo, apotheciis fere cæsio-suffusis.

Observetur adhuc varietates Acharianas *parasemæ* res exprimere varias ab ea distantes. Ita var. *athroa* Ach. pertinet ad *Lecideam alboatram* (corticolam, apotheciis nudis); var. *punctata* Ach. ad *alboatram* eandem minorem, *myriocarpam*, *nigritulam*, *Arthoniam patellulatam*, etc.; var. *myriocarpa* Ach. ad *Lecideam myriocarpam;* var. *microcarpa* Ach. modo spermogonia quædam exhibet; var. *crustulata* Ach. est varietas *Lecideæ contiguæ;* var. *saprophila* Ach. *L. U.* p. 177 sistit *L. disciformem*, *enteroleucam*, *bacilliferam*, et quæ obvenit in "truncis salignis", e Suecia et Gallia, est *Patellaria atrata*. *L. stigmatea* Ach. *L. U.* p. 161, *Syn.* p. 15, est *enteroleuca* minor, thallo tenuissimo continuo, apotheciis planis, ad calcem schistosam Helvetiæ (admixtis dein in hb. Acharii *contigua* subsimili et *atrosanguinea);* nec differt var. *microspis* Ach. *Syn.* p. 16, pr. p. — *L. immersa* var. *goniophila* Flk., Ach., sistit *enteroleucam* ecrustaceam apotheciis collapsis. *Sagedia protuberans* var. *lecideina* Ach. *L. U.* p. 328 est similiter *enteroleuca* calcicola ecrustacea (apotheciis passim depravatis). *L. synothea* Ach. *L. U.* p. 169, *Syn.* p. 26, est *enteroleuca* thallo leproso flocculoso-granulato obscure cinereo-virescente, ad ligna sæpimentorum in Suecia (simul autem sub hoc nomine in hb. Ach. adest *L. umbrina* lignicola, thallo nigricante tenui subleproso).

* **L. incongrua** Nyl. in Mus. Fenn. — Thallus glaucocinereus granuloso-inæqualis crassiusculus (sæpe circa 2 millim.), diffractus (vel grosse areolato-diffractus); apothecia planiuscula immarginata (vel margine evanescente, demum interdum convexiuscula) subpruinosa, intus albida; sporæ longit. 0,012—16, crassit. 0,008—0,010 millim. — Ad lapides prope Kajana (K. P. Malmgren). Quoque e Dovre Norvegiæ vidi in collectionibus.

Convenit apotheciis cum *L. parasema* var. *enteroleuca*, sed thallus alius crassior (facie fere ut in *L. arthoniza)*, vix autem specie differat. Faciem interdum habet varietatis *latypeæ*, sed apothecia intus albida.

60. **L. vitellinaria** Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 177, Leight. *L. Br. exs*, 182.

Thallus *(Lecanoræ vitellinæ*, ut videtur, nec proprius); apo-

thecia et sporæ ut in *Lecidea parasema* (hæ longit. 0,010—12, crassit. 0,006 millim.).

Inter muscos in rimis rupium ad Norcopiam. — Facile non species autonoma, sed apothecia sistens *parasemæ* parasitantia.

61. **L. accline** Flot., Hepp. *Flecht.* 281.

Thallus cinerascens tenuissimus inæqualis indeterminatus vel vix ullus visibilis; apothecia nigra plana tenuiter marginata, sat parva, intus cinerascentia; sporæ 8—12^{næ} incolores oblongæ vel oblongo-cylindraceæ leviter incurvæ (vel nonnihil bis flexæ), 1—3-septatæ, longit. 0,010—18, crassit. 0,0045—0,065 millim., paraphyses discretæ (apice incrassato nigrescente), hypothecium fuscescens aut rufescens aut fere incolor. Gelatina hymenea iodo violacee rubens, præcedente cœrulescentia.

Ad corticem *Cerasi padi* ad Helsingfors (ipse) et populi in provincia Satakunta (A. J. Malmgren).

62. **L. arthoniza** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus albidus vel albido-cinerascens granuloso-verrucosus mediocris (crassitie fere 1 millim.) diffractus, valde inæqualis; apothecia nigra opaca mediocria (latit. 1—1,5 millim.), planiuscula immarginata (vel sæpius irregularia, nonnulla confluentia), intus pallida; sporæ ovoideæ (simplices vel) 2-septatæ, longit. 0,012—16, crassit. 0,0045—0,0065 millim., paraphyses mediocres apice nigricante. Gelatina hymenea iodo non tincta (nisi thecæ obsolete violacee coloratæ).

Ad lapides ruinarum arcis prope Kajana (K. P. Malmgren). Etiam ad saxa in Dovre.

Cum *Lecidea parasema (latypea)* non confundi potest ob apothecia intus albido-pallida, sporis, etc. Thecæ fere ut in Arthoniis et facile separabiles a thalamio, quod huic speciei peculiare est. Spermogonia minuta conceptaculis nigricantibus, spermatiis solitis hujus subdivisionis arcuatis, longit. 0,018—20, crassit. 0,0005 millim.

63. **L. paracarpa** Nyl. in *Hb. Mus. Fenn.* p. 111.

Thallus cinereus (passim cinereo-albicans) adpressus, hypothallo nigro saltem hinc inde visibili insidens, e squamulis formatus adnatis parvis (latit. circa 1 millim. vel majoribus) ambitu interdum crenato-lobulatis vel subradiantibus, sæpius

sparsis (nec contiguis), opacis, planiusculis; apothecia nigra opaca (inter areolas thalli sita, ex hypothallo orta) sat parva (circa latit. 0,4 millim.) conferta plana (saltem juniora distincte marginata), intus obscura; sporæ oblongæ vel fusiformes, simplices vel tenuiter 1—3-septatæ, longit. 0,015—18, crassit. 0,005—6 millim., paraphyses haud bene discretæ, hypothecium leviter fuscescens. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein sordide vinose rubens.

Supra terram arenosam in Lapponia Tornoënsi (Edwin Nylander). Etiam ex alpibus Norvegiæ eam vidi.

Spermatia nondum vidi. Ad *L. cumulatam* Smmrf. *Lapp.* p. 157 eam retulissem, sed ei apothecia intus albida dicuntur et in hb. Schimperiano a cel. Blytt sub nomine "cumulata Smmrf." aliud datum vidi.

64. **L. squalescens** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 297.

Thallus pallide luridus vel luride cinereo-fuscescens vel cinerascens glomerosus rugoso-plicatus vel papillosus (e granulis constans papillosis mediocribus crustose subconfluentibus basique sæpe substipitato-angustatis); apothecia nigra sat parva convexiuscula immarginata, intus alba vel albida; sporæ incolores parvæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,007—0,010, crassit. 0,004—6 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium subincolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad saxa alpina in alpe Dovre (W. P. Schimper), inter *Andreæas.*

Incerti loci, ob spermogonia nondum visa. Facie accedit ad *Lecideam conglomeratam* et *squalidam.*

C. — *Stirps* Lecideæ arcticæ, *thallo granuloso, apotheciis convexis. Forte potius accedit stirpi* Lecideæ vernalis. *Spermatia nondum visa.* — Species *65—67.*

65. **L. arctica** Smmrf. *Lapp.* p. 156, Fr. *L. E.* p. 342; *L. sabuletorum β geochroa* Whlnb. *Lapp.* p. 470 (excl. syn. Ach.).

Thallus albido-cinerascens vel fuscescenti-albidus granulosus, granulis dispersis vel subdiscretis parvis papilloso-subglobosis, effusus; apothecia nigra (leviter cæsio-pruinosa), sat parva, convexiuscula vel convexa, immarginata, intus obscure cine-

rascentia; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ simplices, longit. 0,013—18, crassit. 0,0065—0,0075 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium fere incolor vel leviter fuscescens. Gelatina hymenea iodo leviter cœrulescens.

Supra muscos *(Grimmias, Andreæas* et *Dicrana)* in alpibus Scandinaviæ; etiam in subalpina descendens. Adhuc in Kuolajärvi (Edwin Nylander).

66. **L. Dovrensis** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 182.

Thallus albidus granulosus, crustam granulosam demum diffractam (haud crassam) sistens; apothecia nigra opaca nuda convexa (fere mediocria), intus nigricantia (vel sub epithecio cinerascentia); sporæ oblongo-ellipsoideæ simplices, longit. 0,020—25, crassit. 0,008—9 millim., paraphyses non discretæ, hypothecium crassum fuscescens. Gelatina hymenea iodo (non intense) cœrulescens (deinde sordide tincta).

In alpe Dovre Norvegiæ frequens, ut videtur.

"Forsan vera sit *alpestris* Smmrf., quod adhuc nescimus" Nyl. l. c., quum tamen ei thallus dicitur granulato-areolatus (conf. *Suppl. Lapp.* p. 156, sub *L. sabuletorum)*, respiciat statum magis evolutum ejusdem vel varietatem, nam vix specie distiguenda, quæ a me dicta fuit

* L. STENOTERA (Nyl. in *Herb. Mus. Fenn.* p. 111), thallo cinerascente grossius granuloso (magis simul fere diffracto), apotheciis sæpe pluribus glomerulose confluentibus, sporis subcylindraceis vel anguste fusiformibus (longit. 0,014—21, crassit. circa 0,004 millim.). — Supra terram in Lapponia Enarensi (Edwin Nylander) frequenter (terram subulosam incrustans prope ut *Urceolaria scruposa* var. *arenaria)*.

** L. LIMOSA Ach. *Syn.* p. 26 (L. milliaria terrestris Fr. *L. S. exs.* 213), vix specie differt, thallo minus evoluto cinerascente subleproso tenui vel subcontinuo tenuissimo, sat effuso; apotheciis intus (saltem medio) cinerascentibus; sporis (multo minoribus quam in *Dovrensi)* ellipsoideis vel fusiformi-ellipsoideis, longit. 0,012—18, crassit. 0,004—6 millim., hypothecium subincolor vel leviter fuscescens. Gelatina hymenea iodo cœrulescens. — Supra terram limosam in Dovre Norvegiæ, quoque in Suecia, et deinde in Lapponia Tornoënsi (Edwin Nylander). Omnino similis in Helvetia (Schleicher), ex hb. Ach.

67. **L. assimilata.** — *L. miscella* Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 182 (non Ach.).

Thallus albido-cinerascens sat tenuis, granulosus vel granuloso-areolatus; apothecia nigra convexa fere mediocria, intus concoloria; sporæ ellipsoideæ (vel sæpe ellipsoideo-fusiformes), longit. 0,011—15, crassit. 0,004—6 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium crassum fuscum (vel sectione tenui rubricoso-fuscescens). Gelatina hymenea iodo vinose vel violacee rubens, præcedente cœrulescentia.

Supra terram alpinam in alpinis Scandinaviæ; quoque in Helgoland.

Affinis *Lecideæ Dovrensi*, a qua differt hypothecio determinate infuscato et sporis minoribus. Externa facie quoque accedit ad *miscellam* Ach.

d. — *Stirps* Lecideæ rivulosæ, *thallo limitato, sporis incoloribus simplicibus (sæpe oblongo-curvatulis aut subglobosis). Saxicolæ.* — Species *68—70.*

68. **L. rivulosa** Ach. *Meth.* p. 38, *Syn.* p. 28 (excl. varr.), Nyl. *Prodr.* p. 135; *Biatora rivulosa* Fr. *L. E.* p. 271 pr. p., *L. S. exs.* 404 (et 39 corticola).

Thallus murinus vel fusco-cinerascens vel cinereo-pallescens areolato-rimosus vel contigue granulato-areolatus (granulis depressis, interdum depauperatis et discretis), nigricanti-limitatus; apothecia fusco-nigra vel nigra mediocria (latit. circa 1 millim.), planiuscula, tenuiter marginata, intus tota albida; sporæ ellipsoideæ vel ellipsoideo-oblongæ plerumque fabaceo-curvulæ, longit. 0,009—0,012, crassit. circa 0,0045—0,0055 millim., paraphyses discretæ. Gelatina hymenea iodo (saltem leviter) cœrulescens et præsertim thecæ apice late intensius cœrulee tinctæ.

Ad saxa granitica et quartzosa in Scandinavia passim. E Lapponia mihi haud visa. Exceptione, raro in Suecia corticola (ad betulas).

Huc pertinet *Leconora falsaria* varr. *rivulosa* et *cyathoides* Ach. *L. U.* p. 350, 351 (*cyathoides* scilicet eandem sistit apotheciis sæpe abnormibus); ipsa *falsaria* et ejus var. *decussata* Ach., l. c., pertinet ad *Lecanoram torquatam* (Fr. *L. E.* p. 147) Nyl. *Prodr.* p. 92, in Scandinavia nondum repertam. *L. rivulosam* arcte tangit *L. Kochiana*, magis nonnihil distat *L. mollis; L. Kochiana* differt præcipue thallo pauxillum crassiore, apotheciis paullo majoribus immersis (thallum æquantibus), sporis sub-

globosis etc., *L. mollis* dignoscitur thallo cinerascente, sporis minoribus subglobosis, etc.

69. **L. Kochiana** Hepp. *Würtzb.* p. 61; *L. rivulosa* var. *Kochiana* Schær. (Fr. *L. E.* p. 272); *L. morosa* Duf.

Thallus murinus vel dilute cinereo-fuscescens lævigatus rimoso-diffractus vel areolato-diffractus nigro-limitatus; apothecia nigra innata plana immarginata, sæpe flexuoso- vel anguloso-difformia (latit. circa 1—1,25 millim.), intus obscura; sporæ breviter ellipsoideæ vel subglobosæ, longit. 0,008—11, crassit. 0,006—8 millim., paraphyses distinctæ mediocres, hypothecium haud infuscatum. Gelatina hymenea et præsertim thecæ apice iodo cœrulescentes.

In alpe Dovre Novre Norvegiæ (W. P. Schimper).

L. lygæa Ach. *Syn.* p. 34 (excl. varr.) est, quoad specimina Helvetica hb. Ach., *Kochianæ* forma macra, thallo tenuiore.

70. **L. mollis.** — *L. rivulosa* var. *mollis* Whlnb. *Lapp.* p. 472.

Thallus cinereus rimoso-diffractus (superficie obsolete subleprosa) vel rimuloso-areolatus, linea nigra limitatus; apothecia nigra superficialia plana marginata, intus albida; sporæ breviter ellipsoideæ vel subglobosæ, longit. 0,007—8, crassit. 0,005—6 millim., paraphyses discretæ fere mediocres, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo (leviter) cœrulescens, thecæ deinde vinose violacee tinctæ.

Supra saxa granitosa in alpinis Lapponiæ, in Finmarken et Nordlanden (Wahlenberg), et in Enari (Edwin Nylander).

e. — *Stirps* Lecideæ contiguæ, *thallo albido vel cinereo, sporis incoloribus ellipsoideis simplicibus. Saxicolæ.* — Species *71—80.*

71. **L. panæola** Ach. *L. U.* p. 201, *Syn.* p. 33, Fr. *L. E.* p. 314.

Thallus albido-cinereus vel albidus areolato-granulosus, areolis vel granulis tuberculosis aliis parcius immixtis lilacino-rufescentibus (vel carneo-fuscescentibus); apothecia atra pruinosa vel denudata (interdum fusco-nigra) adpressa plana marginata, intus hymenio albido; sporæ ellipsoideæ vel ovoideæ incolores

simplices, longit. 0,018—34, crassit. circa 0,010—16 millim., paraphyses graciles. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad saxa granitosa et schistosa in Scandinavia passim; raro fertilis. Adhuc in Lapponia.

72. **L. contigua** Fr. *L. E.* p. 298 (pr. p.), Nyl. *Prodr.* p. 130 (pr. p.); *L. confluens* Ach. (pr. p.); *L. lapicida* var. *latypea* Ach. *L. U.* p. 160 (pr. p.).

Thallus cinerascens vel cinereo-albidus fere mediocris vel sat tenuis, diffracto-rimosus vel areolatus, aut tenuior continuus; apothecia (interdum glauco-cineree pruinosa) intus etiam atra, at hymenio albo vel albido; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,016—25, crassit. 0,008—0,012 millim., paraphyses gracilescentes, hypothecium nigrum vel fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Supra saxa granitica Scandinaviæ vulgaris.

Polymorpha est, sicut omnes species copiose obvenientes, sectione apotheciorum lineam hymenii albam ostendens, qua nota satis dignoscitur; accedit deinde nota sporarum. Hæ tamen aliquando paullo minores. Var. 1) *albo-cœrulescens* (*L. albo-cœrulescens* Ach. *L. U.* p. 188, excl. var., *Syn.* p. 29, excl. var., Schær.), thallo magis continuo, apotheciis planis pruinosis, sporis long. 0,022—28, crass. 0,010—12 millim.; etiam in Suecia, ex hb. Ach., sed insignior in Helvetia et Gallia. — Var. 2) *flavicunda* (*L. flavicunda* Ach. *L. U.* p. 166, *Syn.* p. 22), thallo a ferro ochracee tincto, sporis long. 0,015—21, crass. 0,008—0,011 millim.; in ferro-montanis totius Scandinaviæ satis frequens. Thallum jam habet insigniorem rimoso-diffractum vel subareolatum, jam tenuiorem et continuum; apothecia quoque jam nuda, jam pruinosa (hæc *L. flavo-cœrulescens* Ach. *Syn.* p. 23, at specimen archetypum *flavicundæ* quoque apotheciis pruinosis). — Var. 3) *platycarpa* (*L. platycarpa* Ach. *L. U.* p. 173, t. 2, f. 5, *Syn.* p. 17) est *contigua* ecrustacea vel thallo macula in saxa indicato albida vel cinerascente, apotheciis planis (sæpe magnis, latit. 1,5 ad 3 millim.), sporis long. 0,018—25, crassit. 0,008—0,012 millim.; rarius in Scandinavia, vel sæpius forma sporis minoribus. Parum differt ab eadem *Patellaria albo-zonaria* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 348 (*L. ochrochlora* Ach. *Syn.* p. 23), in Gallia supra lapides silaceos passim frequens. Parumque magis differt f. *steriza* (*L. confluens* var. *steriza* Ach. *L. U.* p. 174), quæ similiter *contigua* ecrustacea, sed apotheciis convexis (vel interdum thalli vestigiis cinerascentibus vel subcæsiis continuis); ad saxa arenaria in Suecia, ex hb. Ach. (ubi simul specimen

helveticum sporis long. 0,020—22, crass. 0,007—8 millim.). Var. *hydrophila* Fr. *L. E.* p. 301 confluit cum *steriza;* sporæ long. circa 0,018, crass. 0,009 millim. In *steriza* e Satakunta (A. J. Malmgren) sporæ long. 0,017—18, crass. 0,008 millim. — Var. 4) *speirea (Lichen speireus* Ach. *Prodr.* p. 59; *Lecidea speirea α L. U.* p. 184, *Syn.* p. 31) sistit statum thallo albo vel albido opaco subfarinaceo, mediocris fere crassitiei, apotheciis nudis (sæpe prominulis et sæpe nonnullis spurie lecanorinis) planis fere mediocribus (vel interdum demum convexiusculis), sporis long. 0,015—18, crass. 0,007—9 millim.; ad saxa calcarea in Suecia. Huic facile varietati jungi debeat f. *margaritacea (L. margaritacea α* Ach. *L. U.* p. 185, *Syn.* p. 31, excl. var.), differens præcipue apotheciis (magis adpressis) albo-pruinosis (sporæ long. 0,016—20, crass. 0,008—9 millim , in Helvetia (Schleicher, ex hb. Ach.), ad rupes calcareas. — Var. 5) *notabilis* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 241, thallo albo vel albido, inæqualiter minute granuloso vel fere leproso, passim disperso, passim acervulato (tunc faciei prope ut in *Stereocaulo condensato);* apotheciis (latit. 1—2 millim.) prominulis planis (trachylioideis) opacis, margine parum vel haud distincto; sporis long. 0,018—21, crass. 0,008—0,010 millim.; ad saxa granitica Alandiæ (Edwin Nylander). — Separetur adhuc, si placet, varietas similis typo sed sporis minoribus, long. 0,011—16, crass. 0,006—8 millim., var. 6) *meiospora* Nyl.; passim obvia. Etiam ecrustacea obvenit ad granitum. *L. parasema* var. *crustulata* Ach. *L. U.* p. 176, *Syn.* p. 18, hæc est minor calcicola (sporis long. 0,014—15, crass. 0,007—8 millim.); ex Helvetia in hb. Ach. Accedit arctissime ad *confluentem.*

* **L. confluens** Ach. pr. p., Schær. Moug. *St. Vog.* 463. — Similis est *contiguæ,* et differt præcipue sporis minoribus (longit. 0,009—0,015, crassit. 0,005—7 millim.), thallo magis continuo (solum rimoso). Apothecia innata plana aut convexa. Hypothecium fusco-nigrum. — In alpibus Norvegiæ, thallo macro tenui cæsio-cinereo.

Sæpius autem occurrit in montibus Scandinaviæ forma ejus *calcarea (L. calcarea α Weisii* Schær. *L. H.* 184), thallo albo subfarinaceo vel cretaceo, in Norvegia; aut forma *subcalcarea,* thallo glauco-albescente, ad rupes peculiares granitosas insulæ Walamo. Confluit *confluens* cum *lapicida* var. *declinante.*

73. **L. lapicida** Fr. *L. E.* p. 306, Nyl. *Prodr.* p. 131.

Thallus cinerascens areolato-verrucosus vel areolato-granulosus; apothecia convexiuscula vel plana, intus nigra vel cinereo-nigrescentia; sporæ longit. 0,008—0,012, crassit. 0,004—7

millim., paraphyses fere mediocres, hypothecium incolor vel infra tenuiter fusco-nigrescens (vel totum leviter fuscescens).

Ad saxa in Scandinavia passim.

Est *Verrucaria contigua* Hffm., ex specimine Schraderii in hb. Ach., e Germania. Apotheciis sectione intus nigricantibus sporisque minoribus a formis affinibus parum differt, vixque utut propria species. Variat thallo griseo-lurido, hypothecio (saltem superne) sordido, var. 1) *griseo-lurida* Nyl., lecta in Satakunta (ab A. J. Malmgren), quasi transitum in *silaceam* formans (sporæ long. 0,008—0,011, crass. 0,0045—0,0065 millim.). — Var. 2) *silacea* (*L. silacea* Ach. *Meth.* p. 48, *L. U.* p. 164, *Syn.* p. 22, Whlnb. *Lapp.* p. 474) Fr. *L. E.* p. 307, Nyl. *Prodr.* p. 132, magis cognita est et visibilis, thallo læte ochraceo, oxido ferruginoso tincto, hypothecio plerumque fuscescente; passim in ferro-montanis frequens. — Var. 3) *declinans* Nyl., similis *contiguæ* vel *lapicidæ*, sed apothecia hypothecio fusco (vel lamina tenui viso fusco-rufescente), sporæ long. 0,008—0,012, crass. 0,004—7 millim; ad saxa granitica in Scandinavia passim (in hb. Ach. sub "*confluente*" subsumta observatur). — Var. 4) *ochromela* (*L. confluens* var. *ochromela* Ach. *Meth.* p. 41, *L. U.* p. 174, pr. p.) est *declinans* thallo ab oxido ferroso ochracee tincto, sporis long. 0,009—0,015, crassit. 0,005—7(8) millim.; passim cum varietate præcedente. — Var. 5) *Swartzioidea* (*L. Swartzioidea* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 [n. ser. I], p. 240), thallo simili ac in *Lecanora glaucoma* var. *Swartzii*, albo areolato, ambitu tenuiter sæpeque sat longe radiante, suffuso (pulvisculis subtilibus fere areolatis); apotheciis pauxillum vel vix albo-suffusis mediocribus marginatis, intus hypothecio fusco; sporis long. 0,011—12, crass. 0,006—7 millim.; ad saxa gneissacea Alandiæ (Edwin Nylander).

* **L. polycarpa** Flk., Smmrf. *Lapp.* p. 149, Fr. *L. E.* p. 305. — Parum distinguitur a *lithophila* apotheciis atris opacis (plerumque) minoribus; sporæ longit. 0,009—0,014, crassit. 0,004—7 millim., hypothecium incolor vel parum sordidum. Accedit simul nimis ad *lapicidam*, sed thallus semper lævigatus rimosus. — Ad saxa granitica in Scandinavia rarius.

** **L. lithophila** Ach. *Syn.* p. 14; *Lecidea albo-cærulescens* Fr. *L. E.* p. 295 (excl. var.). — Thallus cinerascens tenuis continuus vel rimulosus, interdum evanescens; apothecia plana marginata (interdum cæsio-pruinosa), intus alba (sæpe aggregata angulosaque, et humectata plerumque epithecio rufescentia); sporæ longit. 0,011—15, crassit. 0,006—7 millim. — Supra saxa granitica et micacea in Scandinavia rarius.

Variat deinde, f. *ochracea* (Ach.), thallo ferroso-ochracee tincto (*Lichen pruinatus* Dicks., ex Fr. l. c.; *Lecidea daphœna* var. *ochracea* Ach. *L. U.* p. 166, *Syn.* p. 337, Smmrf. *Lapp.* p. 145). — Quæ dicta fuit *L. pallido-cinerea* Flk., Flot., Zw., vix aliter differt a *lithophila* quam apotheciis statu humido non rufescentibus; occurrit quoque in Scandinavia rarius, etiam varians thallo ferrose (sæpe solum pro parte) nonnihil ochraceo (sitque *L. daphœna* var. *rorida* Smmrf. *Lapp.* p. 145). *L. cæsia* Ach. *Syn.* p. 17 est *lithophila* ("pallido-cinerea") thallo cæsio-cinereo tenuissimo continuo vel rimuloso, apotheciis sæpe crasse marginatis, epithecio plano-depresso, hypothecio (lamina tenui viso) leviter (saltem pro parte) rufescente; ad saxa granitosa Sueciæ (forma videtur satis accidentalis, et forte satius sub *declinante* subsumenda).

*** **L. tessellata** Flk., Smmrf. *Lapp.* p. 144, Schær. *Enum.* p. 112, Nyl. *Prodr.* p. 132; *Lecidea spilota* Fr. *L. E.* p. 297 pr. p. — Subsimilis *contiguæ*, at thallo magis lacteo vel albido, apotheciis hypothecio incolore (inde intus albis vel albicantibus). — Ad saxa in Scandinavia (usque in Lapponia) rarius.

Parum et hæc distincta est a *lithophila*, *lapicida* et *polycarpa*. Sporæ long. 0,011—17, crass. 0,007—0,010 millim. *Lecidea pantosticta* var. *spilota* Ach. *L. U.* p. 154, *Syn.* p. 13, ex speciminibus archetypis, status non bene evolutus (loco humido vel inundato ortus) esse videtur hujus vel *lithophilæ*, thallo tenui pallido rimoso vel passim subcontinuo, sporis long. 0,011—14, crass. 0,005—6 millim. Statum macrum hujus spectat adhuc *L. lapicida* var. *radians* Ach. *L. U.* p. 160, *Syn.* p. 14, Whlnb. *Lapp.* p. 472, thallo lacteo tenui, areolis passim dispersis, ambitu subradiantibus, apotheciis parvis. Occurrit quoque in Suecia *Lecideæ tessellatæ* forma apotheciis innatis et facie externa prope *Lecideæ Kochianæ* vel fere "*L. cinereo-atræ*" Ach. (quæ analoga forma est *Lecideæ contiguæ* typicæ). *L. lapicida* var. *cyanea* Ach. *L. U.* p. 160, *Syn.* p. 14, formam sistit thallo cæsio-cinereo areolato-rimoso, apotheciis cæsio-pruinosis, hypothecio sordido, sporis circa long. 0,011, crass. 0,006 millim.; e Suecia in hb. Ach. (forte *lithophilæ* potius jungenda). *L. petræa* var. *globulata* Ach. *L. U.* p. 156, *Syn.* p. 15 (ex Helvetia in hb. Ach.), thallo tenuissimo plumbeo-albido subeffuso vel vix ullo, apotheciis sat parvis vel fere mediocribus marginatis, epithecio umbilicato, hypothecio sordido, sporis long. 0,011—12, crass. 0,006—7 millim.; ad saxa alpino-calcarea.

74. **L. amylacea** Ach. *L. U.* p. 172, *Syn.* p. 16, Whlnb. *Lapp.* p. 476; *Parmelia amylacea* Ach. *Meth.* p. 159; *Lecidea elata* Schær.

Thallus albus determinatus inæqualis continuus (rarius obsolete rimulosus), superficie subfarinaceus; apothecia nigra

superficialia immarginata (vel margine evanido), intus albida; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—11, crassit. 0,006 millim., paraphyses discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, deinde violacee tincta.

Ad rupes in alpinis Norvegiæ (Schimper) et usque in inferalpinis Finmarkiæ (Wahlenberg).

75. **L. areolata** Schær. *Spicil.* p. 127, *Enum.* p. 114.

Thallus albus vel albo-flavescens firmus areolatus vel areolato-diffractus (passim subdispersus); apothecia nigra nuda opaca mediocria planiuscula immarginata (vel margine obsoleto, at in junioribus vulgo distincto), intus alba; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,009—0,011, crassit. 0,006 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad saxa in Dovre; etiam (thallo flavescente) in Enari Lapponiæ (Edwin Nylander).

Quasi inter *Lecideam aglæam* Smmrf. et *marginatam* Schær. intermedia, differens ab illa apotheciis opacis intus albis, ab hac thallo firmiore et distinctius areolato (areolis subturgidulis).

76. **L. theiodes** Smmrf. *Lapp.* p. 145, Fr. *L. E.* p. 325, — a me non visa, habet ex Sommerfelt: thallum sulphureum inæquabilem rimoso-areolatum, areolis rugoso-granulatis; apothecia innata plana cœrulescenti-atra (vel rore tenui cæsio interdum obtecta), margine flexuoso persistente, intus fusca hymenio cinereo.

In saxis inferalpinis Saltdalen Nordlandiæ rarius (Sommerfelt).

77. **L. aglæa** Smmrf. *Lapp.* p. 144, Fr. *L. E.* p. 322.

Thallus flavescens vel ochroleucus firmus areolatus, areolis turgidulis fere nitidiusculis, hypothallum nigrum plus minus obtegentibus; apothecia areolis adnata nigra subnitidiuscula immarginata mediocria convexa, intus nigricantia vel nigra; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,010—15, crassit. 0,006—7 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Supra saxa granitica et schistosa in alpinis Norvegiæ, et quoque in rupibus maritimis Nordlandiæ (Sommerfelt).

78. **L. armeniaca** (DC.), Fr. *S. O. V.* 1, p. 286, *L. E.* p. 320; *L. viridi-atra* Ach. *Meth.* p. 50, *L. U.* p. 166, *Syn.* p. 21; *L. spectabilis* Flk.

Thallus armeniaco-flavidus vel flavescenti-rufus rimosus areolatus, areolis rugosis vel rugoso-insculptis planis, hypothallo atro; apothecia innata planiuscula immarginata mediocria, intus obscura; sporæ ellipsoideæ vel oblongæ, longit. 0,009—0,013, crassit. 0,0045—0,006 millim., paraphyses haud bene discretæ, hypothecium sordidum (vel subincolor). Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Supra saxa in alpibus Norvegiæ, rara (ut videtur).

Variat thallo sæpe sat crasso pallidiore aut magis rufescente aut demum areolis passim rufo-nigrescentibus; transit ita in var. *nigritam* Schær., quæ etiam in Dovre adest (W. P. Schimper), areolis thallinis sæpius nigricantibus. Variat typus adhuc hypothallo plus minus visibili, plerumque thallum limitante.

* **L. melaleuca** Smmrf. *Lapp.* p. 148. — Thallus alboflavescens vel pallescenti-albus crassulus rimoso-areolatus (areolis superficialibus), rimis nigricantibus; apothecia atra planiuscula adnata (sæpe difformia), immarginata, intus obscura vel fusca hymenio cinerascente; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,010—15, crassit. 0,006—8 millim., paraphyses non bene discretæ, hypothecium sordidum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens. — Supra saxa alpium arcticarum.

79. **L. fuscoatra** Ach. *Meth.* p. 44, *Syn.* p. 12, Whlnb. *Lapp.* p. 473, Fr. *L. E.* p. 316; *Lecanora fuscoatra* Ach. *L. U.* p. 359; *Lecidea fumosa* Ach.

Thallus fuscus vel fusco-cupreus vel fusco-nigricans nitidiusculus areolatus, areolis planis; apothecia adpressa plana (rarius convexiuscula), tenuiter marginata; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—16, crassit. 0,005—7 millim., hypothecium fuscescens.

Supra saxa granitosa et schistosa in Scandinavia frequentissime.

Hypothallus in *fuscoatra* typica plus minus visibilis. *L. dendritica* Ach. *Meth.* p. 44 est forma hypothallo ambitu radiato-fimbriato, quartzicola. Color thalli variat sæpe magis nigricans (var. *deusta* Stenh.,

omnino confluens cum ipsa *fuscoatra* Ach., quacum in hb. Ach. juncta invenitur). Hypothallo non visibili vel ab areolis thallinis pallidius fuscis vel lurido-fuscescentibus tecto, est var. *fumosa* (Ach.). Eadem, at apotheciis nonnihil cæsio-pruinosis, est var. *Mosigii* (Lecidea fumosa var. Mosigii Ach. *L. U.* p. 157, *Syn.* p. 12); rarior in Scandinavia. Observetur adhuc, *Lecideam cechumenam* Ach. (et var. *cirsodem)* Ach. *(Meth.) L. U.* p. 157 non differre a *fumosa* Ach. Hæc abit in var. *grisellam* Flk., Schær. *Enum.* p. 110, thallo lurido-cinerascente; talis (accedens ad *Lecideam contiguam)*, hypothecio nigro, quoque rarius in Scandinavia occurrit. Forte *L. contigua* var. *convexa* Fr. *L. E.* p. 299 pertineat ad *grisellam*, quæ (saltem in Gallia) etiam thallo lurido-albido vel fere omnino albido, apotheciis sæpe convexis pruinosis, occurrit. Observetur adhuc, gelatinam hymeneam in *L. fuscoatra* (vel f. *fumosa)* iodo cœrulescere (deinque interdum violacee vel vinose tingi).

80. **L. lactea** Flk., Schær. *Enum.* p. 114; *L. ambigua* Fr. *L. S. exs.* 407, Nyl. *Prodr.* p. 133; *L. lapicida* var. *pantherina* Ach. pr. p.

Thallus albidus tenuis æquabilis areolato-rimosus; apothecia plana innata, intus cinerascentia; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,012—15, crassit. 0,006 millim., paraphyses discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad saxa granitosa (vel gneissacea) in Scandinavia passim. — Variat epithecio pruinoso. Variat thallus linea nigra limitatus.

f. — *Stirps* Lecideæ intumescentis, *thallo obscuro fuscescente, sporis incoloribus variis. Saxicolæ.* — Species *81—85.*

81. **L. caudata** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 176.

Thallus cinereo-fuscus vel coccolato-cinereus granuloso-areolatus, ruguloso-inæqualis; apothecia plana opaca marginata, intus cinerascentia; sporæ 6—8^{nae} clavatæ vel oblongo-elongatæ, infra caudato-attenuatæ (vel aciculari-attenuatæ), parte crassiore aliquoties (5—7-)septatæ, totæ longit. 0,035—45, crassit. 0,0055—0,0065 millim., paraphyses discretæ (apice incrassato infuscato), hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad saxa in Scandinavia saltem media et in Lapponia (Edwin Nylander) passim.

Thallus (crassit. circa 0,5 millim.) multo tenuior et latius extensus quam in *L. lugubri;* color subsimilis. Interdum thallus est coloris cinereo-nigrescentis.

82 **L. intumescens** Flk., Nyl. *Prodr.* p. 127; *L. insularis* Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 177.

Thallus fusco-cinereus vel cervino-fuscescens verrucoso-inæqualis vel planiusculus, areolato-diffractus, mediocris crassitiei (0,5—1 millim.); apothecia plana fere mediocria (latit. circa 0,5 millim. vel minora) marginata, intus medio cinerascentia; sporæ 8^{nae} incolores ellipsoideæ, longit. 0,010—12, crassit. 0,005—6 millim., paraphyses non discretæ, hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens (dein sordide violacea).

Ad saxa granitica (sæpe intra crustam *Lecanoræ glaucomæ* insulatim) in regione Holmiensi saltem satis frequens. In Satakunta, Siikais, forma thallo æquali, apotheciis innatis lecta a cl. A. J. Malmgren.

83. **L. incincta** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus griseo-fuscescens vel griseus sat tenuis determinatus nigricanti-limitatus opacus rimulosus rugulosus; apothecia nigricantia superficialia convexa sat parva (latit. 0,3—0,4 millim.), immarginata, interdum 2 vel 3 connata, intus concoloria hymenio cinerascente; sporæ ellipsoideæ vel ovoideæ, longit. 0,009—0,010, crassit. 0,0045—0,005 millim., paraphyses haud discretæ, hypothecium crasse nigrum. Gelatina hymenea iodo vinose rubens, præcedente cœrulescentia.

Ad saxa granitica ad Björneborg, circumdatam thallo albido alieno sterili (Lecanoræ glaucomæ?) legit cl. A. J. Malmgren.

Facie fere *Lecideæ rivulosæ*, sed analysi apotheciorum mox distans. Differt quoque a comparanda *L. intumescente* thallo tenuiore, apotheciis convexis, sporis parvis, etc. — Sub nomine *Lecidea gyrizans* designavi in Museo Fennico Lecideam extus (quoad thallum sat similem *Lecideæ tenebrosæ*, sed apotheciis gyrosis (gyrophoreis), sporis vero nullis; ad saxa quartzosa in Bötom (A. J. Malmgren).

84. **L. tenebrosa** Flot., Nyl. *Prodr.* p. 127; *L. atroalba* Fr. pr. p.; *L. fusco-cinerea* Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 177.

Thallus cinereo-nigricans vel obscure cinereus subæquabilis rimoso-areolatus vel areolato-granulosus; apothecia planiuscula, intus nigricantia; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,011—17, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses discretæ, hypothecium fere incolor vel infuscatum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Supra saxa in Scandinavia passim.

85. **L. lugubris** Smmrf. *Lapp.* p. 143 (ex specimine archetypo ipsius), Fr. *L. E.* p. 314; *L. cinereo-rufa* Schær. (excl. var.).

Thallus fusco-cinereus (vel coccolato-cinereus) crassiusculus granuloso-concretus glebuloso-diffractus; apothecia atra opaca superficialia plana marginata, intus hymenio cinerascente; sporæ 8nae sphæricæ, diam. 0,008—9 millim., paraphyses graciles, hypothecium denigratum.

Ad rupes graniticas Norvegiæ, Sueciæ et Finlandiæ rarius.

g. — *Stirps* Lecideæ petrææ, *thallo obscuro areolato-granuloso, sporis fuscis vel nigricantibus. Saxicolæ.* — Species *86—90.*

86. **L. coracina** Ach. *Syn.* p. 11 pr. p., Moug. *St. Vog.* 462, Smmrf. *Lapp.* p. 142, Nyl. *Prodr.* p. 126; *L. atrata* Sm. *E. Bot.* t. 2335, Whlnb. *Lapp.* p. 475 (Gyalecta Ach. *L. U.* p. 152).

Thallus nigricans vel cinereo-nigricans areolato-granulosus; apothecia plana vel convexiuscula; sporæ 8nae fusco-nigrescentes ellipsoideæ simplices (vel interdum septo obsoleto), longit. 0,012—17, crassit. circa 0,007—0,010 millim., paraphyses discretæ, hypothecium fusco-nigrum et cum hypothallo confluens. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Supra rupes granitosas in Lapponia.

87. **L. atroalba** Flot., Nyl. *Prodr.* p. 129.

Thallus griseo-pallescens vel fusco-griseus vel cinereo-fuscescens areolato-granulosus; apothecia plana adpressa marginata, intus hymenio cinerascente; sporæ 8nae ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,024—0,034, crassit. 0,012—17 millim.,

paraphyses satis graciles, hypothecium fuscum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad saxa granitosa in Scandinavia passim vel satis frequens. Usque in Lapponia (et in Spitsbergen). Raro ad corticem betulæ in Lapponia (Edwin Nylander).

Occurrit ejus varietas *chlorospora* Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 96 (*Catillaria concreta* Krb.), thallo macriore, hypothallo nigricante prædominante, areolis thallinis parcis depressis, sporis incoloribus (vel interdum leviter fuscescentibus) minoribus (longit. 0,018—22, crassit. 0,009—0,011 millim.); ad saxa granitica saltem ad Holmiam (ipse) et in Alandia (Edwin Nylander).

88. **L. badioatra** Flk., Schær. *Enum.* p. 111, Nyl. *Prodr.* p. 129.

Thallus fuscus rimoso-areolatus; apothecia innata planiuscula, tenuiter marginata, intus hymenio cinerascente; sporæ 8næ fuscæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,026—32, crassit. 0,012—16 millim., sæpe halone involutæ, hypothecium infuscatum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ex Fr. *L. E.* p. 316 aderit in Norvegia. Mihi inde haud visa, et definitio data secundum specimen Helveticum Flœrkeanum.

89. **L. petræa** Flot., Nyl. *Prodr.* p. 128; *L. atroalba* Ach. et Fr. pro max. p.

Thallus griseo-pallescens vel cinereo-fuscescens vel albido-cinerascens areolatus vel granuloso-areolatus, areolis contiguis vel dispersis, hypothallo nigro; apothecia plana vel planiuscula, marginata, intus hymenio (obscure saltem) cinerascente; sporæ (4—)8næ fusco-nigricantes ellipsoideæ vel oblongæ, 3—5-septatæ (et septa transversa adhuc septulis longitudinalibus vel obliquis interdum juncta), longit. 0,028—38, crassit. 0,010—17 millim., paraphyses teneræ (dilutæ), hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad rupes graniticas in terris Scandinaviæ frequentissime.

Variat thallus cæsio-fuscescens (vel quasi cæsio-suffusus). Variat hypothallo fimbriato-radiante, magis visibili, areolis thalli granulosis magis sparsis (*Rhizocarpon confervoides* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 366; *L. atroalba* var. *fimbriata* Ach. *L. U.* p. 162). Variat deinde contra areolis granu-

losis contiguis (*L. amphibia* Fr. *L. E.* p. 307) aut iisdem depressis contiguis (*concreta* Schær.). Occurrit ad schistum micaceum in alpibus Norvegiæ forma thallo albido-cinereo rimoso-diffracto facie *Lecideæ contiguæ*. Distinguenda dein var. *ferrata* Nyl., thallo (sæpius macro) ferruginose tincto, apotheciis etiam sæpe leviter ferruginose suffusis, interdum medio leviter umbilicatis, sporis 4—8nis (sæpius incoloribus) muralidivisis, longit. 0,032—48, crassit. 0,015—18 millim.; in hb. Mus. Fenn. e Satakunta (A. J. Malmgren). Var. *lavata* (L. lavata Ach. hb.) similis est *ferratæ*, sed thallo macro albido-pallescente continuo rimuloso, apotheciis innatis vel adpressis; e Suecia (accedens ad *concentricam*). Thallo obscuriore est var. *obscurata* Ach. *L. U.* p. 157 (*L. lygæa* var. *obscurata* Ach. *Syn.* p. 34).

* **L. excentrica.** *L. petræa* var. *excentrica* Ach. *Meth.* p. 37, *L. U.* p. 156; var. *callistea* Ach. *Meth.* suppl. p. 9, *L. U.* p. 155, *Syn.* p. 15. — Differt thallo tenui albo vel albo-cæsio opaco rimuloso, nigro-limitato (vel lineis nigris decussato), apotheciis sat parvis sparsis. — Ad saxa cotacea in Suecia.

** **L. concentrica.** *Lichen concentricus* Dav. in *Trans. Linn. Soc.* 2, p. 284, Sm. *E. Bot.* t. 246; *L. petræa* Ach. *Meth.* p. 37, *L. U.* p. 155, *Syn.* p. 15. — Differt a typo thallo albo subfarinoso sat tenui, ruguloso aut subæquali, subcontinuo aut rimuloso, ambitu orbiculari indeterminato vel subdeterminato, apotheciis subconcentricis adpressis crasse marginatis (margine tumido sæpe leviter albido h. e. ab epithallo suffuso). — Ad saxa cotacea vel arenaria in Suecia.

*** **L. Œderii** Ach. pr. p. (*L. Dicksoni* var. *Œderi L. U.* p. 165, ex hb. Ach.), Fr. *L. S. exs.* 384. — Thallus ochraceo-ferrugineus sat tenuis areolatus vel areolato-granulosus; apothecia sat parva (latit. circa 0,3 millim.) umbonata vel sæpius nonnihil plicata (vel subgyrosa); sporæ 8næ plerumque incolores 3-septatæ, longit. 0,018—24, crassit. 0,008—0,011 millim. — Ad saxa granitica et micacea ferruginosa passim in Scandinavia. Ab auctoribus sæpe commixta cum *Lecidea Dicksonii* Ach. (rarius cum var. *ferrata* Lecideæ *petrææ*, ita ut videtur apud Wahlenberg). Cf. *L. Disksonii* supra p. 155.

90. **L. geminata** Flot., Nyl. *Prodr.* p. 129; *L. dispora* Næg.

Similis *Lecideæ petrææ* typicæ, at sporæ 2^{næ} in thecis, nigrescentes, murali-divisæ, longit. 0,040—57, crassit. 0,025—32 millim.

Ad rupes graniticas Scandinaviæ rarius. Subsimilis adhuc (et vix nisi ut varietas monospora differens) forte apud nos mixtim cum *geminata* occurrat *L. Montagnei* Flot., Nyl. l. c.

h. — *Stirps* Lecideæ disciformis, *thallo granuloso, lævigato aut evanescente (aut nullo), sporis fuscis 1—3-septatis. Corticolæ (lignicolæ, vel exceptione saxicolæ).* — Species *91—101.*

91. **L. alboatra** (Hoffm.) Schær., Nyl. *Prodr.* p. 141 (Fr. *L. E.* p. 336 pr. p.); *Lecidea corticola* Ach. *Syn.* p. 32 (excl. var.).

Thallus albus vel albicans inæqualis subfarinosus effusus, interdum subevanescens; apothecia nigra albo-suffusa aut nuda, sat parva, adnata (haud raro spurie lecanoroidea); sporæ fuscæ ellipsoideæ 3-septatæ, longit. 0,016—20, crassit. 0,007—9 millim., hypothecio fusco.

Ad cortices in Scandinavia mitiore passim. Adhuc in Alandia (Edwin Nylander), ad quercus et fraxinos frequenter.

Variat thallo minus visibili vel tenui sordido rimuloso, facie tum sæpe fere *Lecanoræ sophodis* var. *exiguæ* (hanc formam respicit *Lecidea parasema* var. *athroa* Ach. *Meth.* p. 36, *L. U.* p. 175), var. 1) *athroa* (Ach.); in Suecia "utplurimum transversaliter in cortice fraxini late extenditur sublimitata." Eadem thallo determinato albido rimuloso est var. *leucocelis* (Ach. *L. U.* p. 187; *Lichen circumscriptus* Pers.) non differens a *leucoplaca*, var. sequente. — Var. 2) *leucoplaca* (*Patellaria leucoplaca* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 347; *Diplotomma populorum* Mass. *Ric.* p. 99; *Lecanora pharcidia* Ach. *Syn.* p. 147, ex specim. Persoon., ad cort. juglandis, in hb. Ach.), thallo determinato albo inæquali (firmiore quam in typo), apotheciis constanter nudis; e Scandinavia mihi non visa, licet hic verisimiliter obveniat. — Var. 3) *epipolia* (*Lecidea epipolia* Ach. *Meth.* p. 53, *L. U.* p. 186, *Syn.* p. 32; *Lichen speireus* Sm. *E. Bot.* t. 1138; *Lecidea speirea* var. *cretacea* Ach. *L. U.* p. 185, *Syn.* p. 31, et var. *calcarea* Ach. *L. U.* l. c.; *L. margaritacea* var. *calcarea* Ach. *Syn.* p. 32; *Lecanora lainea* Ach. *L. U.* p. 347, quoad specimina hb. Ach. e Lusatia), parum differt a typo speciei, nisi thallo sæpius magis determinato, apotheciis sæpius pruinosis (sporis long. 0,015—20, crass. 0,008—0,011 millim.) et præcipue statione ad saxa calcarea (et porphyrea, in Hogland, ubi eam legit Edwin Nylander), vel ad muros et lapides cal-

careos, etiam ad cimenta. *L. margaritacea* Smmrf. *Lapp.* p. 148, *Cr. Norv.* 50, e Nordlandia (ad rupes calcareas) est eadem, thallo interdum subareolato. Etiam in Suecia talis occurrit et aliquando apothecia protuberantia habet. — Var. 4) *ambigua* (*Lecidea ambigua* Ach. *L. U.* p. 161, *Syn.* p. 14 [excl. var.]), thallo cinerascente vel albido tenuissimo rimuloso, apotheciis parvis nudis (sporis long. 0,012—18, crass. 0,007—0,010 millim.; ad lapides silaceos, gneissaceos, etc., in Scandinavia rarius.

92. **L. persimilis** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 237.

Thallus albidus vel albido-griseus tenuis, sat minute granuloso-areolatus; apothecia nigra nuda mediocria adpressa planiuscula (vel leviter convexiuscula), tenuiter marginata, intus nigricantia (hymenio cinerascente); sporæ fusco-nigrescentes oblongo- vel fusiformi-ellipsoideæ 3-septatæ, longit. 0,019—23, crassit. circa 0,008 millim., hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

In Savolaxia, Ruokolaks, ad ligna pinea vetusta (Edwin Nylander).

93. **L. triphragmia** Nyl. *Prodr.* p. 141.

Similis *Lecideæ disciformi*, sed sporis 3-septatis (longit. 0,025—34, crassit. 0,009—0,0011 millim.). Forte haud specie distinguenda.

Ad cortices et supra muscos in Alandia (Edwin Nylander). Supra muscos in Dovre (W. P. Schimper). Occurrit simul forma transiens, ut videtur, in *disciformem* (talis in regione Aboënsi, ad corticem betulæ, lecta a cl. P. A. Karsten).

94. **L. disciformis** Fr. in Moug. *St. Vog.* 745, Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 175, f. 1, *Prodr.* p. 140; *Lecidea parasema* Ach. pr. p.

Thallus albidus sat tenuis continuus determinatus, inæquabilis, sæpe tenuissimus vel evanescens; apothecia mediocria (vel minora) plana marginata, interdum convexiuscula; sporæ fuscæ ellipsoideæ vel oblongæ 1-septatæ, longit. 0,019—30, crassit. 0,008—0,014 millim., hypothecium nigrum vel obscure fuscum.

Ad cortices varios in Scandinavia tota frequens. Rarius ad ligna. Raro supra muscos. In Europa media passim ad saxa, omnino typica.

Forma *obscurata* occurrit ad saxa juxta mare, prope Helsingfors saltem, simul cum *Lecanora sophode* thallo similiter obscuro (nec alioquin quidem dissimili). Occurrit quoque thallo tenuissimo vel macula albida solum indicato et varians apotheciis diminutis et sporis sæpe curvatis. — Var. *coniops* (*Lecidea coniops* Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 8, *Lapp.* p. 471) sistit varietatem thallo pallide cinereo-fuscescente granuloso, granulis parvis sublobatis, mediocri, obscure limitato, apotheciis superficialibus nigris (vel fusco-nigris), sporis long. 0,012—17, crass. 0,008—9 millim.; "in petris prope littora maris ab aqua procellosa sæpe conspersis Finmarkiæ passim frequenter" (Wahlenberg, l. c.). Apud auctores nomen *coniops* commixtum est cum varietate *latypea parasemæ.*

95. **L. myriocarpa** (DC. *Fl. Fr.* 2, p. 346, sub Patellaria) Nyl. *Prodr.* p. 141; *Lecidea parasema* var. *myriocarpa* Ach. *L. U.* p. 176, *Syn.* p. 18; *Buellia punctata* Krb. pr. p.; *L. chloropolia* Fr. *L. S. exs.* 353.

Thallus cinerascens tenuis inæqualis vel subgranulosus effusus aut evanescens; apothecia parva plana (vel demum sæpe convexiuscula); sporæ longit. 0,009—0,016, crassit. 0,0055—0,0075 millim., hypothecium nigrum.

Ad cortices et ligna vetusta in Scandinavia frequens. Raro supra terram et lapides.

96. **L. saxatilis.** *Calicium saxatile* Schær.; *Buellia saxatilis* Krb.; *Lecidea micraspis* Nyl. *Prodr.* p. 140.

Apothecia parasitica superficialia planiuscula parva (latit. circa 0,4 millim. vel minora); sporæ longit. 0,009—0,015, crassit. 0,0045—0,0065 millim.

Supra thallum subgranulosum album sterilem in Norvegia, ad saxa schistosa. Ad rupes calcareas in montibus Helvetiæ et Galliæ, supra thallum *Lecanoræ calcareæ* et *Squamariæ saxicolæ* dealbatæ *(versicoloris).*

Est quasi *myriocarpa* omnino ecrustacea et apotheciis solis crescens in crustis alienis. A cel. Blytt missam vidi sub nomine *Lecanora micraspis* Smmrf. *Lapp.* p. 102, sed descriptione non conveniente determinationem eam haud rectam credere coactus sum.

97. **L. nigritula** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 99, *Prodr.* p. 141; *Lecidea microspora* Næg. in Hepp. *Flecht. Eur.* 43.

Thallus cinerascens minute granulosus vel pulvereo-granulosus tenuis indeterminatus, aut evanescens; apothecia minuta (latit. 0,3—0,5 millim.) opaca plana aut convexiuscula, intus quoque nigra; sporæ (sat dilute) nigrescentes oblongæ vel ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,007—11, crassit. 0,0035—0,0045 millim., hypothecium fusco-nigrum.

Ad cortices quercus, pini et ad ligna pini in Suecia et Finlandia.

Verisimiliter haud rara, licet facile prætervisa vel commixta cum *myriocarpa*, a qua præcipue differt sporis minoribus pariete tenuiore (similibus ac in *Calicio pusillo*).

98. **L. papillata** Smmrf. *Lapp.* p. 154, Fr. *L. E.* p. 336.

Thallus albus opacus granulosus mediocris, granulis contiguis, passim concrescentibus, passim subpapillosis (magis discretis); apothecia nigra nuda, sat parva (latit. 0,5—0,7 millim.), plana et demum convexa, intus concoloria; sporæ longit. 0,016—23, crassit. 0,009—0,011 millim.

"In muscis rupium inferalpinarum, Saltdalen Nordlandiæ, rarius", ex Smmrf. l. c.

99. **L. glauco-nigella** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus glaucescens vel glauco-virescens tenuissimus leprosus vel leproso-granulosus subdispersus; apothecia nigra opaca parva (latit. 0,3—0,5 millim.) superficialia immarginata plana fere scabriuscula, intus prope concoloria; sporæ fere ut in *myriocarpa* (longit. 0,011—16, crassit. 0,006—9 millim.), paraphyses non bene discretæ, hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein sordide tincta.

Ad saxa in regione Aboënsi, Merimasku, lecta a cl. P. A. Karsten.

Species absque dubio propria, faciei trachylioideæ, quadammodo accedens ad *L. scabrosam*, at colore thalli glauco-cinerascente abunde diversa.

100. **L. badia** Flot., Nyl. *Prodr.* p. 139 (Fr. *L. E.* p. 289 pr. p.); *Buellia badia* Krb. *S. L. G.* p. 226; *Lecidea melanospora* Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 176.

Thallus cervinus vel cinereo-fuscescens squamuloso-granulosus, squamulis crenatis imbricatis crustam formans parum crassam, vel iis interdum subdispersis; apothecia nigra opaca sat parva (latit. 0,5—0,7 millim.), plana vel convexiuscula, intus concoloria; sporæ longit. 0,011—21, crassit. 0,006—9 millim., hypothecium fuscum.

Ad parietes rupium (sæpe inter *Parmeliam prolixam* intertexta), in Suecia saltem media (ad Holmiam et Upsaliam, pluribus locis).

101. **L. sagedioides** Nyl. *Homalea sagedioides* Nyl. olim.

Thallus cervinus vel cervino-cinerascens granuloso-squamulosus concrescens (vel granuloso-inæqualis), crassiusculus (crassit. 1—3 millim.), intus superius virens et infra crasse niger (ex hypothallo abundante); apothecia nigra vel fusco-nigra plana immarginata innata (superficiem thalli æquantia) opaca; sat parva (latit. 0,4—0,5 millim.), intus concoloria; sporæ fuscæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,016—20, crassit. 0,008—0,011 millim., paraphyses discretæ fere mediocres, hypothecium incolor vel leviter fuscescens (vel hypothallo substrato sæpe infuscato). Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Supra terram in alpe Dovre (Blytt), ex hb. C. F. Nyman.

I. — *Stirps* Lecideæ grossæ, *sporis incoloribus ellipsoideis 1-septatis. Corticola.* — Species *102.*

102. **L. grossa** Pers., Nyl. *Prodr.* p. 139; *Lecidea premnea* Fr. *L. S. exs.* 26; *Catillaria premnea* Krb. *S. L. G.* p. 231; *Lecidea leucoplaca* Fr. *S. V. Sc.* p. 115 (non DC.).

Thallus cinerascens vel cinereo-virescens tenuis continuus vel rimosus inæqualis indeterminatus, vel cinereo-albicans tenuissimus; apothecia nigra nuda mediocria (latit. 1—1,5 millim.), demum convexiuscula, intus nigra hymenio albo; sporæ incolores ellipsoideæ distincte 1-septatæ, longit. 0,024—30, crassit. 0,012—18 millim., hypothecium nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens.

Ad cortices (fraxini) in Suecia mitiore; etiam supra muscos in Smolandia (ex hb. Ach.).

k. — *Stirps* Lecideæ premneæ, *sporis incoloribus 1—5-septatis.* — Species *103—106.*

103. **L. rhexoblephara** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 297.

Thallus albido-cinerascens tenuissimus vel vix ullus; apothecia nigra mediocria (latit. circa 1 millim.) plana, margine sat crasso aliquoties (7—9) rhagadiose diffracto (sensu radiorum apothecii, inde margine quodammodo crenato), intus concoloria hymenio albido; sporæ oblongo-ellipsoideæ vel fusiformi-ellipsoideæ 3-septatæ, longit. 0,017—21, crassit. 0,007 millim., paraphyses mediocres teneræ (apicibus fuscescentibus nonnihil incrassatis 3-articulatis adglutinatis), hypothecium (lamina tenui visum) obscure fuscum. Gelatina hymenea iodo sat dilute cœrulescens.

Supra *Gymnomitrium concinnatum* in Dovre (W. P. Schimper). Eadem in insula Freti Behringiani (ex hb. Tuckerm.), modo apotheciis paullo majoribus (epithecio nigro-rufescente).

104. **L. farinosa** (Ach.). *Lecidea corticola* var. *farinosa* Ach. *L. U.* p. 187, *Syn.* p. 32; *L. epipolia* var. *farinosa* Rchnb. *L. exs.* 81; *L. albo-atra* var. *amylacea* Schær.; *L. amylacea* Nyl. *Prodr.* p. 137; *Pyrenothea farrea* Fr. *L. S. exs.* 193.

Thallus albus pulveraceus inæquabilis, sæpius sat tenuis, interdum subgranulosus; apothecia nigra albo-pruinosa plana vel convexiuscula, sat parva (latit. 0,5—0,6 millim.); sporæ fusiformes 1—5-septatæ, longit. 0,016—21, crassit. 0,003—4 millim., hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo vinose fulvo-rubescens.

Ad quercus in Suecia mitiore.

* **L. Dilleniana** Ach. *Meth.* p. 55, *L. U.* p. 188, *Syn.* p. 30; *Lecanactis Dilleniana* Krb. *S. L. G.* p. 276; *Lichen candidus* Sm. *E. Bot.* t. 1138. — Parum differt thallo albo-cinerascente sat tenui granuloso (granulis sæpe quasi obsolete albo-suffusis); apothecia nigra opaca, nuda aut albo-pruinosa (latit. 6—7 millim.); sporæ 3-septatæ, longit. 0,023—30, crassit. 0,005—6 millim. — Ad saxa granitosa et micacea in Suecia

(ex hb. Ach.; quoque e Norcopia vidi) et in Walamo (J. J. Chydenius). E Nordlandia indicata in Smmrf. *Lapp.* p. 148, (sed sterilis, inde forsan haud omnino certa).

105. **L. abietina** Ach. *L. U.* p. 188, *Syn.* p. 30, Nyl. *Prodr.* p 138; *Lecanactis abietina* Krb. *S. L. G.* p. 276; *Pyrenothea leucocephala* (et f. *lecidina)* Fr. *L. E.* p. 450; *Lecidea leucocephala* Schær.; *Limboria regularis* Ach. in *V. Ac. H.* 1815, p. 260.

Thallus albus vel albidus sat tenuis vel tenuissimus leprosus effusus; apothecia nigra, pruina alba vel albida vel albido-flavescente crasse suffusa (raro denudata), plana, marginata, superficialia, vel convexiuscula margine evanescente, mediocria vel majuscula (latit. 1—2 millim.); sporæ fusiformes 3-septatæ, longit. 0,030—45, crassit. circa 0,0045—0,006 millim., paraphyses graciles, hypothecium nigrum. Gelatina hymenea iodo vinose rubescens, præcedente cœrulescentia levi.

Passim ad abietes vetustiores, jam spermogoniis *(Pyrenothea leucocephala* Fr.) solis, jam simul apotheciis. Etiam ad corticem betularum in Mjölö prope Helsingfors.

Memoretur adhuc forma typica muscicola, f. *incrustans (Cyphelium incrustans* Ach. in *V. Ac. H.* 1817, p. 230, t. 8, f. 6; *Pyrenothea leucocephala* var. *incrustans* Fr. *L. E.* p. 451). Spermatia oblongo-cylindrica (maxima inter Lichenes), long. 0,011—18, crass. 0,0025—0,003 millim.

106. **L. premnea** Ach. *L. U.* p. 173 (et var. *taxicola* p. 670), *Syn.* p. 17 (non Fr. *L. E.* p. 329 quoad synon. ceter., nec *L. S. exs.* 26), Nyl. *Prodr.* p. 138; *Opegrapha plocina* Krb. *S. L. G.* p. 280.

Thallus tenuissimus cinerascens vel obsoletus, effusus; apothecia atra opaca nuda (aut sæpe pruina levi virescenti-glauco suffusa) mediocria plana marginata, intus hymenio albo; sporæ incolores oblongo-fusiformes 5-septatæ, longit. 0,018—25, crassit. 0,005—7 millim., paraphyses sat graciles, hypothecium nigrum. Gelatina hymenea iodo dilute vinose fulvescens vel rubescens.

Ad truncum pini denudatum vetustum prope Helsingfors (ni fallor, at specimen perdidi). In Gallia passim occurrit (sporis

simplicibus vel 1—5-septatis) ad latera inferiora (vel subocculta) rupium.

l. — *Stirps* Lecideæ lenticularis, *thallo tenui obscuro (vel vix ullo), sporis incoloribus parvis 1-septatis (vel simplicibus), paraphysibus nigro-clavatis.* — Species *107*.

107. **L. lenticularis** Ach. *Syn.* p. 28; *L. stigmatea* var. *microspis* Ach. *Syn.* p. 16; *L. lithyrga* Ach. *Syn.* p. 25; *L. Gagei* Hook. *E. Fl.* p. 177, Tayl. *Hib.* p. 120, *E. Bot.* t. 2581; *L. prominula* Borr. in *E. Bot.* suppl. t 2687, f. 1, Tayl. *Hib.* p. 119; *L. chalybeia* Borr. ibid. f. 2, Schær. *Enum.* p. 117, Nyl. *Prodr.* p. 136.

Thallus umbrinus vel nigricans vel cinereo-fuscescens tenuis indeterminatus vel tenuissimus evanescens; apothecia nigra (vel interdum fusco-nigra) parva (latit. circa 0,3 millim.) plana marginata, intus nigrescentia vel medio cinerascentia; sporæ 8næ oblongæ tenuiter 1-septatæ, longit. 0,007—0,011, crassit. 0,003—4 millim., paraphyses mediocres vel crassiusculæ apice eximie fusconigro-clavatæ, hypothecium infuscatum aut incolor. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Supra lapides gneissaceos in Alandia et porphyrios in Hogland (Edwin Nylander). Ad rupes calcareas et graniticas in Suecia sat raro, ut videtur.

Var. *nigro-clavata* (*L. nigro-clavata* Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 160), differens thallo sæpe parum vel vix visibili, sporis oblongis simplicibus, clava paraphysium sæpius adhuc majore, corticola. Forsan nonnisi varietas *Lecideæ lenticularis.* E Scandinavia mihi haud visa. In Gallia, Germania et Rossia occurrit; quoque in Algeria. — In *lenticulari* Ach. typica hypothecium incolor et igitur apothecia sectione intus tota albida. Forte melius inter Biatoras disponatur.

m. — *Stirps* Lecideæ ostreatæ, *sporis parvis simplicibus oblongis. Corticolæ, lignicolæ, terrestres vel muscicolæ, unica saxicola.* — Species *108—114*.

108. **L. ostreata** (Hffm.) Schær. *Enum.* p. 97; *Parmelia ostreata* Fr. *L. E.* p. 94; *Lecidea scalaris* Ach. *Meth.* p. 78, *L. U.* p. 214, *Syn.* p. 52, Whlnb. *Lapp.* p. 478.

Thallus cervinus vel cervino-pallidus vel cervino-albidus squamulosus, squamulis imbricatis adscendentibus (vel interdum

erectiusculis), sæpe crenatis et infra pulverulentis (ibique albidis), planis vel nonnihil flexuosis; apothecia nigra opaca plana adnata mediocria, margine demum flexuoso, sæpius leviter glauco-pruinosa; sporæ oblongæ simplices, longit. 0,011—12, crassit. 0,0025—0,0035 millim., hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad ligna (sæpe carbonata) et cortices pini in sylvaticis Scandinaviæ passim vel sat frequens.

Plerumque apothecia sine sporis observantur. Sterilis frequentior et sæpe tum thallo vegetiore pallidiore, squamulis majoribus flexuosis. Apothecia latit. 1—1,6 millim. — Var. 1) *myrmecina* (Ach., Whlnb.) parum differt thallo magis cervino (vel cervino-badio), apotheciis nudis; ad ligna carbonata cum typo, in quem manifeste transit, ita ut specimina videre licet pro parte *ostreata*, pro alia parte *myrmecina*. Sed *L. myrmecina* Fr. species est diversa, sequens.

109. **L. Friesii** Ach. in Liljebl. *Sv. Fl.* (1816) p. 610; *Lecidea myrmecina* Fr. in *V. Ac. H.* 1822, p. 257, *L. E.* p. 344.

Thallus cervino-lutescens vel badio-luteus squamuloso-granulosus, squamulis parvis convexo-gibbosis et interdum plicatis inflexis, confertis aut sparsis; apothecia atra nuda sat parva elevato-marginata plicato-crispata, intus concoloria; sporæ 8næ ellipsoideæ simplices, longit. 0,007—8, crassit. 0,003—4 millim., hypothecium nigrum. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad cortices et ligna vetusta pini (etiam alni et quercus, ex Fr. l. c.) in Suecia boream versus saltem usque ad Upsaliam.

Affinis *ostreatæ*, qua omnibus partibus minor et notis allatis differens (squamulis convexis, apotheciis plicatis, etc.). Apothecia latit. 0,5—0,6 millim. Nomine *myrmecina* ante varietati præcedentis dato, hic nomen Acharianum præferendum erat. Est intermedia inter *ostreatam* et *xanthococcam*.

110. **L. xanthococca** Smmrf. *Lapp.* p. 154, Fr. *L. E.* p. 345.

Thallus flavido-pallidus vel flavescens tenuiter granulato-areolatus, granulis sæpe nonnihil dispersis, depressiusculis; apothecia nigra parva (latit. 0,5 millim. vel minora) plana adnata marginata (margine tenui, in visis, paullo flexuoso), in-

tus concoloria hymenio obscure cinerascente; sporæ 8næ ellipsoideæ simplices, longit. 0,008—0,010, crassit. 0,004—5 millim., paraphyses graciles, hypothecium nigrum. Gelatina hymenea (etiam thecæ) iodo intense cœrulescens.

"In ligno ramisque decorticatis pini, Saltdalen Nordlandiæ rarius." Smmrf. l. c.

111. **L. euphoroides**. — *L. euphorea* Nyl. olim (huc Fr. *L. S. exs.* 154).

Thallus albidus vel albido-cinerascens granulosus vel granuloso-verrucosus, subeffusus aut sat determinatus; apothecia planiuscula tenuiter marginata aut convexiuscula (margine evanido), intus nigricantia; sporæ oblongæ simplices, longit. 0,009—0,012, crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad ligna vetusta in Suecia et Finlandia rarius.

L. sabuletorum var. *euphorea* Flk. (ex specimine archetypo) pertinet ad *Lecideam parasemam* f. lignariam (Ach.); ergo nomen mutandum fuit. Apothecia omnino atra.

112. **L. perfidiosa** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus cinereus obscurus crustaceo-areolatus, vel subgranulato-lobatulus, adpressus, rugulosus, inæqualis, vel forte non proprius; apothecia nigra vel fuscoatra plana prominula, margine tenui pallido-fusco subcrenulato (demum evanescente), fere mediocria (latit. circa 0,4 millim.), intus medio cinerascentia; sporæ fusiformi-ellipsoideæ simplices, longit. 0,010—11, crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses mediocres vel crassiusculæ apice infuscato longe incrassato, hypothecium infra fuscescens. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens, dein violacee tincta (præsertim thecæ).

Supra terram in Enari Lapponiæ (Edwin Nylander), cum *Lecidea uliginosa* intermixta.

113 **L. neglecta** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 233.

Thallus albido-cinereus, crustam sat tenuem formans tenuiter granulosam, granulis subconfluentibus, plagas latitudinis pollicaris vel ultra exhibens; apothecia nigra minuta (latit.

0,2—0,25) superficialia opaca planiuscula, margine obtuso aut demum evanescente, intus fere concoloria vel cinereo-nigrescentia; sporæ fusiformi-oblongæ vel oblongæ, longit. 0,008—0,011, crassit. 0,003—4 millim., paraphyses mediocres, hypothecium fuscescens. Gelatina hymenea iodo non tincta (vel lutescens).

Supra muscos minores (*Grimmias* et *Andreæas*), quos incrustans obducit, ad saxa granitica prope Helsingfors; raro cum apotheciis.

114. **L. Kajanita** Nyl. in Mus. Fenn.

Thallus vix ullus extus visibilis vel granulis parcissimis adpressis albidis constans; apothecia nigra opaca (sæpe cæsio-pruinosa) planiuscula immarginata sat parva (latit. circa 0,4 millim.), intus concoloria; sporæ fusiformi-ellipsoideæ, longit. 0,010—14, crassit. 0,0045—0,0055 millim., paraphyses non discretæ, hypothecium fuscum. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad cimentum vetustum arcis Kajanensis (K. P. Malmgren).

Nulli speciei cognitæ affinis, apotheciis parvis immarginatis plerumque (leviter) cæsio-pruinosis dignoscenda. Crescit Kajanæ mixtim cum *Protococco magmate* et initiis *Sirosiphonis* crustam tenuem nigricantem subdispersam sistentibus. Apothecia vulgo leviter convexiuscula.

II. — *Species absolute parasiticæ, apotheciis solis supra thallos alienos crescentibus (cf. etiam sp. 96).* — Species *115—116.*

115. **L. glaucomaria** Nyl. in *Bot. Notis.* 1852, p. 177, f. 10, 1853, p. 99.

Thallus proprius nullus; apothecia nigra opaca superficialia fere mediocria (latit. circa 0,5 millim.), plana, crassiuscule marginata, margine subruguloso, intus nigra (hymenio obscure cinerascentia), sæpe nonnulla agglomerata; sporæ incolores vel demum fuscæ oblongo-ovoideæ 3-septatæ, longit. 0,021—25, crassit. 0,008—9 millim., paraphyses nonnihil irregulares, hypothecium fusco-nigrum. Gelatina hymenea iodo dilute cœrulescens, dein vinose rubescens.

Supra thallum *Lecanoræ glaucomæ* saltem prope Holmiam passim satis frequenter (in Skanstull- et Nacka-bergen, etc.).

Thecis et sporis fere *Arthonia*, sed apotheciis marginatis et paraphysibus *Lecidea*. Socia sæpe *Arthoniæ glaucomariæ* Nyl., quæ cum ea non confundatur.

116. **L. oxyspora** (Tul.) Nyl. *Prodr.* p. 145; *Abrothallus oxysporus* Tul. *Mém. Lich.* p. 116, t. 16, f. 27.

Apothecia nigra vel fusco-nigra minuta (latit 0,25 millim. vel minora) plana aut convexiuscula, intus fuscescentia (vel obscura); sporæ ellipsoideo-fusiformes, longit. 0,014—20, crassit. 0,005—7 millim., paraphyses haud discretæ. Gelatina hymenea præsertim thecarum iodo cœrulescens.

Supra thallum *Platysmatis glauci* in Scandinavia passim (eundem bullose deformans, inde *Lichen ampullaceus* Wulf. vel *Platisma ampullaceum* Hffm.); at occurrit similiter aliquando supra eundem thallum *Abrothallus parasiticus* (Sm.) Nyl. *Prodr.* p. 55, externe parum diversus, at sporis fuscis ovoideis 1-septatis.

o. — *Stirps* Lecideæ sanguinariæ, *thecis monosporis*. — Species *117*.

117. **L. sanguinaria** Ach. *Meth.* p. 39, *L. U.* p. 170, t. 2, f. 4, *Syn.* p. 19, Whlnb. *Lapp.* p. 469, Fr. *L. E.* p. 335; *Megalospora sanguinaria* Flot., Mass.

Thallus albidus vel cinerascens mediocris (interdum crassiusculus) granuloso-inæqualis vel granuloso-concrescens, passim sat tenuis; apothecia nigra convexa (latit. 1—1,5 millim.), medulla thalli sub iis plus minus coccineo-perfusa; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,070—0100, crassit. 0,028—38 millim., pariete crasso, paraphyses non bene discretæ, hypothecio tenui incolore (vel parum nigrescente). Gelatina hymenea vel saltem thecæ iodo intense cœrulescentes.

Ad cortices et saxa in Scandinaviæ sylvaticis passim; interdum quoque supra muscos.

Variat aliquando apotheciis (quibusdam) decoloratis (pallidis). Variat deinde, in Kiiminki saltem Finlandiæ borealis (Edwin Nylander), thallo tenuiter granuloso-concrescente, apotheciis parvis (latit. circa 0,5—0,6 millim.) et sporis minoribus (long. 0,058—72, crass. 0,024—30 millim.); crescit supra muscos (Andreæas, etc.), dicaturque f. *microcarpa*. Variat thallus intus in typo etiam alibi, quam sub apotheciis, erythrinice (coccinee) perfuso. Contra var. *affinis* (*L. affinis* Schær.; *Megalospora*

affinis Krb.) differt a typo thallo nullibi erythrinoso; occurrit quoque hæc in Alandia saltem et in Finlandia orientali (ad cortices et saxa). Thallus interdum crassitiem 5 millim. adtingit. — Fig. 10 dat sporam typi et binas sporas (minores) formæ *microcarpæ*.

B. — *Species thallo citrino.* — Species *118—122.*

a. — *Species sporis fuscis vel nigricantibus 1—3-septatis vel varie divisis.* — Species *118—121.*

118. **L. galbula** (Ram.) Nyl. *Prodr.* p. 142; *Psora galbula* DC. *Fl. Fr.* 2, p. 368; *Lecidea Wahlenbergii* Ach. *Meth.* p. 81, t. 2, f. 2, *L. U.* p. 211, *Syn.* p. 50, Whlnb. *Lapp.* 480, Fr. *L. E.* p. 291; *Catolechia Wahlenbergii* Flot., Krb.; *Lecidea pulchella* Schær.

Thallus sulphureo-citrinus vel læte flavo-virescens lobato-squamosus gyroso-plicatus, hypothallo nigricante; apothecia atra adpressa plana mediocria, intus concoloria; sporæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,010—17, crassit. 0,007—0,010 millim., hypothecium crasse nigrum.

Ad rupes inter muscos (Andreæas et Jungermannias) in alpibus Scandinavicis passim.

119. **L. scabrosa** Ach. *Meth.* p. 48, Nyl. *Prodr.* p. 142; *Buellia scabrosa* Krb.; *Lecidea citrinella* var. *scabrosa* Ach. *L. U.* p. 180, *Syn.* p. 25.; *L. flavo-virescens* var. *scabrosa* Schær.

Thallus citrinus vel flavo-virescens areolatus vel areolato-granulosus tenuis; apothecia atra opaca sat parva (latit. 0,5—0,7 millim.), convexiuscula, intus concoloria; sporæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,012—18, crassit. 0,006—8 millim., hypothecium nigrum.

Supra terram alpinam aut supra thallum *Bæomycetis rufi*, rara. Rarissime in regionibus non-alpinis.

120. **L. alpicola** (Schær.) Nyl. *Prodr.* p. 142.

Similis *geographicæ* (vel varietati ejus *atrovirenti)*, areolis et apotheciis sæpe paullo majoribus, sporis 1-septatis (longit. 0,018—28, crassit. 0,010—15 millim.).

Ad saxa in alpibus et in Lapponia.

121. **L. geographica** (L.) Schær. *Spicil.* p. 124, *Enum.* p. 105, t. 5, f. 3, Fr. *L. E.* p. 326; *L. atrovirens* Ach. *Meth.* p. 46, *L. U.* p. 163, *Syn.* p. 21, Whlnb. *Lapp.* p. 473.

Thallus citrinus vel saturate flavus areolatus, areolis (sæpius) planis contiguis, hypothallum atrum (pro maxima parte) obtegentibus; apothecia atra plana fere mediocria; sporæ nigrescentes vel nigræ oblongæ 3- (vel pluries) septatæ (accedentibus sæpe septulis longitudinalibus vel obliquis nonnullis), longit. 0,027—40, crassit. 0,011—19 millim., hypothecium nigrum.

Ad saxa in Scandinavia vulgaris (præsertim ad granitica et schistosa).

Species variabilis et thallo et sporis; hæ interdum nonnihil minores, quam attulimus. Var. 1) *cyclopica* Nyl. differt areolis plerumque nonnihil sparsis (minus depressis) et singulis sæpe apothecio ocellatis, sporis vulgo majusculis fere murali-divisis (long. 0,030—40, crass. 0,011—16 millim.) et sæpius halone involutis; in Suecia et Finlandia raro. — Var. 2) *atrovirens* Schær., Fr., differt a typo areolis thallinis minus contiguis vel dispersis, apotheciis inter areolas sitis; vulgaris cum typo. Eidem facile jungatur *L. viridi-atra* Flot. (*Rhizocarpon viridi-atrum* Krb. *S. L. G.* p. 262), areolis magis flavo-virentibus, parum differens; etiam in Scandinavia passim occurrens. — Var. 3) *gerontica* (Ach. *Meth.* p. 45, *L. U.* p. 163; var. *pulverulenta* Schær.) thalli areolis albo-subpulverulentis præsertim dignoscitur (ab *atrovirente* aut typo); in Suecia et Norvegia, ad saxa præcipue calcarea. Vel si *viridi-atra* ut varietas 3tia consideratur, *gerontica* evadit var. 4ta.

b. — *Species sporis incoloribus attenuatis.* — Species *122.*

122. **L. citrinella** Ach. *Meth.* p. 47, *L. U.* p. 179 et *Syn.* p. 25 (excl. var. scabrosa), Fr. *L. E.* p. 316; *Rhaphiospora flavo-virescens* Mass., Krb. *S. L. G.* p. 268.

Thallus citrinus vel læte flavo-virescens leprosus sat tenuis vel parum crassus et parum effusus; apothecia nigra adpressa, intus concoloria; sporæ aciculares (interdum septatæ, vel saltem globulos oleosos continentes), longit. 0,036—0,100, crassit. 0,003—4 millim., paraphyses graciles, hypothecium nigrum. Gelatina hymenea iodo non tincta.

Ad latera rupium in sylvaticis Scandinaviæ passim, supra muscos minores (præsertim *Andreæas* et *Grimmias*).

II. — **ODONTOTREMA** Nyl.

Thallus vix ullus distinctus. Apothecia nigra thelotremoideo-lecideina (vel gymnotremoidea) nuda, primo clausa, dein margine (proprio) denticulato-rupto dehiscentia. Forte potius Fungis relegandum genus.

1. **O. minus** Nyl. *Herb. Mus. Fenn.* p. 91.

Thallus macula sæpe valde dilatata albida vel albido-cinerascente indicatus (vix ullus verus); apothecia sat sparsa parva (vix 0,5 millim. latiora); sporæ incolores ellipsoideæ simplices, interdum tenuiter 3-septatæ, longit. 0,011—15, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Supra lignum abietinum vetustum ad Helsingfors raro; prope Aboam (P. A. Karsten); prope Kajanam (K. P. Malmgren).

Huic generi accedit *Schizoxylon* Pers., tres in Europa offerens species (omnes thecis seriatim polysporis), scilicet *Sch. sæpincolam* Pers., *Sch. corticolam* ("Coniangium corticolam" Fr. *S. V. Sc.* p. 121, "Lecideam dryinam" Fr. *L. S. exs.* 273) et *Sch. dryinum* (Flk. *D. L.* 141 sub nomine "Lecidea dryina"). Ex iis modo *Schizoxylon corticola* e Scandinavia mihi cognitum, differens sporis minoribus (latit. et longit. circa 0,0025 millim.) a *Sch. dryino* (in quo sporæ long. 0,009—0,012, crass. circa 0,0025 millim.). Sed potius fungis adscribendæ sint hæ species quam lichenibus.

Trib. XVII. — XYLOGRAPHIDEI.

Thallus parum visibilis vel obsolete indicatus. Apothecia concaviuscula, vel epithecio plicato, aut plana, lirellina (non rotundata) aut oblongo-rotundata; sporæ 8næ simplices.

I. — **XYLOGRAPHA** Fr. pr. p., Nyl.

Apothecia linearia, epithecio planiusculo vel concaviusculo vel sulciformi (epithecio supra longitudinaliter plicato), sporæ incolores, paraphyses distinctæ gracilescentes vel minus distinctæ.

1. **X. parallela** Fr. *S. M.* 2, p. 197; *Opegrapha parallela* Ach. *L. U.* p. 253.

Thallus macula albida elongata indicatus; apothecia nigra anguste lanceolato-linearia (latit. circa 0,2 millim.) erumpentia innata plana (concaviuscula), parallele disposita, intus cinerascentia; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,011—16, crassit. 0,005—7 millim., paraphyses sat graciles. Gelatina hymenea iodo cœrulescens.

Ad ligna vetusta frequenter, usque in Lapponia.

Variat apotheciis pallescentibus (var. *pallens* Nyl.), passim obveniens, et rarius apotheciis brevioribus oblongis vel difformibus.

2. **X. flexella.** *Limboria flexella* Ach. in *V. Ac. H.* 1815, p. 258, et 1817, p. 222.

Thallus vix ullus vel macula albida indicatus; apothecia nigra minuta (long. 0,25 millim. rarius excedentia) superficialia oblonga, rima epitheciali longitudinali plicata vel rarius modo concava (tum breviora); sporæ ovoideæ vel ellipsoideæ longit. 0,004—5, crassit. 0,002—3 millim.

Ad lignum alni in Suecia, ex hb. Ach., sed specimen ibi visum haud bene evolutum et nonnihil incertum. Ceteroquin e Silesia et Helvetia adest bona in hb. Ach. (specimina ejus archetypa). Fere genere distinguenda a *X. parallela.*

II. — **AGYRIUM** (Fr. pr. minima p.) Nyl.

Thallus parum vel vix visibilis. Apothecia oblonga vel rotundata, epithecio plano vel convexiusculo, paraphysibus haud distinctis.

1. **A. rufum** (Pers.) Fr. *S. M.* 2, p. 332, Smmrf. *Lapp.* p. 309, Nyl. *Prodr.* p. 148; *Stictis rufa* Pers.

Thallus macula albida vel alba indicatus; apothecia læte rufa (interdum obscuriora) rotundata vel oblonga (latit. circa 0,5 millim.) plana vel convexiuscula, demum sæpe prominula (inde tunc quasi tuberculosa); sporæ incolores (vel tandem vetustiores interdum rufescentes) ellipsoideæ, longit. 0,011—14, crassit. 0,007—9 millim.

Ad ligna abietina et pinea in Scandinavia satis frequens.

In specimine archetypo Persoonii (hb. Lév.), æque ac in nostris scandinavicis (et in Moug. *St. Vog.* 1096) gelatina hymenea iodo cœrulescens; at in forma gallica (Nyl. L. Mt. D. 62) sæpius eadem iodo vinose rubet (præcedente cœrulescentia) et sporæ sæpius paullo longiores (long. 0,014—17 millim.), f. *rubida* Nyl. mscr.

Trib. XVIII. — GRAPHIDEI.

Thallus parum evolutus tenuis continuus, sæpe parum visibilis, aut hypophlœodes. Apothecia lirellina, epithecio aut plano aut angustato-plicato (marginato et rimiformi), marginata aut immarginata.

I. — **GRAPHIS** Ach., Nyl.

Thallus tenuis vel tenuissimus, epiphlœodes vel hypophlœodes. Apothecia nigra linearia varie divisa aut simplicia, saltem basi innata; sporæ incolores vel fuscæ oblongæ pluri-loculares. iodo *) cœrulee coloratæ (gelatina vero hymenea non tincta vel lutescente), paraphyses graciles distinctæ.

1. **Gr. scripta** Ach. *L. U.* p. 265, *Syn.* p. 81; *Opegrapha scripta* Ach., Fr. *L. E.* p. 370.

Thallus macula albida vel pallida indicatus (determinata vel indeterminata); apothecia elongata (latit. circa 0,2 millim.), varie disposita, nonnihil flexuosa et divisa, epithecio rimiformi (vel quasi sulcum sistente); sporæ (vulgo 8^{nae}) oblongæ 7—9-loculares, longit. 0,024—,44, crassit. 0,007—0,010 millim.

Ad cortices varios, præsertim lævigatos (ut alni, coryli, sorbi) passim; parum ultra Scandinaviam mediam septentrionem versus procedens (loco fere maximo boreali cognito in insula Walamo, at var. *pulverulenta* nonnihil longius extenditur).

---

*) Hæc nota non valet nisi de sporis adultis. Similiter gelatina hymenea, ex. gr. in Collemeis, iodo cœrulescens, in apotheciis juvenilibus, sporis non evolutis, nonnisi lutescit.

Variabilis, formis diversis nomina varia habens, præsertim Achariana et Chevalierana. Sporæ incolores vel demum (emortuæ sæpius collapsæ) fuscæ. F. *limitata* Ach. est typus thallo linea nigricante limitato; f. *varia* Ach. idem est thallo non limitato vel indeterminato (nec differt f. *hebraica* Ach.); f. *tenerrima* Ach. non differt a typo nisi apotheciis angustioribus. F. *recta* (Humb., *Gr. scripta* var. *Cerasi* Ach. et var. *macrocarpa* Pers., Ach.) differt apotheciis rectis vel subrectis parallele dispositis; ad corticem betulæ et cerasi rara. F. *microcarpa* Ach. (sub var. *pulverulenta)* parum differt a typo apotheciis brevioribus. — Var. 1) *pulverulenta* (Pers.) Ach. similis est typo (vel f. *variæ*), sed distingnitur apotheciis epithecio passim planiusculo et leviter cæsio-pruinoso; passim obvenit usque in Tavastiam saltem. Varias in ea varietate attulit Acharius formas. F. *fraxinea* Ach. apotheciis (epithecio planiusculo) subsimplicibus et sæpe fere rectis (haud parallelis); f. *flexuosa* Ach. similis f. *variæ*, sed apotheciis hinc inde epithecio planiusculo (f. *grammica* Ach. ab eadem haud differt, nisi apotheciis fere minoribus). In Satakunta, Sastmola, cl. A. J. Malmgren legit formam accedentem ad *Graphidem dendriticam* apotheciis scilicet divergenti-ramosis substellatis (vixque dissimilis f. *acerinæ* Ach. sub *serpentina)*. F. *betuligna* (Ach., *Graphis stibea* Ach. *Syn.* p. 334) dignoscitur apotheciis rectiusculis subparallelis (analoga f. *rectæ* typi). — Var. 2) *serpentina* (Ach.) differt thallo epiphlœode albo, apotheciis innatis; in Scandinavia forte non limitem fagi excedit. Huc pertinent formæ Acharianæ *subtilis*, *spathea*, *eutypa*, *rugosa*, invicem confluentes, ægre separandæ (sed *ulmea* Pers. [f. *litterella* Ach. saltem pr. p.] et f. *acerina* Ach. pertinent ad var. *pulverulentam*, illa scilicet non diversa a f. *grammica* Ach., hæc accedens ad formam subsimilem *Gr. dendriticæ* minori).

II. — **OPEGRAPHA** Ach., Nyl.

Thallus tenuissimus aut vix ullus. Apothecia nigra superficialia (aut exceptione basi innata) lineari-lanceolata, aut subrotundata, aut linearia, elongata vel flexuosa vel ramoso-divisa, marginata (margine proprio), epithecio aut planiusculo aut rimiformi-angustato; sporæ (vulgo 8^{næ}) incolores (exceptione infuscatæ) fusiformes (pauci-)septatæ; gelatina hymenea iodo sæpissime vinose rubens (sporæ autem non tinctæ). Spermatia sat tenella cylindrica recta aut arcuata.

1. **O. varia** Pers., Fr. *L. E.* p. 364, Nyl. *Prodr.* p. 154. Thallus albidus parum visibilis vel evanescens; apothecia

superficialia lanceolata vel breviora (raro nonnihil divisa), epithecio plano vel planiusculo, intus nigra hymenio cinerascente; sporæ fusiformes (3—)5-septatæ, longit. 0,015—27 (raro 0,030), crassit. 0,005—9 millim.

Ad cortices varios (quercus, fraxini, betulæ, etc.) passim, at parum ultra Scandinaviam mediam versus septentrionem obveniens (nisi forma *pulicari* vel *diaphora*).

Haud parum variabilis. Sporæ interdum demum fuscescentes vel fuscæ. — Typica sit f. *notha* (Ach., *Opegrapha lichenoides* et *convexula* Pers.), apotheciis oblongis vel rarius subrotundatis, planis vel convexiusculis. F. notha Fr. l. c. huc solum pro parte pertinet (excl. scil. *L. S. exs.* 190 et syn. Arthonia gibberulosa Ach., quæ res diversas respiciunt, non vero hujus sunt loci). Hæc f. typica *(notha)* parcius occurrit et quidem vix ultra Sueciam mediam. — F. 1) *pulicaris* (Hffm.) ex specim. Schrad. in hb. Ach., Ach. *L. U.* p. 251 sub *O. vulvella (O. verrucarioides* var. *pepega* Ach., *O. diaphora* varr. *spurcata* et *spaniota* Ach. *L. U.* p. 254, *O. nimbosa* Ach.), apothecia habet minora oblongo-elliptica vel subrotundata, marginibus sæpe conniventibus (tum in junioribus epithecio pliciformi); passim, æque distributa ac f. *diaphora.* Si *O. cymbiformis* Smmrf. *Lapp.* p. 142 hujus est loci, adhuc in Nordlandia ad populos viget. Variat minor et facie (talis est *O. phæa* var. *brunna* Ach. *Syn.* p. 78) accedens ad *O. herpeticam* (est tum O. verrucarioides Pers., ex ipsius specimine, sed est solum *O. verrucarioides* var. *hypolepta* Ach. pro parte, nam pro cetera parte, cum var. *splendida* Ach., secundum specimina archetypa Helvetica, pertinet ad *O. herpeticam).* O. vulvella var. lutescens Clem., Ach. *Syn.* p. 77, est *pulicaris* (vel *diaphora* Ach.) apotheciis flavoviridisuffusis; e Scandinavia mihi haud visa. — F. 2) *diaphora* (Ach.), similis est *pulicari,* sed apotheciis plerumque paullo majoribus vel longioribus, epithecio demum plano; passim obveniens (usque in Satakunta, ubi eam legit cl. A. J. Malmgren). Adhuc rarius saxicola, ex. gr. ad lapides calcareos mœnium ruinæ Raseborg in Finlandia australi (Edwin Nylander). Hæc saxicola interdum apotheciis divisis, accedens ita ad *O. tridentem* Ach. (et ejus var. *arenariam).* Confluit sæpe *diaphora* minor cum *pulicari* (quare sat bene Acharius f. *spaniotam* jungit cum *diaphora).* F. *signata* (Ach., O. notha var. *tigrina* Ach., *O. ovaliformis* Ach. *L. U.* p. 253) vix differt a *diaphora* apotheciis nonnihil planioribus.

* O. RIMALIS Pers., Ach. *L. U.* p. 260, *Syn.* p. 77; *Opegrapha varia* var. *rimalis* Fr. *L. E.* p. 365, *L. S. exs.* 31, Nyl. *Prodr.* p. 156. — Differt ab *O. varia* f. *diaphora* apotheciis linearibus longioribus, sæpius nonnihil flexis et epithecio angustato (plerumque pliciformi, aliis medio dehiscente vel parum dilatato); sporæ 5-septatæ, long. 0,020—25, crass. 0,006- 8 millim. — Ad cortices (præsertim quercus, fraxini, populi) in

Suecia magis meridionali; adhuc in Alandia (Edwin Nylander). — Variat apotheciis brevioribus vel minoribus. Nec differt *O. phœa* Ach. *L. U.* p. 255.

2. **O. Persoonii** Ach. *Meth.* p. 17; *Lichen Persoonii* Ach. *Prodr.* p. 19; *Opegrapha saxatilis* DC., Leight. *Br. Graph.* p. 9, t. 5, f. 3, Nyl. *Prodr.* p. 157 (excl. synonymis Acharianis).

Thallus tenuis vel tenuissimus albus vel albicans opacus subleprosus inæqualis; apothecia oblonga sat parva (latit. circa 0,5 millim.), epithecio pliciformi vel demum subdehiscente, sæpe rugosa et nonnihil difformia; sporæ incolores fusiformes 3-septatæ, longit. 0,021—25, crassit. 0,006—7 millim.

Ad rupes calcareas in Suecia, ex hb. Ach.

Est hæc *O. Persoonii* Ach. *L. U.* p. 246, excl. synon. Persoonii et var.; *O. rupestris* Pers. sit identica cum *O. saxicola* Ach., saltem facie externa convenit, at in specimine archetypo ipsius Persoonii hymenium haud rite evolutum et sporæ nullæ. Nomen Acharianum ita præferendum videtur. In *O. saxicola* Ach. *Syn.* p. 71 (*O. rupestri* Pers. [verisimiliter], Nyl. *Prodr.* p. 157) parum differt apotheciis sæpe subinnatis turgide marginatis, sporis utroque apice obtusis; eam e Suecia non vidi.

3. **O. atra** Pers., DC., Fr. *L. E.* p. 366 pr. p., Leight. *Br. Graph.* p. 18, t. 5, f. 11, Nyl. *Prodr.* p. 157; *Opegrapha stenocarpa* Ach. *L. U.* p. 257.

Thallus hypophlœodes, macula alba vel albida (sæpe indeterminata) indicatus; apothecia superficialia sat gracilenta (latit. vix 0,2 millim.) elongata flexuosa vel ramosa, sæpe intricata, epithecio pliciformi vel rimiformi; sporæ oblongo-ovoideæ 3-septatæ, longit. 0,015—17, crassit. 0,004—6 millim.

Ad cortices læves in Scandinavia magis meridionali passim; in Alandia sat frequenter (Edwin Nylander).

Thecæ in hac specie sunt arthonioideæ, scilicet pyriformes et apice pariete incrassato: sporæ quoque arthonioideæ. — Var. *denigrata* (Ach. *L. U.* p. 259) parum differt præcipue epithecio nonnihil dehiscente; etiam in Suecia obvia. Huc pertinet *O. stenocarpa* var. *abbreviata* Flk. D. L. 128. — Var. *hapalea* (Ach.) Nyl. *Prodr.* p. 158, epithecio sæpius explanato, in Scandinavia non visa (in Gallia et Helvetia obvia). Est *O. pedonta* cum varr. *strigata* et *sychnotea* Ach. *L. U.* p. 262, 263. *O. denigrata* var. *meliana* Ach. *L. U.* p. 260 est *denigrata* (ex Helvetia) transiens in *hapaleam*.

4. **O. vulgata** Ach. *Meth.* p. 20, *L. U.* p. 255, *Syn.* p. 73, Sm. *E. Bot.* t. 1811, Nyl. *Prodr.* p. 158; *Opegrapha atra* a. *stenocarpa* Fr. *L. E.* p. 367 pr. p.

Thallus macula pallida vel pallido-rufescente effusa indicatus vel obsoletus; apothecia (plerumque minora quam in *atra)* simpliciuscula flexuosa vel divaricato-divisa, sæpe conferta; sporæ fusiformes, plerumque 5-septatæ (rarius septis 3 aut 7), longit. 0,015—20, crassit. 0,003—4 millim.

Ad cortices (præcipue betulæ et abietis), usque in Lapponiam; raro ad ligna abietina.

Facile transit hæc typica in var. *subsiderellam* Nyl., apotheciis radiatim ramosis; est var. *siderella* Nyl. *L. P.* 78, *Prodr.* p. 159, excl. syn. Ach. et Pers. (respicientibus sat similem varietatem *O. herpeticæ)*. Typica saxicola (apotheciis simplicibus, thallo tenuissimo cinerascente vel fere nullo) est *O. lithyrga* var. *steriza* Ach. *Syn.* p. 72; ad saxa gneissacea in Alandia (Edwin Nylander). *O. lithyrga* Ach. est *vulgatæ* varietas saxicola (calcicola), thallo tenui albo vel albido continuo subfarinaceo subdeterminato.

5. **O. herpetica** Ach. *Syn.* p. 72, Fr. *L. E.* p. 368, Nyl. *Prodr.* p. 160; *Opegrapha rubella* Pers.

Thallus hypophlœodes vel tenuissimus epiphlœodes fuscescens vel cinerascens vel sordide pallescens, determinatus aut interdum subeffusus; apothecia innata oblongo-elliptica vel oblongo-linearia simplicia, sat parva, epithecio rimiformi (parum impresso); sporæ fusiformes 3-septatæ, longit. 0,016—23, crassit. circa 0,0045 millim.

Ad cortices (præsertim fraxini, etiam quercus, sorbi, etc.) in Suecia magis meridionali; et adhuc ad betulam prope Holmiam raro.

Typica Achariana thallum habet tenuem epiphlœodem fuscescentem (eadem ad fraxinum Sueciæ) vel cinereo-fuscescentem: huc pertinet var. *fuscata* Schær. *Enum.* p. 156, Nyl. *L. P.* 79 (thallo obscuriore), at excludenda *O. fuliginosa* Pers. (quæ thallum habet tenuissimum subleprosum cinereonigro-fumosum subindeterminatum, et forte sistat statum accidentalem). Var. *disparata* Ach. *Syn.* p. 73 sistit solitam varietatem hypophlœodem, macula thallina fuscescente ("rubella" Pers.) vel pallide subolivacea vel sordide pallescente ("O. ænea" Pers. et "O. rubella var. ænea" Ach. l. c.). "Graphis Forsandri" Fr. L. S. exs. 34 est *O. herpetica* var. *disparata* atypica apotheciis (innatis) longioribus. Var.

subocellata (Ach.) "margine thallino spurio albicante subocellatis" e Scandinavia mihi haud visa. — Var. *rufescens* (*O. rufescens* Pers. [1794], *O. siderella* Ach. cum var.) est *herpetica* apotheciis flexuosis, epithecio sæpe planiusculo, et interdum divisis vel trifurcis (inde var. *divisa* Leight. *Br. Graph.* p. 21, Nyl. *Prodr.* p. 161); etiam in Suecia magis meridionali obvia. — *Opegrapha viridis* Pers. (*O. rubella* var. *viridescens* Ach. *L. U.* p. 250, *O. rubella* Moug., Nyl. *Prodr.* p. 159) est species externa facie sat similis *herpeticæ*, ad corticem fagi, abietis et Taxi, in Anglia, Gallia et Germania obvia, forte quoque in Suecia meridionali detegenda. Thallum habet cinereo-virescentem vel sordide pallidum tenuem vel obsoletum, apothecia fere ut in *herpetica*, sporas vero 11—13-septatas (long. 0,035—55, crass. 0,007—9 millim.). Specimen ipsius Persoon examinavi (in hb. Ach.), et nomen ejus restituendum est, licet haud sit optimum.

III. — PLATYGRAPHA.

Thallus tenuis vel obsoletus. Apothecia nigra plana simplicia immarginata, sed margine thallino (vel tali spurio) nonnihil cincta; sporæ 8^{næ} incolores fusiformes septatæ. Spermatia breviuscule cylindrica recta vel levissime curvula.

1. **Pl. periclea** (Ach.) Nyl. *Prodr.* p. 162; *Parmelia periclea* Ach. *Meth.* p. 156; *Lecanora Flærkei* Flot. in Rchnb. *L. exs.* 62 (quercicola); *Lecidea dolosa* Fr. *L. E.* p. 337 (non Whlnb.); *Biatora abietina* Næg.

Thallus parcus albus vel albidus subleprosus indeterminatus; apothecia depressa opaca rotundata vel oblonga, interdum nonnihil difformia, intus concoloria; sporæ (sæpe curvatæ) 3-septatæ, longit. 0,030—43, crassit. 0,003—4 millim.

Ad cortices abietis et quercus passim. Occurrit ad abietes in Fennia adhuc usque saltem media; sed e Lapponia haud est nota.

Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein vinose rubens. Est hoc genus ad *Opegrapham*, ut fere Lecanora ad Lecideam; sed species nostra inter maxime recedentes totius generis (cujus cognitæ sunt saltem 14 species exoticæ) et, si sola alicui cognita esset, facile inter Lecideas relegaretur; hoc revera accidit in schola sporologica, cui nostra *Platygrapha periclea* inter sic dicta "Schismatommata" locum obtinuit. Nomen genericum originis confusæ evitare debui. *Pyrenothea stictica* Fr. (*L. S. exs.* 22) hujus speciei sistit spermogonia.

IV. — **ARTHONIA** Ach.*)

Thallus tenuis vel hypophlœodes et evanescens, aut demum nullus proprius. Apothecia plana (vel raro convexiuscula) immarginata; thalamium paraphysibus discretis nullis; thecæ pyriformes (vulgo facile e thalamio separabiles), apice pariete valde incrassato; sporæ (4—)8^{næ} incolores (raro infuscatæ) septatæ ovoideæ (altero apice crassiores). Spermatia cylindrica recta aut curvata. — Species corticolæ (exceptione lignicolæ, nec nisi unica omnino saxicola in Scandinavia cognita).

A. — *Apothecia varie colorata (non vero nigra).* — Species *1—3.*

1. **A. cinnabarina** Wallr., Nyl. *Arth.* p. 83, *Prodr.* p. 163; *Coniocarpon cinnabarinum* DC., Fr. *L. E.* p. 379; *Spiloma elegans* Ach. *L. U.* p. 135, t. 1, f. 1; *Sp. tumidulum* et var. *rubrum* (Pers.) Ach.

Thallus albidus hypophlœodes vel epiphlœodes (subleprosus) determinatus vel subdeterminatus; apothecia fusca vel rubricose fusco-rufescentia tenuiter albo-pruinosa, oblonga vel nonnihil lobato-divisa, lateribus sæpe cinnabarine (erythrinose) fatiscentibus, plana vel convexiuscula; sporæ oblongo-ovoideæ 5-septatæ, longit. 0,020—23, crassit. 0,006—8 millim.

Ad cortices (coryli vel carpini, ut videtur) "in extima Scania" (Fr. l. c.).

Variat hæc species insignis apotheciis magis vel etiam thallo erythrinose perfuso (var. *kermesina* Schær.), vel typica et apotheciis totis albo-suffusis (var. *pruinata* Del.), aut demum apotheciis prominulis fuscis et thallo absque fatiscentia ulla erythrinosa (var. *anerythrea* Nyl.); omnes hæ varietates in Gallia obviæ, sed nullam e Scandinavia vidi.

---

*) Jam 72 species hujus generis naturalis cognitas habeo, longe maximo numero exoticas. In *Prodr.* p. 163 animadverti, cel. Fries genus Arthoniam supprimentem species ejusdem generibus aliis longissime inter se distantibus adjunxisse (species septem totidem generibus!), et post eum cel. Montagne aliique eodem tramite vago adhuc magis aberrarunt. Habent sua fata! de generibus ita divulsis et dilaceratis dici potest.

2. **A. lurida** Ach. *L. U.* p. 143, *Syn.* p. 7, Nyl. *Arth.* p. 91, *Prodr.* p. 165; *Coniangium vulgare* Fr. *L. E.* p. 378; *Spiloma paradoxum* Ach., Smmrf. *Lapp.* p. 141.

Thallus effusus cinereo-virescens tenuissimus vel pallido-albidus aut vix ullus; apothecia fusca vel fusconigra adpressa plana vel convexiuscula (latit. 0,2—0,4 millim.), rotundata, intus fere concoloria; sporæ ovoideæ 1-septatæ, longit. 0,011—15, crassit. 0,004—5 millim., lamina tenuis apothecii electrino-lutea. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad quercus et abietes (rarius ad ligna) in Scandinavia præsertim magis meridionali. In Finlandia adhuc saltem in Satakunta (A. J. Malmgren). Denique ad corticem betulæ et ligna putrescentia in Nordlandia (Sommerfelt).

Variat, saltem in Alandia ad abietes (Edwin Nylander), sporis nigrescentibus. Variat dein lignicola apotheciis paullo majoribus (latit. circa 0,5 millim.) magis difformibus et inæqualibus (thalloque fere nullo vel solum macula pallida indicato), ex. gr. in Mjölö ad Helsingfors.

3. **A. pruinosa** Ach. *L. U.* p. 147, t. 1, f. 3, *Syn.* p. 7, Nyl. *Arth.* p. 90; *Parmelia impolita* Ach., Fr. *L. E.* p. 183 pr. p.

Thallus albidus tenuis chrysogonimicus rimosus; apothecia pallida vel fuscescentia conferta innata plana lobato-difformia (vel oblonga vel subrotundata) albocæsio-suffusa (vel dense pruinosa), intus concoloria; sporæ ovoideæ 3-septatæ, longit. 0,013—17, crassit. 0,005—7 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad quercus annosas in Suecia magis meridionali.

B. — *Apothecia nigra.* — Species *4—15.*

a. — *Sporæ normaliter 3—5-septatæ.* — Species *4—8.*

4. **A. marmorata** (Ach.) Nyl. *Herb. Mus. Fenn.* p. 92; *Spiloma marmoratum* Ach. hb.; *Sp. melaleucum* Fr. *L. S. exs.* 23; *Arthonia cinereo-pruinosa* var. *lobata* (Nyl. *Arth.* p. 94) *Prodr.* p. 165.

Thallus albidus tenuissimus effusus subleprosus; apothecia nigra opaca nuda adpressa plana oblongo-difformia vel sub-

lobata (latit. circa 0,5 millim.); sporæ fusco-nigrescentes ovoideæ 3-septatæ, longit. 0,012—15, crassit. 0,0045—0,0055 millim.

Ad corticem abietis in Alandia (Edwin Nylander) et in Mjölö haud procul ab Helsingfors. Etiam in Suecia magis meridionali (ibi quoque ad betulam).

5. **A. astroidea** Ach. *Syn.* p. 5, Leight. *Br. Graph.* p. 53, t. 8, f. 32, Nyl. *Arth.* p. 95; *Opegrapha atra* * *macularis* Fr. *L. E.* p. 367.

Thallus hypophlœodes (macula albida vel pallida indicatus) plus minus determinatus (haud raro limite obscuro cinctus); apothecia adpressa difformia (latit. circa 0,5 millim.) lobato-divisa vel substellata, intus cinerascentia (sæpe erumpentia); sporæ ovoideæ 3-septatæ, longit. 0,015—18, crassit. 0,005—7 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein obscure vinose tincta.

Ad cortices arborum lævigatos (quercus junioris, Sorbi aucupariæ, betulæ, alni) sat frequenter (præsertim in regionibus mitioribus, in frigidis autem rarescens vel evanescens). In Lapponia rarius (Wahlenberg).

Sat est variabilis. Var. *hyparcha* Ach. *L. U.* p. 146 non differt a typica *astroidea*. *Opegrapha radiata* Pers. respicit formam apotheciis distinctius substellato-divisis. *O. reniformis* et *obscura* Pers. respiciunt f. *obscuram* (Ach.), macula thallina sordida vel fuscescente. Varietates "stellulata" et "tynnocarpa" Ach. *L. U.* p. 145 solum formam minorem typi exprimunt parum notabilem (at separanda ut varietas propria, *epistoides* Nyl., gallica, in *Arth.* p. 96 respecta, ad æsculos juniores lecta, stenocarpa, facie fere *Arthoniæ dispersæ* Ach.). Var. *anastomosans* Ach. *L. U.* p. 146 est propria species (*A. anastomosans*) distincta (ex Helvetia, Gallia et Hibernia eam vidi), affinis *Arthoniæ spectabili*, sed facie fere "tynnocarpæ" Ach. (nec est *A. dispersa* Duf. nisi varietas *anastomosantis*, analoga ut *Swartziana* est *astroideæ*), e Scandinavia haud visa. — Var. *Swartziana* (Ach.) Nyl. l. c. (*A. gibberulosa* Ach. *L. U.* p. 142) differt solum a typo *astroideæ* apotheciis magis rotundatis sæpeque convexiusculis (sporis interdum nonnihil majoribus).

6. **A. mediella** Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. 1), p. 238.

Thallus indeterminatus vel effusus, vix ullus; apothecia

superficialia rotundato-lecideoidea immarginata (latit. 0,2—0,4 millim.) immarginata, intus subconcoloria vel obscure cinerea; sporæ oblongo-ovoideæ vel fusiformi-ovoideæ (altero apice plerumque paullo crassiores), (1—)3-septatæ, longit. 0,012—17, crassit. 0,004—6 millim., hypothecium fuscescens. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad corticem alni, pini et abietis in Finlandia passim (facile prætervisa et pro *Lecidea nigritula* vel *myriocarpa* ecrustaceis sumta). Quoque ad ligna fabrefacta in Nylandia (G. Selin), in Satakunta (A. J. Malmgren), et verisimiliter haud rara, nec in Suecia deficiens.

7. **A. punctiformis** Ach. *L. U.* p. 141, *Syn.* p. 4 (scilicet α et γ glaucescens), Smmrf. *Lapp.* p. 141, Nyl. *Arth.* p. 99; *Arthonia melantera* Ach. *L. U.* p. 143; *Opegr. epipasta* var. *Caraganæ* Ach. *L. U.* p. 258 (var. *microscopica Syn.* p. 75); *Nævia orbicularis* Fr. *L. S. exs.* 21.

Thallus nullus vel vix ullus visibilis; apothecia plana vel plano-convexiuscula (latit. circa 0,2—0,3 millim.), rarius nonnihil difformia; sporæ 3-septatæ oblongo-ovoideæ, long. 0,014—21, crassit. 0,006—7 millim., hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens (dein vinose obscurata).

Ad cortices læves (fraxini, alni, tiliæ, populi, *Vaccinii uliginosi)* in Scandinavia passim; versus septentrionem rarescens, attamen adhuc in Nordlandia (Sommerfelt).

8. **A. varians**. *Lichen varians* Dav. in *Trans. Linn. Soc.* 2, t. 28, f. 3 (ex Ach.); *Lecanora glaucoma* var. *varians* Ach. *L. U.* p. 363; *Lecan. lainea* Ach. l. c. p. 347 (quoad specim. helvet.); *Arthonia glaucomaria* et *parasemoides* Nyl. *Arth.* p. 98.

Thallus nullus proprius; apothecia parasitica rotundata (vel nonnihil difformia) plana vel demum convexiuscula vel convexa (latit. circa 1 millim.), immarginata; sporæ ovoideæ (2—)3-septatæ, longit. 0,012—18, crassit. 0,005—7 millim.

In Suecia et Alandia supra *Lecanoram glaucomam* (ejus apothecia præsertim habitans) et in Norvegia supra apothecia *Lecideæ parasemæ*.

Præsertim quum hymenicola *Lecideæ parasemæ* obvenit facillime est

prætervisa. Olim distinxi *glaucomariam* (ex Holmia solum vidi in Scandinavia), sporis paullo majoribus et gelatina hymenea iodo solum fulvescente, et *parasemoidem* (frequentiorem) sporis minoribus gelatinaque hymenea iodo vinose rubente; sed vix specie differant.

b. — *Sporæ normaliter 1-septatæ.* — Species *9—15.*

9. **A. dispersa** (Schrad., non Duf.). *Opegrapha dispersa* Schrad. *Samml. Krypt. Gew.* 167; *O. epipasta* α Ach. *L. U.* p. 258 (non varr.), Moug. *St. Vog.* 329; *Arthonia minutula* Nyl. *Arth.* p. 102, *Prodr.* p. 169.

Thallus vix ullus, macula cinerascenti-albida indicatus; apothecia tenera gracilenta flexuose irregularia (minus evoluta punctiformia vel oblonga), raro semel vel bis divisa; sporæ ovoideæ, longit. 0,010—12, crassit. 0,004—5 millim. Gelatina hymenea iodo cœrulescens, dein violacee tincta.

Ad corticem aceris in Suecia. Forte etiam ad fraxinum ibi occurrat, sicut in Europa mitiore.

Ante (p. 259) animadverti *A. dispersam* Duf. sistere varietatem *A. anastomosantis* (Ach.); nomen Dufoureanum Schraderiano recentius.

* A. EXCIPIENDA. *A. astroidea* var. *excipienda* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 242. — Similis *dispersæ,* sed sporis majoribus (long. 0,011—17, crass. 0,006—0,0065 millim.) et gelatina hymenea iodo vinose rubente. — In Alandia (ad corticem Coryli?) eam legit Edwin Nylander.

10. **A. melaleucella** Nyl. *Arth.* p. 191; *Pyrenothea stictica* var. *lecidina* Fr. *L. E.* p. 453 (*L. S. exs.* 272, *Trachylia melaleuca* Fr. *L. S. exs.* 23); *Lecidea dryina* Rchnb. *L. exs.* 71.

Thallus tenuissimus vel obsoletus albus; apothecia rotunda (lecideiformia) vel oblonga adpressa (latit. circa 0,4 millim. vel minora), intus obscura; sporæ fuscæ vel fuscescentes 1—2-septatæ, longit. 0,011—14, crassit. 0,004—5 millim., hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo violacee rubescens.

In Suecia ad cortices.

11. **A. pineti** Krb. *S. L. G.* p. 292.

Thallus subleprosus tenuissimus pallido-virescens vel hypophlœodes macula sordide pallido-virescente indicatus; apothe-

cia nigra minuta oblongo-rotundata vel sublobulato-divisa; sporæ ovoideæ vel oblongo-ovoideæ (utroque apice obtuso), demum fuscæ, longit. 0,016—20, crassit. 0,007—8 millim., thalamium lamina tenui visum subelectrino-lutescens. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad corticem alni in Tavastia (P. A. Karsten).

Fere cum *A. lurida* jungenda, sed apothecia sat pure nigra et typi (ut videtur) alius.

12. **A. proximella** Nyl. (sub Lecidea in *Hrb. Mus. Fenn.* p. 90).

Thallus effusus hypophlœodes vel vix ullus visibilis; apothecia nigra minuta (latit. 0,2—0,25 millim.) lecideoidea (rotundata) opaca plana subrugulosa, obtuse marginata, intus nigrescentia; sporæ 8^{nae} ovoideæ 1-septatæ, demum fuscæ, longit. 0,017—19, crassit. 0,007—8 millim, hypothecium incolor (vel thalamium hypotheciumque sæpius sordida). Gelatina hymenea iodo dilute rubescens.

Ad juniperos in Lapponia meridionali, Tengeliö, lecta (Edwin Nylander).

Ab *A. patellulata* mox differt sporis majoribus fuscescentibus, etc.

13. **A. patellulata** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 95, *Arth.* p. 102.

Thallus obsoletus vel macula sat indeterminata albida indicatus; apothecia adpressa rotundata immarginata (latit. 0,4—0,6 millim.), intus nigricantia; sporæ ovoideæ, longit. 0,009—0,013, crassit. 0,003—5 millim., hypothecium saltem inferne nonnihil obscuratum. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ad corticem populi in Suecia et Finlandia sat rara. Etiam ad alnum in Lapponia (Edwin Nylander).

14. **A. ruderalis** Nyl. *Arth.* p. 100.

Thallus fusco-olivaceus tenuissimus dispersus vel subdispersus; apothecia rotundata vel rotundato-difformia (latit. 0,3—0,5 millim.), intus nigricantia; sporæ incolores oblongo-ovoideæ, longit. 0,015—17, crassit. circa 0,007 millim., hypothecium

lamina tenui visum dilute fuscescens, paraphysibus obsolete indicatis. Gelatina hymenea iodo (præcedente cœrulescentia) vinose rubens.

Ad saxa calcarea montis Omberg in Suecia.

15. **A. minutissima** Nyl. (sub *Verrucaria byssacea* var. *minutissima* Ach. *Syn.* p. 97 et sub *Limboria stictica* Ach. in *V. Ac. H.* 1817, p. 22, subsumta, ex hb. Ach.).

Thallus obsoletus macula indeterminata cinerascente indicatus (parum distincta); apothecia minutissima (circa latit. 0,1 millim.) rotundato-punctiformia vel oblongo-rotundata planiuscula; sporæ incolores ovoideæ, longit. circa 0,011, crassit. circa 0,006 millim. Gelatina hymenea iodo intense cœrulescens.

Ad corticem (pini?) in Suecia.

Facillime prætervidenda vel oculos nudos fugiens ob summam minutiem (minimus est Lichen scandinavicus), et pro spermogoniis sumatur, sin microscopice examinetur. Apothecia haud conferta. Hypothecium incolor.

V. — **MELASPILEA** Nyl.

Thallus tenuissimus vel obsoletus. Apothecia arthonioidea nigra, superficialia, paraphysibus discretis, sporis 8nis, plerumque incoloribus, 1-septatis; gelatina hymenea iodo solum lutescens. Spermatia recta.

1. **M. deformis** Nyl. *Prodr.* p. 170; *Opegrapha varia* var. *deformis* Schær.; *O. notha* Fr. *L. S. exs.* 190.

Thallus albidus tenuissimus vel obsoletus; apothecia parva vel mediocria rotundata vel rotundato-deformia, sæpe maculatim connata ruguloso-inæqualia, obtuse vel vix marginata, sat parva; sporæ incolores ovoideæ, longit. 0,011—17, crassit. 0,005—7 millim., hypothecium infra nigricans.

Ad cortices in Suecia magis meridionali rarius (ut videtur).

Huc pertinet *Opegrapha verrucarioides* varr. *megalyna* et *marmorata* Ach. *L. U.* p. 244, 245, formam modo respicientes minorem, æque ac *O. gregaria* Ach. *L. U.* p. 252 (secundum specim. archetypa helvetica pro parte, pro altera parte scilicet est *Dichæna rugosa*).

Trib. XIX. — PYRENOCARPEI.

Thallus varius: peltatus, squamulosus, areolatus, continuus, sæpe depauperatus, hypophlœodes aut nullus (vel macula solum substrati indicatus). Apothecia pyrenodea, perithecio hymenium clausum vel globulare continente, epithecio (et statu humido et sicco) constricto punctiformi (nec aperto), aut immersa aut emersa, perithecio jam integro, jam dimidiato (h. e. parte sola superiore crassiore tincta, infuscata vel denigrata).

I. — **NORMANDINA** Nyl.

Thallus squamosus vel squamulosus, squamulis tenuibus constans rotundatis. Apothecia nigra immersa (in specie scandinavica haud visa).

1. **N. lætevirens** (Turn., Borr. *E. Bot.* t. 2658); *Endocarpon viride* Ach., Smmrf.; *Normandina viridis* Nyl. *Pyrenoc.* p. 11.

Thallus virescens, squamis subrotundatis (latit. circa 2 millim.) adnatis formatus, subtus albidis nudis.

Supra terram humosam in Scandinavia raro obvia. Adhuc in Lapponia.

II. — **ENDOCARPON** Hedw., Nyl.

Thallus peltatus, vel squamiformis aut areolatus. Apothecia perithecio pallido (raro infuscato), paraphysibus nullis, sporis 8nis simplicibus incoloribus oblongo-ellipsoideis. Spermogonia arthrosterigmatibus munita.

A. — *Stirps* Endocarpi miniati. *Species thallo peltato (simplici umbilicato-adfixo) vel polyphyllo majore.* — Species *1—2.*

1. **E. miniatum** Ach., Fr. *L. E.* p. 408, Nyl. *Pyrenoc.* p. 11; *Endocarpon glaucum* Ach.

Thallus cinereus vel cinereo-albidus vel cinereo-chalybæus, folio simplici firmo constitutus, infra pallidus vel pallido-rufescens vel fulvo-pallescens.

Passim ad rupes in tota Scandinavia.

Sporæ long. 0,015—18, crass. 0,006—0,010 millim. — Var. 1) *complicatum* (Ach.) differt thallo (cinereo vel cinereo-fuscescente) polyphyllo complicato (transiens aliquando in *E. fluviatile)*; occurrit passim. — Var. 2) *euplocum* (Ach.) est quasi *complicatum* diminutum, foliis thallinis subpeltatis lobato-divisis flexuosis, subtus pallidis vel fusco-pallescentibus; "ad saxa in Suecia". Adest in hb. Ach. simul forma thallo squamuloso adpresso, parum evoluto, e Scotia. — Var. 3) *leptophyllum* (Ach.), simile est typo, folio thallino diminuto simplici, subtus obscuriore vel fusco-nigricante; ad lapides in rivulis rarum (forteque satius varietas *Endocarpi fluviatilis)*. In Walamo id legi nonnihil polyphyllum.

2. **E. fluviatile** DC., Fr. *L. E.* p. 409, Nyl. *Pyrenoc.* p. 12.

Differt ab *E. miniato* var. *complicato* thallo lurido-fuscescente magis polyphyllo et simul latius expanso, subtus nigricante.

Ad saxa et lapides in rivulis et fluviis Scandinaviæ rarius. Forsan haud bene specie distincta a præcedente.

B. — *Species minores, thallo plerumque toto adnato (saltem non umbilicato-adfixo)*. — Species *3—5*.

3. **E. rufescens** Ach., Nyl. *Pyrenoc.* p. 14; *Endocarpon lachneum* Ach.

Thallus rufescens squamosus, squamis repando-lobatulis, interdum subimbricatis; sporæ longit. 0,013—18, crassit. circa 0,008 millim.

Ad basim rupium et supra muscos in Scandinavia rarius vel rarum.

4. **E. hepaticum** Ach., Nyl. *Pyrenoc.* p. 15 (excl. synon. E. lachneum Ach.); *Endocarpon squamulosum* Ach.

Thallus squamis constans rufo-fuscescentibus vel sordide fuscis adnatis (simplicioribus quam in præcedente); sporæ longit. 0,011—14, crassit. 0,006—7 millim.

Supra terram vel inter muscos rarius, præsertim in montibus editioribus et in regione arctica.

Locis umbrosis crescens thallum habet pallescentem, vel albidum (E. albatum Ach. hb.).

5. **E. compactum** (Mass.) Nyl. *Pyrenoc.* p. 16.

Thallus badio-fuscus vel fusco-nigricans opacus areolatus, areolis plus minus contiguis; apothecia tota pallida; sporæ longit. circa 0,011, crassit. circa 0,0065 millim.

Ad saxa calcarea in Gottlandia (Lönnroth).

Hypothallus niger. Spermogonia arthrosterigmatibus prædita æque ac in ceteris hujus generis speciebus, spermatia breviter cylindrica utroque apice incrassatula (long. 0,004, crass. vix 0,001 millim.).

III. — **VERRUCARIA** Pers., Nyl.

Thallus squamulosus vel areolatus, vel continuus, vel pulvereus, aut hypophlœodes, obsoletus aut denique nullus proprius. Apothecia perithecio denigrato (saltem superne vel ostiolo h. e. parte emersa apotheciorum immersorum epitheciumque marginantem), raro tota pallida, adhuc rarius perithecio solum superne rufescente; sporæ variæ. Spermogonia sterigmatibus simplicibus.

I. — Species potissime saxicolæ vel terrestres (vel muscicolæ). — *Species* 1—21.

A. — Paraphyses nullæ, gelatina hymenea iodo vulgo vinose rubens. — *Species* 1—19.

a. — Thallus squamulosus vel squamuloso-crustaceus. — *Species* 1—3.

†. — Sporæ 8næ incolores simplices. — *Species* 1.

1. V. tephroides.

††. — Sporæ 2næ fuscæ murali-divisæ. — *Species* 2—3.

2. V. pallida. — 3. V. Garovaglii.

b. — Thallus areolatus aut areolato-diffractus vel pulvereus aut evanescens. — *Species* 4—19.

†. — Sporæ 2næ aut 8næ fuscæ murali-divisæ. — *Species* 4—5.

4. V. umbrina. — 5. V. subumbrina.

††. — Stirps *Verrucariæ rupestris.* Sporæ 8næ incolores simplices (raro 1—3-septatæ). — *Species* 6—19.

6. V. grossa. — 7. V. virens. — 8. V. nigrescens. — 9. V. plumbea. — 10. V. margacea. — 11. V. methoria. — 12. V. pyrenophora. — 13. V. maura. — 14. V. aractina. — 15. V. striatula. — 16. V. ceuthocarpa. — 17. V. Dufourei. — 18. V. rupestris. — 19. V. intercedens.

B. — Paraphyses distinctæ graciles, sporæ 8næ incolores; gelatina hymenea iodo cœrulescens. — *Species* 20—21.

20. V. epigæa Ach. — 21. V. sphinctrinoides.

II. — Species potissime corticolæ (paucissimæ ad saxa obvenientes), exceptione muscicolæ. — *Species* 22—32.

A. — Sporæ incolores, paraphyses graciles confertæ, gelatina hymenea iodo non colorata. — *Species* 22—24.

a. — Sporæ 8næ fusiformes. — *Species* 22—23.

22. V. chlorotica. — 23. V. lectissima.

b. — Sporæ 2næ aut 4næ oblongo-fusiformes murali-divisæ. — *Species* 24.

24. V. muscicola Ach.

B. — Sporæ 8næ fuscæ vel nigrescentes 4-loculares, paraphyses gracillimæ. — *Species* 25—26.

25. V. nitida. — 26. V. farrea.

C. — Sporæ 8næ incolores (exceptione obscuratæ) oblongæ (exceptione angustato-fusiformes), gelatina hymenea iodo haud tincta. — *Species* 27—32.

27. V. gemmata. — 28. V. epidermidis. — 29. V. rhyponta. — 30. V. cinerella. — 31. V. scopularia. — 32. V. albissima.

I. — *Species potissime saxicolæ vel terrestres (muscicolæ).* — Species *1—21.*

A. — *Paraphyses nullæ, gelatina hymenea iodo vulgo vinose rubens.* — Species *1—19.*

a. — *Thallus squamulosus vel squamuloso-crustaceus.* — Species *1—3.*

†. — *Sporæ 8næ incolores simplices.* — Species *1.*

1. **V. tephroides** (Ach.) Nyl. *Pyrenoc.* p. 17; *Endocarpon cinereum* Pers.; *Sagedia cinerea* Fr. *L. E.* p. 413; *Verrucaria polythecia* Ach. *L. U.* p. 288.

Thallus cinereus vel albido-cinereus aut cinereo-fuscescens, squamulis adnatis constans (interdum nonnihil rimulosis) ambitu sæpe (saltem obsolete) crenato-effiguratis, vel concrescentibus inæqualis; apothecia sæpe sat conferta (extus ostiolis nigris parum vel subhemisphærice prominulis indicata, perithe-

cio jam parte immersa incolore jam tenuiter denigrato; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,016—23, crassit. 0,007—0,010 millim.

* **V. cartilaginea** (Nyl. *Coll. Gall. mer. Pyren.* p. 8, Nyl. *Pyrenoc.* p. 18; *Endocarpon dædaleum* Kphb.), differt squamulis vel squamis thalli firmioribus cinereo-pallescentibus vel fuscescentibus subimbricatis sublobatis; apothecia perithecio sæpius incolore. — Supra terram et muscos in Scandinavia rara et parce obvia.

Vix specie differt a *tephroide* Ach. (sub quo nomine etiam Acharius subsumit *cartilagineam*, ex speciminibus archetypis e Lapponia et Œlandia in hb. Ach.); nomen "Endocarpon cinereum" Pers. hic (licet vetustius quam Acharianum) non recipiendum erat, quoniam adest altera *Verrucaria cinerea* Pers. Thallus *cartilagineæ* foliola depressa *Cladoniæ pocilli* fere simulat. Forma *tephroidis* squamis thallinis subimbricatis adest (saltem in maritimis Finlandiæ meridionalis) transiens in *cartilagineam* (tamen squamis illis margine crenatis).

††. — *Apothecia perithecio denigrato. Thalamium gonidiis hymenialibus. Sporæ 2næ ellipsoideæ fuscæ vel fuscescentes murali-divisæ.* — Species *2—3.*

2. **V. pallida** (Ach.) Nyl. *Pyrenoc.* p. 20; *Endocarpon pusillum* var. *pallidum* Fr. *L. E.* p. 411.

Thallus pallide rufescens vel fuscescens sat tenuiter squamosus vel squamulosus, squamis imbricatis flexuosis lobatis (interdum subcrenatis); sporæ longit. 0,034—50, crassit. 0,014—19 millim.

Supra terram in Suecia saltem magis meridionali. Obscurior et vegetior ad rupes insulæ Walamo, ubi sæpe late effusa observatur.

3. **V. Garovaglii** Mnt., Nyl. *Pyrenoc.* p. 20; *Dermatocarpon Schæreri* Krb.

Differt a præcedente thalli squamulis minoribus adnatis, invicem facile crustaceo-concrescentibus.

Supra terram in Suecia, eam saltem Upsaliæ legi forma peculiari (*leptolepidea* mihi) squamulis thalli minutis pallido-albidis distinctis. Supra mœnia urbis Wiborg adest forma concrescens thallo pallido, sed sterilis, quare haud tute huc referatur.

b. — *Thallus areolatus vel areolato-diffractus vel pulvereus, aut evanescens.* — Species *4—19.*

†. — *Sporæ 2næ aut 8næ fuscescentes vel fuscæ murali-divisæ.* — Species *4—5.*

4. **V. umbrina** Whlnb. pr. p., Fr. *L. E.* p. 441, *L. S. exs.* 417, Nyl. *Pyrenoc.* p. 21.

Thallus fuscescens vel fusconiger sat tenuis opacus læviusculus vel granuloso-inæqualis rimulosus vel fere areolato-rimulosus, late sæpissime extensus; apothecia innata (in tuberculis mastoideis vel parum prominulis thalli), perithecio pallido-incolore; sporæ 2næ longit. 0,045—55, crassit. 0,018—22 millim.

Ad saxa granitosa locis humidiusculis, vel ad lacus aquasque fluentes libenter nascens, in plurimis Scandinaviæ partibus obvia.

Verrucaria umbrina α Ach. *L. U.* p. 291 nihil definitum respicit (vel quoad specimina suecica ab eo citata thallum obscurum sterilem spermogoniferum, quoad helvetica Verrucariam viridulam Ach., et quoad "V. fuscam" Pers. statum silaceum Verrucariæ nigrescentis), res tamen extus subsimiles *umbrinæ* nostræ, quam absque dubio Acharius huc retulisset si cognitam habuerit. In maritimis Scandinaviæ hæc sæpius thallo nigricante vel nigro, externa facie fere conveniente cum *V. maura*, sed magis opaco. Post editam *L. U.* Acharius cum sua *umbrina* conjunxit *nigrescentem* (ad tegulas lateritias in Suecia, ex hb. Ach., æque ac Wahlenberg suæ "umbrinæ" eandem tegulicolam consociavit).

* **V. clopima** Whlnb., Ach.; *Sagedia clopima* Fr. *L. E.* p. 415 (*L. S. exs.* 417); *V. umbrina* var. *clopima* Nyl. l. c. — Non sit nisi varietas *umbrinæ*, thallo olivaceo-fuscescente vel castaneo-fuscescente vel fusco-nigro, nonnihil crassiore et distinctius areolato, areolis fertilibus turgidulis; sporæ longit. 0,032—48, crassit. 0,012—23 millim., gonidia hymenialia rotundata vel oblonga. — Ad saxa, locis similibus, rarius.

5. **V. subumbrina** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 296.

Thallus fusco-cinereus vel cinereo-fuscescens tenuis rimosus, satis determinatus; apothecia mediocria mastoideo-prominula a thallo (vel indumento thallino tenuissimo) plerumque obtecta, ostiolo denudato, perithecio integre nigro; sporæ 8næ fusco-nigrescentes ellipsoideæ, long. 0,046—55, crass. 0,023—24 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa in Dovre (W. P. Schimper), socia crescens *Lecideæ coarctatæ.*

Facie fere externa *Verrucariæ umbrinæ,* thecis autem 8-sporis et defectu gonidiorum hymeneorum distincta. In *V. scotinospora* Nyl. in hb. Carr. et Jon. thallus tenuissimus albidus vel vix ullus, apothecia majuscula vel magna (latit. 0,5—07 millim.), perithecio dimidiatim nigro, sporæ minores; ad saxa in Scotia (Jones), e Scandinavia mihi haud visa. In Scotia quoque provenit alia species hujus loci insignis, forte in Scandinaviæ montibus invenienda, *V. verrucoso-areolata* (Schær.) Nyl. *Pyrenoc.* p. 34, thallo albo areolato vel verrucoso-areolato et sporis magnis 8nis (pluries majoribus quam in *umbrina)* valde eximia; apothecia sæpe eandem latitudinem habent ac in sequente.

††. — *Stirps* Verrucariæ rupestris. *Sporæ 8næ incolores, simplices, raro 1—3-septatæ.* — Species *6—19.*

6. **V. grossa** Nyl. in *Herb. Mus. Fenn.* p. 111.

Thallus cinereus vel cinereo-fuscescens areolato-granulosus tenuis subdispersus, facile evanescens; apothecia fusconigra opaca prominula, magna in hoc genere (latit. 0,6—0,7 millim.), mastoidea, papillata, perithecio integro crasso, infra inter partem externam et subhymenialem pallescente, parte infera immersa; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,023—33, crassit. 0,014—16 millim.

Supra saxa calcarea (coloris carnei) prope Kola in Lapponia orientali (F. Nylander), ad Mare Glaciale.

7. **V. virens** Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 180, *Pyrenoc.* p. 24.

Thallus sordide olivacee cinereo-virescens aut obscure olivacee fuscescens verrucoso-areolatus, areolis verrucosis difformibus et quasi e granulis pluribus concretis, plerumque contiguis et parum crassis (altit. 0,5—1 millim.); apothecia immersa perithecio toto nigro (vel in juniore interdum incolore), epithecio vix prominulo; sporæ ovoideæ, longit. 0,012—22, crassit. 0,007—9 millim.

Ad lapides calcis primitivæ formationis prope Salam in Suecia media (ipse); atque in Kajana ad lapides granitosos ruinarum arcis (A. J. Malmgren).

8 **V. nigrescens** Pers., Fr. *L. E.* p. 438, Nyl. *Pyrenoc.* p. 23; *Verrucaria fuscoatra* Wallr., Krb.

Thallus niger vel nigricans tenuis opacus areolato-rimulosus; apothecia perithecio toto nigro immersa (in thallo supra eadem parum prominulo vel parum protuberante); sporæ ellipsoideæ, longit. 0,014—20, crassit. 0,007—0,011 millim.

Ad calcem recentiorem et tegulas lateritias in Scandinavia, præsertim magis meridionali, passim.

Hæc scandinavica, speciminibus saltem a me examinatis, præcipue differt a *nigrescente* Europæ mitioris sporis minoribus (in Gallia vulgo eas habet long. 0,026—38, crass. 0,015—18 millim.); convenit interdum cum *V. fusca* Pers. (ab Achario ducta ad "umbrinam" in *L. U.* p. 291), quæ forma est nigrescentis thallo macro fusco-olivaceo tenui granuloso-inæquali (sporæ in specimine Persooniano, e Gallia ad lapillos silaceos, verisimiliter muri vel terræ calcareæ, long. 0,018—21, crass. 0,009—0,011 millim.). Nostra *nigrescens* scandinavica confluit omnino cum V. æthiobola Ach.

* **V. viridula** Ach. *L. U.* p. 675, Nyl. *Pyrenoc.* p. 23; *Sagedia viridula* Fr. *L. E.* p. 414. — Similis *nigrescenti*, sed thallo olivaceo-virescente areolato-diffracto, apotheciis sæpe adhuc magis immersis; sporæ longit. 0,024—30, crassit. 0,011—14 millim. — Ad saxa calcarea saltem in Gottlandia et Ostrogothia Sueciæ.

Varietas solum, quantum video, *Verrucariæ nigrescentis.* Est V. umbrina Ach. *L. U.* p. 291 pr. p. (quoad specimina helvetica). In *viridula* speciminis Schraderii "ad saxa arenaria in Germania" hb. Ach. sporæ paullo majores (long. 0,025—32, crass. 0,015—17 millim.). — ** V. SUBFUSCELLA Nyl. (*V. fuscella* Schær., Nyl. *Pyrenoc.* p. 23; *Sagedia fuscella* Fr. *L. E.* p. 413) similis omnino *viridulæ*, sed epithallo cinerascente, sporis paullo minoribus; in Suecia, ex Fr. l. c., ut videtur (ubi β respiciat *viridulam*, revera nimis affinem). Nomen *fuscella* Ach. *L. U.* p. 289 (Lichen fuscellus Turn.) huc non pertinet, sed est (ex specimine Turnerii) Verrucaria glebulosa Nyl. *L. P.* 147, *Pyrenoc.* p. 23 (quod nomen ita mutandum evadit *V. fuscella*).

9. **V. plumbea** DC., Fr. *L. E.* p. 438, Nyl. *Pyrenoc.* p. 24; *V. cærulea* Schær. (non DC.).

Thallus tenuis plumbeo-cinerascens vel obscure plumbeus determinatus rimosus; apothecia perithecio integre nigro (ex-

tus parum prominulo); sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,015—19, crassit. 0,007—8 millim.

Ad saxa calcarea in Gottlandia.

Variat thallo olivaceo-fuscescente, var. *fusca* Schær., Nyl. l. c. p. 25. *V. plumbea* Ach. *L. U.* p. 285 (ex specimine Schleicherii archetypo in hb. Ach.) nonnihil differt a nostra, thallo (an effuso?) cæsio-plumbeo subcontinuo, solum levissime rimuloso; apothecia autem conveniunt (sporæ long. circa 0,016, crass. circa 0,008 millim.). Variat *plumbea* in Pyrenæis ecrustacea.

10. **V. margacea** Whlnb. *Lapp.* p. 465, Fr. *L. E.* p. 440 pr. p., Nyl. *Pyrenoc.* p. 25.

Thallus fusco-olivaceus, sæpe nitidiusculus, continuus vel rimosus, plus minus expansus; apothecia perithecio nigro infra subintegro (vel ibi tenuiore), in protuberantiis thalli convexis recepta (solum ostiolo nudo); sporæ longit. 0,024—35, crassit. 0,010—16 millim.

Ad saxa, præsertim granitosa, locis potissime humidis, rarius. Var. *æthiobola* passim.

V. papillosa Ach. *L. U.* p. 286 (ex specimine archetypo helvetico) videtur varietas *margaceæ* thallo albido rimoso ("diffracto-subrimoso"), apotheciis in potuberantiis thallinis mastoideis ostiolo sæpius papilloso-prominulo, perithecio definite integro, sporis long. 0,030—35, crass. 0,016—21 millim., ad saxa calcarea (at e Scandinavia haud visa). — Var. *æthiobola* Whlnb., Nyl., est *margacea* minor, thallo sæpius tenuiore et olivaceo-virescente, sporis minoribus (long. 0,014—24, crass. 0,007—0,010 millim.); in Scandinavia ad saxa et lapides passim. Variat thallo obscuriore et pallidiore; raro nigricante et subdeterminato in Suecia. — Var. *hydrela* (Ach.) Nyl. est sæpe adhuc minor et thallo adhuc pallidiore vel flavido-cinerascente, ad saxa sæpe inundata rarius obvia, omnino confluens cum *æthiobola*.

* **V. cataleptoides** (Nyl. *Prodr.* p. 182, *Pyrenoc.* p. 26), differt a *margacea* solum thallo crassiore diffracto-areolato; sporæ circa long. 0,023—25, crass. 0,010—11 millim. — Obvenit saltem ad rupes prope Norcopiam in Suecia.

11. **V. methoria** Nyl. in *Öfvers. V. Ak. Förh.* 1860, p. 296.

Thallus ferruginose rufescens vel cineracee ochraceo-rufus determinatus (nigricanti-limitatus) sat tenuis rimosus; apothecia mediocria, basi sæpius a thallo obtecta, apice late nudo,

satis prominula, epithecio impresso; sporæ ellipsoideæ simplices vel 1-septatæ, longit. 0,035—45, crassit. 0,014—18 millim.

Supra saxa micaceo-schistosa ad Nidarosiam in Norvegia (W. P. Schimper). Etiam alibi in Norvegia lecta (ex hb. Guépin).

Thalli plures sæpe contigui saxum late tegentes et limitibus nigricantibus solum invicem distincti (sicut in *Lecidea rivulosa*, sed minores vel latit. plerumque solum 5—15 millim.). Forte thallus cinereus ei quoque adsit.

12. **V. pyrenophora** Ach. *L. U.* p. 285, *Syn.* p. 94, Nyl. *Pyrenoc.* p. 26; *Verrucaria Schraderi* var. *cotacea* Stenh. in Fr. *L. S. exs.* 416.

Thallus cinerascens vel albidus tenuis inæqualis; apothecia (sæpius majuscula) perithecio dimidiatim nigro; sporæ ellipsoideæ (simplices vel) 1-septatæ, longit. circa 0,025, crassit. circa 0,011 millim.

Ad saxa calcarea in Suecia magis meridionali.

Variat (saltem in Helvetia) thallo albo vel albido crassiore et rugoso-inæquali (Pyrenula verrucosa Ach. *L. U.* p. 314, *Syn.* p. 219), sporis majoribus. — Var. 1) *Sprucei (Verrucaria Sprucei* Leight.) Nyl. l. c. p. 27 differt præcipue sporis majoribus oblongo-ellipsoideis (1—)3—(5-) septatis (long. 0,040—45, crass. 0,015—17 millim.); talis e Scandinavia mihi obvia solum e Karelia, Ruskiala. Verisimiliter pluribus locis invenienda.

* V. INCAVATA (Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 [n. ser. I], p. 242). — Calcivora, perithecio integre nigro, sporis 1-septatis (long. 0,030—36, crass. 0,012—16 millim.), thallo vix macula pallescente indicato. — Supra lapides calcareos in Alandia (Edwin Nylander).

13. **V. maura** Whlnb., Ach., Fr. *L. E.* p. 442, Nyl. *Pyrenoc.* p. 28.

Thallus niger nitidiusculus lævigatus valde rimosus vel conferte rimulosus, sat tenuis, plus minus extensus; apothecia in protuberantiis parum prominulis thalli inclusa; sporæ ellipsoideæ, longit. 0,012—16, crassit. 0,007—8 millim.

Ad rupes et lapides (præsertim graniticos) in summis oris maritimis (prope ipsam aquam) frequenter.

14. **V. aractina** Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 17, *Lapp.* p. 466, Ach. *L. U.* p. 292; *Pyrenula aractina* Ach. *Syn.* p. 121.

Thallus niger tenuissimus subtilissime areolato-rimulosus opacus, minutissime vel obsolete punctato-scabridus; apothecia in protuberantiis obtuse conoideo-prominulis (basi latit. circa 0,3 millim.) inclusa, mediocria, ostiolo denudato, epithecio obsolete impresso; sporæ ellipsoideæ vel oblongo-ellipsoideæ simplices, longit. 0,014—17, crassit. circa 0,007 millim.

Ad petras aqua marina sæpe adspersas per totam Finmarkiam et Nordlandiam frequenter (Wahlenberg).

Affinis certe *mauræ*, sed thallo alio tenuiore scabriusculo (vel quasi coriaceo-ruguloso), protuberantiis apotheciorum magis prominulis. Thallus non semper distincte areolato-rimulosus (hoc distinctius conspicitur in saxi frustulis quartzosis versus lucem, luce transparente).

15. **V. striatula** Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 21, *Lapp.* p. 466, Ach. *L. U.* p. 293, *Syn.* p. 95.

Thallus niger tenuis dendritice radians, ex areolis constans minutis difformibus discretis planiusculis, vel minoribus convexulis, ambitu radiatim elongatis gracilentis, plagulas formans parvas vel majores dendriticas vel invicem confluentes (oculis nudis quasi e punctis nigris compositas); apothecia in areolis tumidioribus contenta hemisphæricis (0,1 millim. latis vel paullo latioribus), epithecio impresso; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. circa 0,008, crassit. circa 0,004 millim.

Ad petras sub fluxu maris sæpe irrigatas in sinu Altensi Finmarkiæ rarius (Wahlenberg).

Thallus habet granula gonima parva viridia pariete omni proprio cellulari destituta.

16. **V. ceuthocarpa** Whlnb. in Ach. *Meth.* suppl. p. 22, *Lapp.* p. 467, *L. U.* p. 283, *Syn.* p. 93.

Thallus niger opacus sat tenuis, plagulas atras formans rhagadiose areolato-diffractas, areolis haud plane contiguis angulosis, ambitu subradiantibus; apothecia minuta innata in protuberantiis, extus papillose prominulis; sporæ breviter ellipsoideæ simplices, longit. 0,008—9, crassit. 0,006—7 millim.

"In foveolis petrarum aquam marinam retinentibus Finmarkiæ passim copiose" (Whlnb. *Lapp.* l. c.).

Thallus accedit ad texturam Collemaceorum quorumdam. Granula gonima mediocria ellipsoidea viridia vel leviter viridi-fuscescentia (pa-

riete cellulari nullo circumdata). Thallus fere crassior quam in *V. maura* comparanda. Perithecium pallidum.

* V. MUCOSA Ach., Whlnb. *Lapp.* p. 28, Nyl. *Pyrenoc.* p. 28. — Thallus olivaceo-nigrescens vel nigricans lævis continuus, sat tenuis, vix nitidiusculus (passim, saltem interdum, obsolete rhagadiosus vel fissuras rhagadiosas sparsas offerens); apothecia immersa (in protuberantiis depressis vel obsoletis thalli), intus albida, parva, perithecio haud obscurato; sporæ ellipsoideæ, long. 0,008—0,010, crass. circa 0,006 millim. — Ad lapides juxta ripas et ad petras aqua sæpe submersas in Suecia et Lapponia (ex Wahlenberg et Achario). Quoque ad Kristinestad in Fennia (A. J. Malmgren, at apotheciis haud rite evolutis).

17. **V. Dufourei** DC., Fr. *L. E.* p. 433, Nyl. *Pyrenoc.* p. 29.

Thallus macula cinerascente limitata indicatus; apothecia majuscula (latit. 0,3—0,4 millim.), sæpe (saltem hinc inde) crebra, perithecio dimidiatim nigro; sporæ ellipsoideæ simplices, longit. 0,016—19, crassit. 0,008—0,010 millim.

Ad rupes calcareas in Gottlandia.

Sub nomine "Verrucaria truncata" Lönnr. inde quoque vidi varietatem *limitatam* (Kphb.) Nyl. l. c., differens thallo (vel macula thallina) minore nigricanti-limitato, apotheciis et sporis minoribus (his long. 0,012—14, crass. 0,007—8 millim., in specimine e Gottlandia).

18. **V. rupestris** Schrad., Nyl. *Pyrenoc.* p. 30.

Thallus albidus vel albus parcus tenuissimus vel obsoletus evanescensque (inter particulas superficiales saxi tum occultatus); apothecia immersa, perithecio parte supera nigra et parte intrusa pallida (vel pallescente); sporæ ellipsoideæ, longit. 0,020—25, crassit. 0,010—13 millim.

Ad saxa calcarea et muros in Scandinaviæ regionibus calcareis, verisimiliter haud rara. Adhuc in Finlandia saltem media ad muros (vel eorum cimentum).

* **V. muralis** Ach., Nyl. l. c. p. 32, parum differt apotheciis magis emersis, perithecio dimidiatim nigro superficiali. — Ad lapides murosque calcareos et tegulas lateritias passim. — Occurrit ejus forma *ferruginosa*, thallo tenui ochraceo-ferruginoso (e ferro saxi calcarei), saltem in Soankylä (Edwin Ny-

lander). Sporæ in *murali* long. 0,018—28, crass. 0,011—14 millim. Transit omnino in *rupestrem*; *V. concentrica* DC. talis est forma inter ambas media.

** **V. integra** (Nyl. *Prodr.* p. 183, *Pyrenoc.* p. 31) sat similis *rupestri* (vel apotheciis interdum paullo majoribus), perithecio integre nigro immerso; sporæ ellipsoideæ, long. 0,023—30, crass. 0,009—0,015 millim. — Ad saxa calcarea rarius, usque in Lapponiam. — Huc pertinent plura "Amphoridia" Massalongiana.

*** **V. ruderum** DC. *Fl. Fr.* 2, p. 318. — Thallus griseo-albidus vel albidus vel albus tenuis areolato-rimosus, aut evanescens; apothecia immersa perithecio pallido solum ostiolo nigro; sporæ long. 0,022—38, crass. 0,011—19 millim. — Ad muros in Suecia magis meridionali. In Gallia similiter ad cimentum murorum.

19. **V. intercedens** Nyl. *Pyrenoc.* p. 33; *Verrucaria muralis* Hepp. *Flecht.* 445. — Thallus tenuissimus cinerascens; apothecia mediocria perithecio dimidiatim nigro; sporæ varie vel muraliter divisæ, longit. 0,018—23, crassit. 0,011—13 millim. — Ad murum in Suecia (dedit olim Marklin). Ad saxa arenaria et schistosa in montibus Helvetiæ et Pyrenæorum nonnihil sæpius major et sporis long. 0,026—36, crass. 0,016—20 millim.

Var. *æthioboloides* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Förh.* 4 (n. ser. I, p. 235), minor, thallo cinereo-fuscescente tenuissimo continuo vel disperso, apotheciis minutis (fere ut in *æthiobola*), sporis fere murali-divisis, long. circa 0,021, crass. circa 0,010 millim.; ad saxa quartzosa in Wihtis Finlandiæ meridionalis. Ab *æthiobola* (æque ac typus a *murali*) differt sporis murali-divisis. Gonidia hymenea nulla.

B. — *Paraphyses distinctæ graciles, sporæ 8næ incolores simplices aut murali-divisæ. Gelatina hymenea iodo cærulescens.* — Species *20—21.*

20. **V. epigæa** Ach., Fr. *L. E.* p. 431, Nyl. *Pyrenoc.* p. 35. Thallus virescens vel cinereo-virescens continuus tenuis vel tenuissimus subeffusus (interdum sat determinatus); apothecia immersa, perithecio integre nigro, parte emersa in statu

sicco collapsa; sporæ oblongæ vel oblongo-ellipsoideæ simplices, longit. 0,020—27, crassit. 0,007—0,011 millim.

Supra terram nudam, libentissime argillaceo-arenosam, in Scandinavia passim. In Lapponia et in regionibus vicinis nondum visa. In Walamo adest. Var. *bryina* in Savolaxia.

Facillime agnoscenda macula pallido-virescente, quam supra terram format, et apotheciis collabentibus, ostiolo statu sicco planiusculo vel leviter depresso. In Nyl. *Pyrenoc.* omissa est *Verrucaria velutina* Bernh., Flk. D. L. 129, Krb. *S. L. G.* p. 351, comparanda, terrestris, sed pertinens ad stirpem *Verrucariæ rupestris*, apotheciis prominulis, sporis oblongis simplicibus (long. 0,018—23, crass. 0,007—8 millim.); in Germaniæ pinetis. — Var. 1) *bryina* Nyl., thallo albido subgranuloso; sporæ long. 0,018—28, crass. 0,007—0,011 millim.; supra muscos (*Ceratodontem purpureum*) montis Pisanwuori in Savolaxia (Edwin Nylander).

21. **V. sphinctrinoides** Nyl. *Pyrenoc.* p. 35, *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 6, f. 4, *Syn.* t. 1, f. 17.

Thallus albidus tenuissimus effusus (passim subgranulosus); apothecia fusconigra vel nigra mediocria (latit. 0,3—0,4 millim.) prominula, supra fere truncato-convexa, epithecio dilatato (in statu sicco profunde impresso); sporæ fusiformi-oblongæ murali-divisæ, longit. 0,040—46, crassit. 0,011—14 millim. Gelatina hymenea et apices summi thecarum iodo cœrulescentes.

Supra muscos in Enari (Edwin Nylander).

Thallus gelatinosus e globulis majusculis hyalinis constituitur, in quibus foventur gonidia (1 vel 2 in singulis) granulifera. Fere Collemeis ob hanc texturam referenda videretur, sed ut pluries animadverti in Verrucariis hoc observatur nonnullis, quæ ita revergunt versus typum collemaceum. Apothecia nonnihil sphinctrinoidea. Spermatia recta, longit. 0,004 millim. (fig. citat. 4 *e*). Comparetur *V. muscicola*.

II. — *Species potissime corticolæ (paucissimæ simul saxicolæ), exceptione muscicolæ.* — Species *22—32*.

A. — *Sporæ incolores, paraphyses graciles confertæ, gelatina hymenea iodo non colorata.* — Species *22—24*.

a. — *Sporæ 8næ fusiformes (aut raro oblongo-fusiformes), perithecium dimidiate demigratum vel varie coloratum (dimidiate fuscescens vel rufescens).* — Species *22—23*.

22. **V. chlorotica** Ach., Nyl. *Pyrenoc.* p. 36.

Thallus olivaceo-fuscescens vel cinerascens tenuis vel te-

nuissimus continuus, sat determinatus; apothecia perithecio dimidiatim nigro nudo subhemisphærico, satis parvo; sporæ fusiformes 3-septatæ, longit. 0,018—23, crassit. 0,005—6 millim.

Ad rupes gneissaceas in Alandia et porphyreas in Hogland (Edwin Nylander), et forte plurimis locis (præsertim maritimis) invenienda. E Suecia graniticola adest in hb. Ach. nomine "Verrucaria stilbea Fr." (thallo pallidiore).

Facile commixta ob faciem externam sat similem cum *æthiobola*. Specimen archetypum Ach., e Lusatia, haud differt (thallo solum parum pallidiore). Nescio, si hæc species primitus habenda sit saxicola, sed saltem frequentius in Europa mitiore adest corticola (præsertim ad Carpinum et fagum); tunc dicitur vulgo apud auctores *Verrucaria carpinea* Pers., Ach. Nec differt *carpinea*, ex specimine ipsius Persoon, a saxicola nostra; sporæ 3-septatæ, sed long. 0,020—23, crass. 0,0045—0,0055 millim. Secundum Fr. *L. E.* p. 448, quoque ad corticem Carpini in Scania obvenit.

* **V. leucotica** Nyl. — Thallus tenuissimus albus indeterminatus vel subdeterminatus; apothecia ut in *chlorotica*; sporæ oblongo-fusiformes 3-septatæ, long. 0,015—19, crass. circa 0,0045 millim. — In Gottlandia (Kindberg) ad saxa calcarea. Vix nisi status calcareus *chloroticæ*.

23. **V. lectissima** (Fr.) Nyl. *Prodr.* p. 187, *Pyrenoc.* p. 37; *Segestrella lectissima* Fr. *L. E.* p. 430.

Thallus pallido-cinerascens tenuis continuus subeffusus (vel passim sat determinatus); apothecia extus pallide rufa vel rufescentia (e perithecio dimidiatim ita tincto), plus minus convexa, fere mediocria vel minora; sporæ fusiformes 3-septatæ, longit. 0,023—27, crassit. 0,0045—0,0065 millim.

Ad saxa gneissacea in Alandia et porphyrea in Hogland (Edwin Nylander). Verisimiliter pluribus locis in maritimis saltem.

Variat in Alandia apotheciis minoribus testaceo-rufescentibus et simul aliis immixtis fuscescentibus vel infuscatis; tangit tum arcte *chloroticam*.

* **V. glauco-cinerea**. *Verrucaria lectissima* var. *terrestris* Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 235. — Thallus glaucocinereus determinatus tenuis inæqualis subleprosus; apothecia fusco-pallescentia innata, parum prominula,

sat parva; sporæ oblongo-fusiformes 3-septatæ, long. 0,018—23, crass. 0,007—8 millim. — Supra terram, inter *Ceratodontem purpureum,* plagulas latitudinis pollicaris (vel ultra) formans, in rupibus ad Helsingfors.

Forte species distincta, et thallo et apotheciis et sporis nonnihil differens a *lectissima.* Apothecia interdum magis pallescentia.

b. — *Sporæ 2—4næ oblongæ vel oblongo-fusiformes varie vel murali-divisæ.* — Species 24.

24. **V. muscicola** Ach. hb., Nyl. in *Sällsk. pro F. et Fl. F. Notis.* 4 (n. ser. I), p. 7, f. 6, *Pyrenoc.* p. 40.

Thallus albicans tenuissimus effusus; apothecia perithecio integre nigro vel fusco-nigricante (lamina tenui viso rufescente), mediocria (latit. 0,25—0,35 millim.) prominula; sporæ longit. 0,048—92, crassit. 0,013—23 millim.

Supra muscos in Bahusia, ex hb. Ach.

B. — *Sporæ 8næ fuscescentes vel nigrescentes fusiformi-oblongæ vel oblongo-ellipsoideæ 4—(6-)loculares, paraphyses gracillimæ (interdum ramosæ), confertæ; gelatina hymenea iodo haud tincta (aut exceptione violacea colorata).* — Species 25—26.

25. **V. nitida** Schrad., Ach., Borr. *E. Bot.* suppl. t. 2607, f. 1, Fr. *L. E.* p. 443, Nyl. *Pyrenoc.* p. 45.

Thallus macula pallescente determinata indicatus, hypophlœodes; apothecia mediocria vel majuscula prominula hypophlœodea (obtecta), sæpius conferta, interdum 2 confluentia, perithecio integre nigro; sporæ fusco-nigrescentes fusiformi-ellipsoideæ, loculos 4 minutos (transversos) offerentes, longit. 0,022—25, crassit. 0,007—8 millim. Gelatina hymenea iodo haud tincta.

Ad corticem fagi in Suecia meridionali.

Ibidem quoque ad Corylum (ex Fr. l. c.) adsit var. *nitidella* Flk., non differens nisi apotheciis minoribus.

26. **V. farrea** Ach. pr. p., Nyl. in *Bot. Notis.* 1853, p. 183, *Prodr.* p. 188, *Pyrenoc.* p. 47; *Verrucaria alba* Schær.; *V. Schæreri* Flot.; *V. leucoplaca* Wallr.

Thallus albo-pulvereus tenuis vel tenuissimus sat determinatus (vel subeffusus); apothecia minuta (circa latit. 0,2 millim.) prominula, perithecio dimidiatim nigro (basi plerumque nonnihil intus inflexa); sporæ nigrescentes ellipsoideæ vel fusiformi-ellipsoideæ 3—5-septatæ, longit. 0,016—32, crassit. 0,007—0,011 millim. (interdum altero apice attenuato).

Ad corticem quercus, populi, tiliæ, ulmi et *Salicis pentandræ* in Scandinavia, septentrionem versus in Suecia usque ad Upsaliam et saltem in Finlandia meridionali atque usque in Walamo rarius.

C. — *Sporæ 8næ incolores (exceptione infuscatæ) oblongæ vel ellipsoideæ 1-septatæ (exceptione 3-septatæ), in unica specie* (32) *attenuatæ (fusiformes). Gelatina hymenea iodo haud tincta. Thallus plurimis hypophlœodes vel evanescens, una species* (31) *saxicola.* — Species *27—32.*

27. **V. gemmata** Ach., Fr. *L. E.* p. 444, Nyl. *Pyrenoc.* p. 53.

Thallus albus vel albicans tenuissimus indeterminatus; apothecia majuscula hemisphærice prominula (latit. circa 0.5—0,7 millim.), perithecio dimidiatim nigro; thecæ cylindraceæ, sporæ ellipsoideæ 1-septatæ, longit. 0,020—28 (usque 0,034), crassit. 0,010—12 millim., paraphyses graciles confertæ.

Ad cortices (præsertim fraxini vetustioris) in Scandinavia magis meridionali, et adhuc in Alandia (Edwin Nylander).

* **V. conoidea** Fr. *L. E.* p. 432, Nyl. *Pyrenoc.* p. 53. — Thallus obsoletus vel macula cinerascente vel dilute rosea indicatus; apothecia ut in *gemmata;* sporæ paullo minores (long. 0,014—21, crass. 0,008—0,010 millim.). — Ad saxa calcarea recentioris formationis, præsertim in Gottlandia. Vix consideranda sit nisi ut status saxicola (calcicola) *gemmatæ.* Apothecia sæpe basi nonnihil incavata.

28. **V. epidermidis** Ach., Whlnb., Fr. *L. E.* p. 447, Nyl. *Pyrenoc.* p. 58; *Verrucaria analepta* Ach.

Thallus vix ullus; apothecia mediocria vel minora, perithecio dimidiatim nigro; sporæ oblongæ vel ovoideo-oblongæ

1-septatæ, longit. 0,018—25, crassit. 0,006—7 millim., paraphyses vix ullæ vel parcæ irregulares.

Ad cortices, præsertim betulæ, in Scandinavia vulgaris.

